ENCHIRIDION
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
UNIVERSAE

AUCTORE

P. ALBERS S. J.

AD RECOGNITAM ET AUCTAM EDITIONEM NEERLANDICAM
ALTERAM IN LATINUM SERMONEM VERSUM

TOMUS III

AETAS TERTIA SEU NOVA TEMPORA
ANNIS 1517 — HODIERNUM DIEM

NEOMAGI IN HOLLANDIA
SUMPTIBUS L. C. G. MALMBERG
EDITORIS PONTIFICII
MDCCCCX

PROSTAT APUD:

DESCLÉE & C.,
EDITOREM PONTIFICIUM,
ROMAE.

B. HERDER,
TYPOGRAPHUM EDITOREM PONTIFICIUM,
FRIBURGI BRISGOVIAE.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

NIHIL OBSTAT.

fr. D. WEVE. O. P.

Libr. Censor.

NEOMAGI, 13 Sept. 1910.

EVULGETUR.

J. POMPEN.

Vicarius-Gen. Busc.

BUSCODUCI, die 15 Sept. 1910.

Enitendum magnopere, ut omnia ementita et falsa, adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud imprimis scribentium obversetur animo, *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* — Est autem in scholarum usum confectio commentariorum necessaria, qui salva veritate et nullo adolescentium periculo ipsam artem historicam illustrare et augere queant.

Epist. LEONIS PP. XIII, d. 18 Aug. 1883.

AETAS TERTIA.

TEMPORA NOVA.

ab anno 1517 ad hodiernum diem.

PERIODUS PRIMA.

AB INCHOATA COMMOTIONE LUTHERANA AD INITIUM REVOLUTIONIS GALLICAE.

1517—1789.

CAPUT PRIMUM.

Reformatio in Germania.

§ 136—§ 142.

§ 136. **Lutherus et controversia de indulgentiis.**

Opera *Lutheri:* editio *Walch,* tomi 24, Halle 1740—1750; editio *Plochmann* et *Irmischer*, tomi 67, Erlangen 1826—1857; editio *Knaake-Kawerau*, Weimar 1883 sqq. Epistolae: editio *de Wette*, tomi 5, Berlin 1825—1828. Tischreden: editio *Bindseil*, tomi 3, Berlin 1863—1866; editio *Preger*, Leipzig 1888. Geistliche Lieder: editio *Wackernagel*, Stuttgart 1856 sqq. *Melanchton*, Historia de vita et actis M. Lutheri, Wittemb. 1546. *J. Cochlaeus*, Commentaria de actis et scriptis M. Lutheri Saxonis, Mog. 1549. *Evers*, Martin Luther, 6 Bde. Mainz 1883—1891. *Köstlin*, Martin Luther, 3 Bde. Elberfeld 1883. *H. Denifle*, Luther und Luthertum in der ersten Entwickelung, 2e Aufl., Mainz 1904. *Laemmer*, monumenta Vaticana historiam eccles. sec. XVI illustrantia, Frib. 1861. *Idem*, Analecta Romana, Schaffhausen 1861. *Balan*, Monumenta reformationis Lutheranae ex tabulis s. sedis secretis (1521—1525), Ratisbonae 1883—1884. *Idem*, Monumenta seculi XVI historiam illustrantia, Oeniponte 1885. *Augusti*, Sammlung der symbolischen Bücher, VII Aufl. (Müller) Gütersloh 1890. *Löscher*, Vollständige Reformationsacta, Leipzig 1720—1728. *Döllinger*, die Reformation, ihre innere Entwicklung und ihre Wirkungen im Umfange des luther. Bekentnisses, Arnheim 1853—1854. *Janssen*, Geschichte des deutschen Volkes, XVIII Aufl., Bd. 1—8, Freiburg 1897 sqq. *Bezold*, Gesch. der deutschen Reformation, Berlin 1887—1890. *Dieckhoff*, Der Ablassstreit, Gotha 1886. *Baudrillart*, L'Eglise catholique, la renaissance, le protestantisme, Paris 1904. *L. Christiani*, Luther et le Luthéranisme, Paris 1908.

Novae hujus aetatis aditum aperuit pseudo-reformatio. Magna pars populorum septemtrionalium, deficientes ab Ecclesia, matrem suam impugnant. Ipsa vero Ecclesia reformatione genuina interne roboratur et consolidatur, dum prospere succedentibus missionibus propagatur exterius. Gubernia pedetentim subtrahunt se subjectioni et actioni Ecclesiae, ita ut gradatim oriatur separatio inter Ecclesiam et statum.

1°. Posteaquam genuina reformatio in capite et membris diutius uno saeculo fuerat dilata, imo saepe impedita, ineunte saeculo XVI erupit violenta revolutio, quae, sumptis initiis in Germania, partes septemtrionales universas pervasit. Subversionis auctor praecipuus fuit **Martinus Luther** (1483—1546). Natus Islebii e parentibus egenis, juventute dura exacta, ac dein literis humanioribus excultus Magdeburgi et Isenaci, inde ab anno 1501 in universitate Erfurti studuit philosophiae et juri. Magister artium creatus, ordinem eremitarum S[i] Augustini anno 1505 ingressus est Erfurti, et anno 1508 a Joanne Staupitzio[1]), provinciali suo, ad docendam philosophiam Wittembergam missus, in ejusdem civitatis universitate anno 1512 honore doctoratus theologiae est insignitus. Anno superiore Romam adierat[2]) ibique multa observaverat, pios sensus in animo excitantia. Ea vero quae minus ejusmodi essent, non graviter eum turbasse, patet ex eo quod postea confessus est: „quemvis hominem, inquiens, trucidare potuissem, qui ausus fuisset vel unico verbo Papae obedientiam denegare." Ab anno 1512 usque ad illud tempus, quo aggressus est impugnare indulgentias, Lutherus Wittembergae praelegit de *epistolis Pauli*, de *psalmis*, de scriptis Augustini, et statutis temporibus coram frequenti multitudine concionabatur.

2°. Operosis hisce occupationibus ac distractionibus Wittembergae distenti Lutheri spiritualis vitae fervor decrevit. Universum paene diurnum tempus scribendis epistolis impendebatur. Raro satis otii restabat ad recitandas horas canonicas et faciendum Sacrum. Insuper vitam agebat in monasterio, in quo disciplina regularis languebat, spiritus religiosus orationisque fervor non excolebatur. Nihilominus tempore professoratus sui (1509) adhuc contentum se et beatum in vita religiosa sentiebat Luther, ut ipsemet iterum atque iterum confessus est[3]). Conscientiae anxietates nullo modo patiebatur. Primum anno 1515 ingressus est viam **erroris**[4]). Observare legem divinam,

---

[1]) *N. Paulus*, Hist. Jahrb. d. Görresgesellschaft, 1891, p. 309 sqq.

[2]) *N. Paulus*, Hist. Jahrb. d. Görresgesellschaft, 1891, p. 68 sqq.; 1901, p. 110 sqq.; 1903, p. 72 sqq. *Kawerau*, von Luthers Romfahrt, Halle 1901.

[3]) *Grisar*, Luthers Selbstzeugnis über seine Klosterzeit. Lit. Beil. zur Köln. Volkszeitung, 1903, n. 44, 45, 46; 1904, n. 1, 3.

[4]) *Jundt*, Le développement de la pensée religieuse de Luther jusqu' en 1517, Paris 1906.

refrenare pravam concupiscentiam valde arduum ei erat exigebatque ingens luctamen. Quod autem lex imperat: *non concupisces*, id non censebat de consensu voluntatis in pravos concupiscentiae motus esse dictum, sed de ipsa concupiscentia carnis contra legem, de *inclinatione* nostra ad malum. Cumque haec ejus inclinatio, sive vehemens concupiscentia, luctando non extingueretur, econtra vi ac ferocia cresceret, insuperabilem eam declaravit, conclusitque legis imperium: „non concupisces" opere hominem exsequi non posse. Inclinationem ad iram, odium, incontinentiam censuit esse continuam legis transgressionem. „Quid faciat homo, quo eat propulsus lege impossibili?" Lutheri mens ac sententia demum haec fuit: neminem posse legem observare; universam nostram justitiam peccatum esse [1]).

Adstructo hoc primo errore, concupiscentiam esse insuperabilem, Deum impossibilia nobis praecipere, non posse nos legem Dei ejusque jussa facere, universa opera nostra exercitationesque esse prava, sponte sua Lutherus devenit in errorem alterum: *concupiscentiam esse ipsum originale peccatum*. Atque ita jam animo sentiens, commentatus est anno 1515—1516 *epistolam ad Romanos*. In quibus commentariis apparet viri superbia, conceptus erroneus de genuina poenitentia, animi desperatio. Humilem precationem, ut stare posset, facere nesciebat. Propterea loco *internae justitiae*, quam impossibilem existimabat, quaerebat *externam:* sine dolore de peccato commisso, sine emendationis proposito Christum appellabat: „ecce, hic satisfecit, hic justus est, hic mea defensio, hic pro me mortuus est." Insuper: „quod si mea peccata sua facit, in me amplius non sunt peccata, ego liber sum. Sin autem suam justitiam meam facit, ego jam justus sum eadem justitia, quam ipse habet." Homo semper aegrotat, semper in peccato est, sed justitia Christi tegit hujus aegroti peccatum [2]). Mox negare coepit Luther in homine liberum arbitrium, *mortuum* illud dicens. Quare fidem in homine solius Dei opus aestimabat: „Fides praecipuum opus Dei... Ipse operatur eam in nobis et sine nobis." — „Fides jam est gratia justificans. Fides est *formalis*

---

[1]) Opera Lutheri, ed. Weimar, I, 105, 30—31, 35; IV, 68, 75.

[2]) „Christi justitia eos tegit, et eis imputatur." Utitur etiam comparatione gallinae tegentis pullos suos.

justitia, propter quam justificamur." Fides est ipsa vestis nuptialis, etiamsi non affuerit charitas. Adeoque ad salutem nihil aliud requiritur praeter fidem[1]). Sic devenit Luther in illam falsam ac perniciosam doctrinam de *sola fide*, quod fuit unum de praecipuis dogmatibus reformationis. Pro toto hoc suo systemate defendendo invocabat *epistolas Pauli*, quas erronee interpretabatur, ac doctrinam Augustini, quem male intelligebat. Suam doctrinam nomine *laeti nuntii*, *novi evangelii* vocabat, quod, ab Ecclesia jam inde a longo tempore perditum, nunc denuo a se inventum dicebat. Quodsi quis Luthero fidem negare ausus esset, maledicta in hunc conciebantur. Hac autem „theologia" necesse fuit, universae Ecclesiae catholicae, ejus ordinationi, sacramentis, cultui, vitaeque inuri notam depravationis, quasi deviasset a *primitiva Ecclesia Evangelica*. De Lutheri sententia „non est catholicae doctrinae adeo parva littera, neque in ecclesia opus adeo exiguum, quod non sit defectio a Christo, blasphemia in Ipsum, violatio fidei Ei debitae."

Atque adeo, jam inde ab anno 1516, propter doctrinam suam de *concupiscentia*, de *originali peccato*, de *libertate arbitrii*, de *gratia*, de *justificatione* Luther ab Ecclesiae doctrina defecerat. Mense Septembri ejusdem anni praesidebat disputationi in aula universitatis, in qua thesin defendendam dederat hanc: „homo, quando facit quod in se est, peccat, cum nec velle aut cogitare ex seipso possit." Mense Augusto anni 1517 pro quopiam doctorando theses 29 composuit, quarum 4ª fere idem dicit, 5ª vero negat arbitrii libertatem, voluntatem non liberam sed captivam asseverans. In concionibus suis, tempore quadragesimali ejusdem anni habitis, impugnavit doctrinam de indulgentiis, docuitque Christum esse satisfactionem nostram neque opus esse „adire Romam, Hierosolymam aut Compostellam." Quare a multis jam tum temporis vocabatur haereticus. Paucos post menses palam impugnare Ecclesiam aggressus est.

3⁰. Cujus impugnationis nullo pacto causa, summum oc-

---

[1]) „*Fides est haec vestis*, qua induimus justitiam Christi coram Deo. Alii dicunt esse, *charitatem*, *non fidem*. Hos sinimus ambulare suo sensu, et dicimus: si possunt hanc vestem (charitatem) afferre, bene concordabimus nos. Sed ipsi nesciunt *hoc esse impossibile* ... Justitia Christi nos ornat, *non opera nostra*."

casio fuit **controversia de indulgentiis**[1]). Julius II Papa coeperat aedificare novam *basilicam* in honorem S[i] Petri. Quo vita functo (1513), magna pars operis imperfecta restabat. Consentaneum autem erat ut universi orbis catholici fideles sua quique afferrent ad perficiendam hanc Summi Pontificis cathedralem. Quapropter indictas anno 1506 indulgentias Leo X, anno 1514, instauraverat[2]). Conditiones pro lucrandis indulgentiis Leo constituerat: confessionem et communionem, jejunium pridie confessionis, visitationes ecclesiarum aut altarium septem, eleemosynam ad perficiendam basilicam S[i] Petri pro cujusque conditione ac facultate. Commissarius pro provinciis ecclesiasticis Moguntina et Magdeburgensi designatus fuerat Albertus Brandeburgensis, archiepiscopus Moguntinus, cui dimidia pars proventuum assignata[3]). Is vero praedicatorem indulgentiarum in orientali parte suae provinciae creavit **Joannem Tetzelium**[4]), ex ordine praedicatorum, concionatorem et theologum celebrem. Prosperos successus habuit ejus praedicatio etiam in terra Saxonica, demum in vico Jüterbogk, qui est in confiniis Wittemberg. Humanistae incitabant Lutherum ut se opponeret, qui propterea ad castelli ecclesiam affixit die ultimo mensis Octobris, **theses 95** de indulgentiis. Quarum pars altera continet Lutheri incertissimas sententias de condonanda poena peccati, altera impugnat rationem, qua indulgentiae praedicabantur. „Contra veniarum apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema et maledictus" (71[a]). „Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum Concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus" (72[a]). Thesis 4[a] optime quadrat in systemate Lutheri: „Poena peccati constat odio in seipsum eo quod omne quod homo operatur peccatum est; quoniam vero haec poena peccati tantummodo interna et sola

---

[1]) Ad Eckium, dolentem de perturbatione, scribebat Lutherus, eum (Eck) causam non esse, sed hunc infantem alium omnino patrem habere. Epistolae, *de Wette-Seidemann*, VI, 18.

[2]) Indictas indulgentias ac praesertim abusus in earum praedicatione etiam viri religiosissimi improbabant. Vide *Pastor*, Geschichte der Päpste, IV, p. 228 sq.

[3]) Hist. Pol. Bl. Tom. 118 (1896), p. 73 sqq.; 106 sqq.

[4]) *N. Paulus*, Hist. Jahrb. d. Görresges. 1895, p. 37 sqq. Praesertim: Die Deutschen Dominikaner im Kampf gegen Luther, Freiburg 1899. Johann Tetzel, der Ablassprediger, Mainz 1899.

vera poenitentia est, remitti a Papa nequit. „Papa non vult nec potest ullas poenas remittere, praeter eas, quas arbitrio vel suo vel Canonum imposuit" (5a). „Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando et approbando remissam a Deo" (6a). Indulgentiae rationem nullam habent ad animas fidelium defunctorum (8a—29am). „Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a poena et culpa, etiam sine literis veniarum sibi debitam" (36a). „Quilibet vere Christianus sive vivus sive mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi et Ecclesiae, etiam sine literis veniarum a Deo sibi datam" (37a). „Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias... non sunt merita Christi et Sanctorum, quia haec semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris" (58a). Concedebat tamen Luther: „Remissio... Papae nullo modo est contemnenda, quia, ut dixi, est declaratio remissionis divinae" (38a)[1].

4⁰. Celerrimo cursu theses divulgabantur per universam Germaniam, assentientibus praesertim humanistis et juvenibus. Continuo Tetzelus iniit consilium provocationis suscipiendae, ac prius magistri theologiae titulum sibi comparandum curavit in universitate Francofordi ad Oderam. Materiam disputationis publicae pro sua promotione, affixit *antitheses* 105[2]) de indulgentiis[3]). Eae theses veram doctrinam lucidis verbis exhibent, denotantque theologum sagacem, qui statim observaverat non agi hic de disceptatione scholari, sed de subversione doctrinae catholicae de poenitentia et indulgentiis[4]). Nihilominus non solum publice exustae sunt hae theses a studiosis Wittembergensibus, verum etiam e suggestu impugnatae a Luthero. In quibus impugnationibus errores iidem iterabantur, adjiciebantur novi atque adversarius Tetzelus contemtui objiciebatur.

---

[1]) Opp. Omnia Rev. P. D. M. L., quae vir Dei ab anno MDXVII etc. edidit, Tom. IV, Jenae 1564—70, I, fol. 1 sqq. Amore et studio elucidandae veritatis haec subscripta disputabuntur Wittenbergae, praesidente R. P. Martino Luthero artium et s. Theologiae magistro ejusdem ibidem lectore ordinario. Quare petit, ut qui non possunt verbis praesentes nobiscum disputare, agant id litteris absentes.

[2]) Opp. omnia Lutheri, ed. Jen. I, 5, sq.

[3]) Wimpina, Tetzeli magister Frankofordi, saltem magnam ei opem suppeditaverat in componendis his thesibus. Cf. *Paulus*, Hist. Jahrb. 1895, p. 54 sq.

[4]) Der Katholik, 1860, I, 641—682; II, 129—165.

Is vero demonstravit, doctrinam Lutheri consonam esse cum erroribus Wiclefi et Hus, elucidavitque non diu post (mense Aprili 1518), thesibus 50, Ecclesiae catholicae infallibilitatem. Lutherus econtra asseruit se omnem, quam impugnabant, doctrinam a Deo accepisse, seseque nuntium esse *purissimae theologiae*. Eodem anno Joannes Eckius, canonicus theologus Aichstadiensis, incitante episcopo suo, scripsit *Obeliscos* [1]) ad *theses* nonnullas Lutheri, qui animosissimum ei responsum dedit suis *Asteriscis*, atque opem et juvamen apud Carolostadium invenit. Scripsit quoque contra Lutherum Coloniensis magister Jacobus Hoogstraeten, O. P. [2]), sed minore etiam successu quam reliqui. Mense Aprili anni 1518 habita est disputatio publica in monasterio Augustiniano Heidelbergae [3]), in qua Lutherus theses defendendas fecit, naturam humanam totam corruptam esse peccato Adami, atque insuper libertatem arbitrii amisisse. Quare multi hucusque ejus amici recesserunt [4]), dum praesertim e junioribus accresceret fautorum numerus.

5⁰. Haec causa fuit cur Lutherus conatus sit efficere ut etiam in terra Saxonica publica disputatio haberetur. Sperabat fore ut causa sua a Carolostadio contra Eckium defenderetur [5]). Is initio detrectavit, postea provocatus a Luthero tandem consensit, voluitque ut **disputatio Lipsiae** (1519) fieret [6]). Interea theses 12 de indulgentiis et potestate Summi Pontificis evulgavit, quo facto Lutherus adeo ad iracundiam est commotus ut antitheses ediderit et auxilio Georgii ducis Saxoniae pervicerit ut ei licentia daretur disputantis partes agendi. Habita est disputatio a die 27 Junii ad diem 16 Julii, invitis episcopis Martisburgensi et Brandeburgensi, praesente Georgio Saxo-

---

[1]) Ed. Jen. I, 31 sqq. cum Asteriscis. *Wiedemann*, Dr. Joannes Eck, Regensb. 1865.

[2]) Der Katholik, 1897, II, 160 sq.; 1902, II, p. 22 sq.

[3]) *Bauer*, die Heidelberger Disputation (Zeitschr. f. Kirchengesch. 1901, p. 233 et 299.

[4]) „Peregrina illis videbatur theologia."

[5]) *Barge*, A. B. von Karlstadt, Leipzig 1905, 2 Teile.

[6]) Eccius noster a me tentatus Augustae, ut cum Carlstadtio nostro Lipsiae congrederetur pro componenda contentione, tandem obsecutus est. *Luther* apud *de Wette*, I, 216. *Seitz*, der Authentische Text der Leipziger Disputation, Berlin 1903.

niae duce. Palmam reportavit Eckius, qui Luthero et Carolostadio gravissimam cladem intulit. Parisiis, Heidelbergae, Coloniae et Lovanii universitates, perlectis disputationis actis, *contra* Lutherum sese declararunt. Luther ipse confessus est pessime ibidem esse disputatum, idque Carolostadio pudori non decori fuisse „quia est infelicissimus disputator, horridi et hebetis ingenii." Eckii vero „dexteritas, ingenium, doctrina, comitas ac fides" a Melanchtonio et[1]) Scheurlio summa laude elata est. Lutherus tamen non se subjecit, Lipsiae disputando tempus fuisse perditum dixit, gavisusque est de eo quod amici iram suam evomerent in Eckium[2]). Georgius Saxoniae dux a Luthero discessit, quem deinde etiam accerrime impugnavit vir doctissimus Hieronymus Emser[3]).

---

§ 137. Luther adversus Papam et Imperatorem.

Pastor, Geschichte der Päpste, IV Bd., Freiburg 1906. *K. Müller*, Zeitschrift für Kirchengeschichte, XXIV, p. 46 sq. *Kalkoff*, ibidem, XXV, 90—147; 243—290; 399—459; 503-603. *Schulte*, Quellen und Forschungen, VI Band. *Kalkoff*, Forschungen zu Luthers römischem Process, Rom 1905. *Janssen*, Geschichte des Deutschen Volkes, II Bd., XVII—XVIII Aufl.

1°. Posteaquam novam Lutheri doctrinam Romae aperuerat archiepiscopus Moguntinus, Leo X papa imposuit Gabrieli della Volta, generalis magistri Patrum Augustinianorum vice fungenti, ut superbientem magistrum Wittembergensem ad silentium et quietem reduceret. Quod fuit opus valde arduum. Etenim non multo post Lutherus suas *resolutiones* de vi et efficacia indulgentiarum Romam misit noluitque retractare. Simul concionem habuit de excommunicatione, quae ipso censente neminem excludere valet ex *invisibili* communione cum Ecclesia. Interea Romae causa in Lutherum instrueba-

---

[1]) *Ellinger*, Philipp Melanchton. Ein Lebensbild, Berl. 1902. Opp. Corpus Reformat. ed. *Bretschneider* et *Bindseil*, Hallae et Brunsvic. 1834—1860, Tomi 28.

[2]) Eccius dedolatus, auctore *Willibald Pirkheimer*.

[3]) Ed. Jen. I, 348 sqq.; 350 sqq. *Enders*, Luther und Emser. Ihre Streitschriften aus dem Jahre 1521, 2 Bde. Halle 1889—1891. *L. Cardauns*, Zur Kirchenpolitik, Georgs von Sachsen. Quellen und Forschüngen aus Italienischen Archiven, X (1907)), S. 101—151.

tur, ac Silvester Prierias, *magister sacri palatii*, breviter refellit ejus doctrinam libro suo: *R. P. Fratris Silvestri Prieriatis... in praesumptuosas M. Lutheri conclusiones de potestate Papae dialogus* (1518)[1]. Desideratur in hoc opere dexteritas; insuper in iis, quae de indulgentia disserit, Prierias modum excedit[2]. Accepto mandato, ut intra dies 60 Romam ad se purgandum adiret, renuit Lutherus, misitque litteras ad Fredericum Saxoniae ducem, imo vero ad Maximilianum I imperatorem, petens ut sua causa in Germania ageretur. Diebus 12, 13 en 14 mensis Octobris anni 1518 Lutherus stetit Augustae coram Cajetano cardinali, noluit ullo modo retractare, promisit tamen se silentium observaturum, si adversarii idem facerent. Paucis post diebus Augusta Vindelicorum aufugus, appellavit *a Leone male informato ad Leonem melius informandum*[3]. Die 9 Novembri anni 1518, Leo X ad explicandam indulgentiam edidit constitutionem, quae magno numero exemplarium per Germaniam sparsa est. Attamen gravissima haec constitutio animos levissime commovit, primum quod indulgentiae jam odio erant populo, dein quod Lutherus ante adventum constitutionis, provocaverat ad generale concilium, cui desiderio milleni plaudebant. Paulo post Carolus Miltitius, camerarius apostolicus, venit in Germaniam. Sed sicuti spes parva erat, ita hominis aulici levitas ac petulantia nihil valuit in contumaciam Lutheri.

2°. Appellatus a Leone X, 18 Januario anni 1520, Eckius profectus est Romam atque ita causa in Lutherum maturata. Ibidem dum deliberaretur, Lutherus scripsit opusculum *de Captivitate Babylonica Ecclesiae*[4], in quo doctrinam de sacramentis impugnat eaque ad tria numero restringit. Eodem tempore evulgatum est opus *de libertate christiana*, quo superiores errores plurimi repetuntur. Quos libros, exeunte Octobri anni 1520 perfectos, Miltitius Romam asportavit, addita epistola Lutheri. Post longam, imo vero fortasse justo longiorem haesitationem, tandem 15 Junio anni 1520 edita est celebris bulla

---

[1]) Lutheri ed. Jen. I, p. 15 sqq.

[2]) Ibidem, fol. Ba. Hist. Jahrb. 1895, p. 49 sq.

[3]) Acta R. P. D. M. Lutheri apud D. Leg. Thom. Cajetanum, ed. Jen. I, p. 185 - 202.

[4]) Ed. Jen. II, p. 259a—286a.

Exsurge Domine. Solemni initio invocat Papa opem Domini contra vulpes vineam evertentes, contra aprum eam devastantem. Enumerat dein theses 41, quae continent errores praecipue contra: *liberum arbitrium*, *peccatum originale*, *sacramenta in genere*, *fidem*, *gratiam*, *peccatum*, *contritionem*, *confessionem*, *bona opera*, *indulgentiam*, *purgatorium*, *communionem*, *primatum*, *excommunicationem*, et *auctoritatem conciliorum generalium*. Intra dies 60 jubetur Lutherus retractare, sin minus incurrisse poenas latas in haereticos notorios et contumaces declaratur [1]).

3⁰. Promulgandam et exsequendam bullam dedit Leo X Hieronymo Aleandro [2]) et Joanni Eckio, viris non minus fide in S. Sedem quam fama eruditionis celeberrimis. Non tamen valde prudenter factum censendum est ut Eckius quoque ad hoc opus sit electus. Is enim praecipuus Lutheri adversarius ab omnibus habebatur. Qui statim ab initio expertus est, quales quantaeque difficultates ei pararentur. Lipsiae et Wittembergae studiosi affixam bullam avellerunt. Eckio coram minitabantur. Universitates Vindobonensis et Ingolstadiensis inertes se et socordes monstrarunt. Episcopi non pauci motis difficultatibus, obstarunt quo minus bulla evulgaretur. Quantum immineret periculum, non intellexerunt. Lutherus ipse primum fingebat se dubitare de genuinitate bullae ac conviciis agebat contra Eckium quasi is eam confecisset. Dein vero fel omne furoris sui evomuit in Pontificem scripsitque acerbissimum libellum „*Adversus execrabilem Antichristi bullam*" [3]). Die 10 Decembri anni 1520 Wittembergae, facta pompa, bullam combussit dicens: „Eo quod Sanctum Domini contristasti, contristet et consumat te ignis aeternus." Acrius sane significare nequivit se omne vinculum cum Ecclesia rupisse. Sexaginta dierum mora exspiravit die 20 Novembri. Demum 3 Januario bulla *Decet Romanum Pontificem* [4]) excommunicatio in Lutherum ejusque fautores lata est. Quorum solus Luther nomi-

---

[1]) *Th. Harnack*, Luthers Theologie mit besonderer Beziehung auf seine Versöhnungs- und Erlösungslehre, Erlangen 1862—1886. Bull. Rom. ed. Taur. V, p. 748 sqq. *Raynald*, ad ann. 1520, n. 51 sqq. *Denzinger*, ed. 9, p. 175, ed. 10, n. 741 sq.

[2]) *Pagnier*, Jér. Aléandre, Paris 1900. *P. Kalkoff*, Aleander gegen Luther, Leipzig 1908.

[3]) Ed. Jen. II, 286b—292.

[4]) Bull. Rom. ed. Tanz. V, 761 - 64.

natim vocabatur; absolutionem Lutheri, Hutten, Pirkheimer et Spengler sibi Papa reservabat. Dum posteriores duo humiliter se subjecerunt, Hutten perseveravit in contumacia, furore insaniens contra Romanam Ecclesiam, omnesque ad bellum sacrum instigans[1]).

4⁰. Ejusmodi conatis obstare muneris erat Caroli V, in juvenili aetate imperii frena tenentis. Qui Hieronymo Aleandro, legato pontificio, Antverpiae honorifice recepto, declaravit se vel vita sua Ecclesiam defensurum. Bullam exsequendam, haereticos libros exurendos tradidit. Coronatus Aquisgrani, comitia imperii coegit Vormatiae (1521). Fredericus dux Saxoniae omnem industriam apud imperatorem in eo posuit, ut Lutherum imperator prius Vormatiae audiret, dein judicaret. Quod tandem probavit Carolus V. Cui tamen mox persuasum fuit ab Aleandro, Lutherum, supremo Summi Pontificis decreto damnatum haereseos, non posse ab inferioribus judicibus absolvi Vormatiae. Quare factam potestatem revocavit imperator, id tantum concedens ut, si Lutherus retractare vellet, in confinia Vormatiae duceretur. Interea Erasmus conatus est probare bullam esse falsam, reum faciens Aleandrum legatum, qui eum tamen Coloniae coram de indigna simulatione convicit. In comitiis diversae erant sententiae. Dum imperatori, Ecclesiae patrono, in animo fuit bullam exsequi et Lutherum proscribere, consiliarii ejus et plurimi principes electores perficere conabantur ut Lutherus prius audiretur. Ne jam in primis his comitiis ordines imperii sibi infensos redderet Carolus tandem cessit et die 6 Martio anni 1521 pro Luthero diploma itineris subscripsit, simul tamen imperans ut ejus scripta occuparentur. Die 16 Aprili **Lutherus Vormatiam**[2]) advenit. Postero die, prima cognitio facta est coram imperatore in comitiis. Interrogatus an libros, qui ostendebantur, scripsisset, annuit Lutherus; expostulatus ut retractaret, petiit deliberandi moram. Concessum ei est ad diem posterum. Quo die, 18 Aprili, suam doctrinam defendit, acerbissima oratione invec-

---

[1]) Dr. M. Luthers Freundschaft mit Ulrich v. Hutten. Der Katholik, 1890, II, p. 325 sqq.

[2]) Acta Lutheri in comitiis Wormat. ed. *Policorius*, Vitebergae 1546. *Hausrath*, Aleander und Luther auf den Reichstag zu Worms, Berlin 1897.

tus est in tirannos Ecclesiae noluitque errores suos confiteri. Cochlaeo interroganti: „an tibi revelatum est?" post brevem moram respondit: „mihi revelatum est" [1]). Tum Carolus V dolere significavit, se non prius contra Lutherum egisse, dixitque velle se throni vitaeque periculum adire pro religionis incolumitate ac haeresis exstirpatione. Die 26 Majo subscripsit *Edicto Vormatiensi*, quo acerrimis verbis Lutherus proscribebatur ejusque scripta mandabantur exurenda; quod factum est Vormatiae 29 Majo. Si excipis Belgium, ditionem principum Habsburgensium et nonnullorum principum ecclesiasticorum, nullibi fere jussa edicti exsecutioni mandata sunt. Dolo principis sui Lutherus ipse proscriptioni ereptus est. Scripsit Francofurto: „sino me occludi et abscondi, equidem nescio in quo loco. Ad breve tempus silendum et patiendum est." Fredericus dux Saxoniae mox, post fingentem fugere, equites misit, qui simularent se illum comprehendere, sed tutum ducerent in castellum Wartburg. Disseminatus continuo rumor est, eum crudelissime trucidatum ejusque cadaver in montium concavis inventum. Tutus degebat in sua insula „Patmos," nomine equitis Georgii vocatus [2]).

---

§ 138. Lutheri adjutores et opera. Comitia Norimbergensia.

Janssen, II Bd. p. 198—623. *Schade*, Satiren und Pasquillen aus der Reformationszeit, Hannover 1856 sqq. B. I—III. Thesaurus libellorum (300) hist. reform. illustrantium, Leipzig 1870. *Jörg*, Deutschland in der Revolutionsperiode (1522—1526), Freiburg 1851. *Redlich*, Der Reichstag von Nürnberg 1522, Leipzig 1822.

1⁰. Dum Romae nondum finis deliberandi erat, Lutheri defectio ab Ecclesia, jam dudum perfecta, quotidie clarius in luce collocabatur. Aliam tamen omnino viam ingressa est commotio, cum Lutherus se adjungeret ad humanistas, Ecclesiae inimicos, et ad nobiles, rerum evertendarum cupidos. Huma-

---

[1]) Lutherum dixisse: „hic sto, non possum aliter, Deus adjuva me. Amen" fabula est. *Gruner* in Forsch. z. Deutschen Gesch. 1886, p. 141 sq. scribit eum dixisse tantum: „Deus adjuva me. Amen."

[2]) *Förster*, Luthers Wartburgjahr, Halle 1895. Theol. Stud. u. Krit. 1897, p. 271 sqq.

nistae, nutriti in pugna, non minus erant sermone quam calamo periti. Sicut antea pro Reuchlin, ita nunc pro Luthero parati erant omni sua arte ac scientia intercedere. Atque sic factum est ut certamini, initiis mere theologico, alia prorsus indoles fieret. Caput horum dimicantium fuit Ulricus de Hutten[1]). Is homo seditiosus, prius controversiam tanquam inanem monachorum litem miserans despexerat. Attamen, absoluta disputatione Lipsiae, intellexit quantum iste monachus sibi posset prodesse. Ab eo tempore Lutheri causam suam fecit (1520). Hutteni dialogus, cui titulus: *Vadiscus* vel *Trinitas Romana*, odio in res Romanas et furore aestuat. Romanistas vocat „vermes giganteos, sanguinem sitientes." „Quodsi Germania inopia laborat, Turcis mandari debet ut vindictam sumant de Roma. Id ingens horreum est, quo universi orbis opes comportantur. Ibi medius sedet insatiabilis curculio. Numquid Germani desistant ad arma se conferre et impetum facere ense et igni?"[2])

2⁰. Anno 1519 Hutten se suamque causam jam copulaverat cum Francisco de Sickingen († 1523)[3]). „Sine caede aut sanguine, sic scripsit, consilia nostra persequi non poterimus." Post sparsos libellos suos adversus Papam et sacerdotes, quos sicarios et latrones vocabat, spes ei fuit fore ut hospes suus Franciscus militibus 100.000 imperitaret. Anno 1522 credebatur instare ingens atque universa subversio. Die 13 Augusto ejusdem anni „associatio fraterna" adversus principes inita est a viris nobilibus Rhenanis, quorum coryphaeum se fecit Franciscus. In animo fuit expugnare primum Augustam Trevirorum, ut facilius dein terra Chattorum (Hessen) occuparetur. Spem vero statim exitus fefellit. Munitionibus satis instructa erat Augusta Trevirorum, ut obsidioni resisteret, donec copiosus exercitus e finibus Palatinis, Chattorum et Trevirorum temerarium equitem in fugam verterit. Qui horrendam vindictam sumpsit de monasteriis et ecclesiis. Postero anno iterum a foederatorum copiis victus, in castello *Landstuhl* obsidione clausus,

---

[1]) *Strauss*, Ulrich von Hutten, tom. 3. Leipzig 1858—1860.

[2]) *Werckshagen*, Luther und Hutten. Eine hist. Studie über das Verhältnis Luthers zum Humanismus in den Jahren 1518—1520, Wittenberg 1888.

[3]) *Ullmann*, Franz von Sickingen, Leipzig 1872. *Vogt*, Die Vorgeschichte des Bauernkrieges, Halle 1887. Der Katholik 1877, Juliheft.

graviter vulneratus, confestim deditione facta mortuus est. Factiones nobilium Rhenanorum et Francorum exstinctae eorumque castella deleta sunt. Hutten, in Helvetiam fugatus, mox in insula Ufnau, in lacu Tiguri, vita functus est.

3°. Stabant cum Hutteno humanistarum[1]) aliorum magnus numerus, qui non ad ejusmodi violenta progredi cupiebant. Principem locum occupabant Erfurtiani: Mutianus, Justus Jonas et Eobanus Hessus, qui Lutherum „novum Herculem", „alterum Paulum" salutabant. Qui habitabant Augustae Vindelicorum, Argentorati, Schlettstadii, Basileae et Tiguri, quaecumque gravia pro Lutheri causa ferre parati, „eum adorabant, ejus scripta venerabantur maxima admiratione" populique venerabundam misericordiam concitabant erga reformatorem vexatione exagitatum. Gravissimus tamen Lutheri commilito factus est **Melanchton** (1497—1561)[2]), cui proprie nomen fuit Philippo Schwarzerd. Licet una arte philologica excultus, celeber theologus Lutheranismi effectus est. Major tamen in ejus scriptis elucet venusti sermonis gratia quam claritas et acumen argumentationis. Indole sua tranquillas placidasque partes agebat, quibus opponebatur intemperantiae ac ferociae Lutheri. Jam anno 1521 edidit suos „locos communes[3]), qui continent systema doctrinae Lutheranorum, a Luthero ipso immortalitatis laude ornati, dignique habiti, qui in canonem S. Scripturae insererentur. Ad mortem usque Melanchton in fide magistri mansit atque una cum ipso internam constitutionem Lutheranismi exegit. Licet in finibus Germaniae vix auctorem invenias, qui adeo labefactaverit pietatem erga S. Sedem, ludificaverit S. Scripturam, irreverenter locutus sit de scriptoribus inspiratis Veteris ac Novi Testamenti, sicut **Erasmus**[4]), eo tamen quod Lutherus libertatem arbitrii nega-

---

[1]) *Baudrillart*, l'Eglise catholique, la renaissance, le protestantisme, Paris 1904. *Evers*, Das Verhältniss Luthers zu den Humanisten, Rostock 1895. *Zweynert*, Luthers Stellung zur Humanistischen Schule und Wissenschaft, Chemnitz 1895.

[2]) Vide superius § 135.

[3]) *Plitt*, die Loci communes Philipp Melanchtons, 3 Aufl. von *Kolde*, Leipzig 1900.

[4]) Opp. Omnia, ed. Lugd. Bat. 1703—1706, tomi 10. *Stähelin*, Erasmus' Stellung zur Reformation, Basel 1873. *Kalkoff*, Arch. für Ref. Gesch. I, Heft 1, Berlin 1903.

ret, propterea ab eo recessit. Alii multi, nobiliore ingenio quam Erasmus, reformidantes tristissimos eventus, qui consequerentur Lutheranam commotionem, resipuerunt, discedentes ab haeretico seditioso, qui humanam mentem *bestiam* vocabat. Inter quos Albertus Dürer, Reuchlinus, Jacobus Wimpheling et Ulricus Zasius.

4°. Praecipuam opem et amicitiam invenit Lutherus apud **apostatas sacerdotes et monachos.** Major pars eorum aufugerant e monasteriis Augustinianorum, quae fere omnino deserta facta sunt[1]). Ecclesiam persequebantur isti non minore odio quam Lutherus, cui multam quidem operam praebebant, saepius tamen ansam dederunt vehementer de eorum corruptis moribus conquerendi. Urbanus Rhegius, Brunsvicensis reformator, Benedictinus fuerat. Infamis Butzer[2]), deserto ordine Dominicanorum, plurimum pro novo Evangelio laboravit, praesertim Argentorati. Ex ordine Franciscanorum apostatarunt Myconius, Eberlin de Günzburg, Lambertus, quem habebat adjutorem praecipuum Philippus comes Hassiae, et Stephanus Kempen, qui Hamburgum sectae adjunxit. Capito, praepositus canonicatus S[t] Thomae, praedicavit novam doctrinam Argentorati. Duo quoque episcopi, apostatae facti, haeresin propagandam curarunt: Joannes de Polenz, Samlandiae et Erhard de Queis, Pomesaniae episcopi.

5°. Nonnulli e Lutheri sectatoribus confestim ejus principia de interpretandis Scripturis in usum ducebant, conclusiones inde eruentes, quae, ingratissimae Luthero, novo Evangelio minime faverunt. Cygneae (Zwickau), in electoratu Saxonico, duce **Thoma Münzer**[3]), anno 1521 opifices prodierunt, qui se prophetas appellabant, conatique sunt novum regnum Dei constituere. In quo, praeside Münzer, apostoli 12 et discipuli 72 creandi, nulla civilis auctoritas, cultus nullus ac nemo esset, „qui quidquam rerum suarum suum diceret." Facile intelligitur

---

[1]) *N. Paulus*, Der Augustiner-mönch J. Hoffmeister, Freiburg 1891. *Hefele-Hergenröther*, IX, 309.

[2]) *Stern*, M. Butzer. Ein Lebensbild, Strassburg 1891. *Paulus*, in Der Katholik 1891, II, 44 sqq.

[3]) *Köhler*, Thomas Münzer und seine Genossen, Leipzig 1846. Cf. Hist. Pol. Bl., VII, 236—256; 310—320. *P. Wappler*, Thomas Münzer, in Zwickau und die Zwickauer Propheten, Zwickau 1908.

urbis senatum ejusmodi prophetas ejecisse. Nonnulli ejecti venerunt Wittembergam ibique eodem modo vitam instituere volebant. Primum civitas „papismo" purganda. Duce Carolostadio, qui se iis adjunxerat, iconoclasia facta est. Scholas omnes abolevit, laicos praedicatores novi Evangelii constituit, et paucis diebus urbem tumultu ac rebellione perturbavit. Inops consilii Melanchton hominum ferocium agitationem Luthero nuntiavit, qui dissuadente suo principe e castello Wartburg profectus, Wittembergam properavit (Martio 1522). Octo dies perpetuos praedicavit contra prophetas, provocans iterum atque iterum ad *Epistolam Jacobi*, fidem sine caritate nihil valere, ne umbram quidem verae fidei esse, objurgavitque omnibus, qui, non petita sua venia, talia patrare ausi essent[1]). Magistratus auxilio fuerunt. Carolostadius exsulare coactus, nusquam non a potente reformatore exagitatus, errabundam vitam degit, donec anno 1541 Basileae mortuus est. Münzer vero perrexit praedicare in Thuringia regnumque Dei iterum instituit in civitate Mühlhausen, bello rusticanorum interfuit ac demum sincere conversus carnificis manu periit (1525).

6⁰. Jam probe Lutherus intellexerat quo ducerent sua principia, sed diabolum increpabat, qui opus suum destruere voluisset. Sed etiam hoc ei perspicuum, sibi longius procedendum, si dux commotionis manere vellet. Quapropter laudavit monachos Wittembergenses apostatas, qui Missam abrogarant altariaque everterant, ac capituli Kembergensis praepositum Bernardi, qui primus omnium uxorem duxerat. Multi, Luthero approbante, eodem usi sunt consilio; in his Carolostadius et Albertus Brandenburgensis, magister generalis ordinis Teutonici. Lutherus ipse mox secutus: deposita, anno 1524 exeunte, veste religiosa, 13 Junio anni 1525 duxit **Catharinam de Bora,** monialem apostatam e monasterio Cistertiensium Nimptschen. Dum ipse id pie et sancte factum laudabat, Melanchton hoc matrimonium intempestivum vocavit, maturatum per commercium cum religiosis apos-

---

[1]) *Fischer*, Zu den Wittenberger Unruhen 1521—1522. *F. von Bezold*, Luthers Rückkehr von der Wartburg. Zeitschrift für Kirchengeschichte XXIII (1902), 615 sqq.; XXI (1900), 186 sqq.

tatis[1]). Cum Lutherus nuptias suas celebrandas nuntiaret, simul addidit in Franconia 10.000 in Wurtembergia 6000, in Suevia 11.000, in Alsacia 20.000 rusticanos bello cecidisse. Quapropter Erasmus dixit, sibi visam tragoediam Lutheranam in comoediam versam[2]).

7°. Plus momenti quam amici ac sectatores, initio reformationis habuerunt **scripta Lutheri.** Exemplum sibi sumpsit Ulricum de Hutten, a quo non solum liberiora sua principia, verum etiam non raro verba mutuavit. Fretus auxilio Schaumburg et Sickingen, protervus redditus est, Scripsit 10 Julio 1520 ad Spalatinum: „A me quidem, jacta mihi alea, contemtus est Romanus furor et favor: nolo eis reconciliari nec communicare in perpetuum: damnent exurantque mea. Ego vicissim, nisi ignem habere nequeam, damnabo publiceque concremabo jus pontificium totum, id est, lernam illam haeresium: et finem habebit humilitatis exhibitae hactenusque frustratae observantia, qua nolo amplius inflari hostes Evangelii"[1]); et die 3 Aug. 1520 ad Joannem Voigt, Augustinianum: „Franciscus Sickingus per Huttenum promittit tutelam mihi contra omnes hostes. Idem facit Silvester de Shaumberg, cum nobilibus Francicis... Nihil timemus amplius, sed jam edo librum vulgarem contra Papam de statu Ecclesiae emendando: hic Papam acerrime tracto et quasi Antichristum"[3]). Mense Augusto 1520 is liber millibus exemplaribus spargebatur, inscriptus: „*Ad nobilitatem christianam nationis Germanicae*"[4]). Tribus moenibus, inquit Lutherus, Roma circumdedit Ecclesiam: discrimine inter sacerdotes et laicos, jure Ecclesiae in interpretanda S. Scriptura, et jure Papae in convocandis synodis generalibus. Haec moenia paleacea et chartacea evertenda dicebat. Insuper postulabat ut Germaniae primatus institueretur Moguntiae, dein ut abrogarentur dies festi, peregrinationes, jejunia et caelibatus. Ut imperatoris et nobilium animos sibi conciliaret, voluit ut canonicatus darentur filiis nobilium,

---

[1]) Der Katholik, 1900, I, 385: „Opus Dei pium et sacrum.... Os obstruxi infamantibus me cum Catharina Borana." Cf. *de Wette*, III, 2—3.

[2]) Epistolam Melanchton ad Camerarium, de matrimonio Lutheri, vide Der Katholik, 1900, I, 385 sqq. *Simon Lemnius*, Les noces de Luther ou la monastropornomachie, Paris 1893. *Thoma*, Katharina von Bora, Berlin 1900.

[3]) De Wette, Epistolae, I, 466, 469, 475.

[4]) Editio *Benrath*, Hallae 1884, cum notis: Opera Lutheri, Weimar, VI, 381 sqq.

ditio Apostolicae Sedis ac feudum Neapolitanum imperatori. Populo blandiebatur invehendo acriter in feneratorum, luxuriosorum et corruptorum hominum vivendi rationem, atque ita fautores ecclesiasticae subversionis innumeros sibi lucratus est. Hostilis populi animus adversus Romam crescebat in dies. In eandem fere sententiam paulo prius (20 Junio 1520) rescripserat ad *Epitoma responsionis*[1]) Silvestri Prieriatis. Ad quod opus Lutherus addidit *praefationem*, *additamentum* et *adnotationes*," praedicans Antichristum Romae sedere in templo Dei, curiam Romanam esse synagogam satanae. Graecos Bohemosque beatos dicebat eo quod ad Romam non pertinerent. „Si fures, inquit. furca, si latrones gladio, si haereticos igne plectimus, cur non magis hos magistros perditionis, hos cardinales, hos Papas et totam istam Romanae Sodomae colluviem, quae Ecclesiam sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, et manus nostras in sanguine istorum lavamus?"[2])

8⁰. Annum, quem Luther degit in castello Wartburg, impendit scribendis quae interna sectae institutio postularet. In his scripsit *de abroganda missa privata*[3]), quo opere animum addit instructionibusque auxilio est iis ordinis sui apostatis, qui Missam abrogaverant. Edidit exinde quoque librum *de votis monasticis*[4]), quo vota religiosa damnavit, fecitque ut innumerabiles viri ac mulieres e monasteriis exierint. Ibidem coepit componere opus suum princeps, *Germanicam versionem S. Scripturae*[5]). Novum Testamentum ibi perfecit ediditque mense Septembri 1522; Vetus vero Testamentum per partes emissum est, ab anno 1523 ad 1534. Quo ultimo anno, auxiliantibus Melanchton, Bugenhagen, Jona, Aurogalla, Kreuziger, Lutherus universam S. Scripturam edidit[6]). Quod opus

---

[1]) Ed. Jen. I, p. 62b—69a.

[2]) Ibd. 68b. Fere delirans prius scripserat: „Romanensibus, *Nimrothis*, *Ismaëlitis*, *sanguisugis*, *Sybaritis*, *Zodomitis*, *Antichristis*, orbem totum fictis verbis seducentibus, modus aliquis ponatur."

[3]) Ed. Jen. II, p. 441a—468a.

[4]) Ed. Jen. II, p. 477b—515a.

[5]) *Riehm*, Theol. Studien und Kritiken, 1884, p. 293—322. *Vigouroux*, Dictionnaire biblique: Allemandes (Versions), Version de Luther, p. 376 ss.

[6]) Inscriptam *Biblia, d. i. de gantze heilige Schrifft. Deutsch, Mart. Luth. Wittenberg M. DXXXIV.* Luthero vivo decies haec versio edita; ad annum 1580 tricies octies; editiones N^i^ Test^i^ 72, posteriores innumerabiles.

non solum magni momenti fuit linguae Germanicae excolendae, verum etiam plurimum ad propagandum protestantismum contulit. Versio non ad litteram, sed ad idioma Germanicum confecta est. Sermo lucidus, vividus, varius, nobilis. Recte tamen Lutheri versio ab Ecclesia damnata est. In libro *Job*, *prophetis* et *epistolis* saepe, quid verba valeant, non intellexit. Judice W. Grimm[1]) non satis calluit linguam Hebraicam, imo vero nec Graecam. Saepius erravit. Quod jam vidit Hieronymus Emser[2]) ac multo posterius Chr. C. J. von Bunsen[3]). Major quidem errorum pars non valde damnosi erant, nonnulli tamen graviter doctrinae Ecclesiae repugnabant. Sic e. g. in epistola S. Pauli (Rom. III, 28): *Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis*, post *fidem* verbum *solam* inseruit. *Epistolam S. Jacobi*, sibi molestam, „*vere paleaceam*", e canone suo expunxit.

9°. E castello Wartburg profugus, Lutherus seditiose loquendi rationem resumpsit minitandoque principibus bellum civile, tanquam ensem „capitibus impendentem", monstravit. Mense Julio 1522, libello „*Adversus falsum statum clericalem Papae et episcoporum*" evocavit christianos probos omnes ut episcopos „nuntios et vicarios diaboli" expellerent. Filios Dei et vere christianos dixit debere, corpore, bonis et honore suo regnum episcopale exstirpare. Libello *De principatu laico* (1523) scripsit nefas esse ut sit christianorum superior. Principes vocavit omnium hominum stultissimos et nequissimos, quorum tyrannidi finem imponere vult Deus.

10°. Leoni X interea (1522) defuncto successit **Adrianus VI** (1522—1523)[4]). Natus Ultrajecti 1459, litteris et scientiis in-

---

[1]) Kurzgefasste Geschichte der Lutherischen Bibelübersetzung, Jen. 1884, p. 35—36.

[2]) Auss was Grund und Ursach Luthers Dolmatschung dem gemeinen Mann billich verbotten worden sey. Leipzig 1538.

[3]) *F. Nippold*, Chr. C. J. von Bunsen, Leipzig 1871, T. III p. 483.

[4]) Cf. prae ceteris *Pastor*, IV, 2, p. 1—157, Freiburg 1907. *Domarus* Die Quellen zur Geschichte des Papstes Hadrian VI (Hist. Jahrb. des Görresver., 1895, p. 70 sqq.). *Pieper*, ibd., p. 777 sqq. *C. v. Höfler*, Hadrian VI, Wien 1880. *Burmann*, Hadrianus VI, Trajecti ad Rhen. 1727. Hic liber continet vitas tres, a tribus ejusdem aetatis hominibus conscriptas: *Paulo Giovio*, *Moring* et *Ortiz*. Cf. etiam *Gachard*, Correspondance de Charles V et Adrien VI, Bruxelles 1859. *Reusens*, Syntagma doctrinae theol. Adriani VI, Lovanii 1861. Anecdota de vita et scriptis Hadriani VI, Lovanii 1862. *Marchesi*, Papo Adriano VI, Verona 1882.

cubuit Lovanii, factus est ibidem professor et rector, deinde Caroli V praeceptor, et episcopus Dertusanus, demum imperatoris vice Hispaniae praeses. Nullus unquam Papa meliora consilia in animo habuit. Vigebat in curia simplicitas et disciplinae severitas. Multorum levitati id minime placuit. Romanis, Alexandro VI, Julio II, Leoni X assuetis, ad haec transire nimis arduum fuit. Adriani VI parcimoniam avaritiam vocabant; mores, viro ecclesiastico digni, sed adversantes humanismo Leonis X, rusticitati tribuebantur, et inductam ab eo reformationem angusti animi indicium dicebant. Recte Adrianus malorum omnium causam esse prolapsam Ecclesiae disciplinam censebat. Quamobrem in hoc institit ut synodus generalis cogeretur. **Comitiis Norimbergi** coactis (1522—1523)[1], Chieregati Papae legatus id obtinere ab ordinibus conatus est. Confessus clericorum peccata in causa esse cur Ecclesia impugnaretur, promittensque fore ut abusus in curia Romana tollerentur, petiit ut ne permitterentur haeretici pro arbitrio machinari. Fidem tamen sibi facere non potuit. Maximam quidem partem principes ipsi cum Luthero non consentiebant, at illorum fere omnes consiliarii ei adhaerebant, ita ut omnia consilia irrita sint facta. Statutum in comitiis est ut Lutherus *ejusque sectatores silerent donec concilium cogeretur*, *ut Evangelium praedicaretur ex interpretatione Ecclesiae*, *ut monachi apostatae omnes et clerici uxorati spoliarentur libertatibus*, *privilegiis et beneficiis suis*, et ut magistratus saeculares tutarentur clericorum auctoritatem[2]. At harum rerum nihil est ad effectum perductum. Ipsum imperium, inde a 1521 Norimbergae sedens, haec statuta infregit, infringique a quovis id volente permisit. Lutherus ipse nihili faciebat mandata. Per ludibrium scripsit de cultu *S. Bennonis Meissenii*, hortatusque est socios ordinis Teutonici ut uxores ducerent et bona ecclesiastica inter se dividerent. Hoc unum comitia effecerunt ut decreta Vormatiensia (1521) ad irritum ceciderint, et resumpta sint **gravamina nationis Germanicae**[3]. Inde a synodo Basileensi hoc nomine designabant, quae a S. Sede fieri dicerent ad opprimendum

---

[1]) Deutsche Reichtagsakten. Jüngere Reihe, Bd. III, p. 383—453

[2]) Edictum 6 Martii 1523.

[3]) Editio *Gebhardt*, Leipzig 1895. Cf. Nuntiaturberichte, ed. *Friedensburg*, Gotha 1892, I, 2. p. 341 sqq.

Germaniae populum. Anno 1510 missa fuerant ad Julium II Papam, punctis 10 collecta. Multo majore numero Vormatiae fuerunt prolata (1521); tandem Norimbergae (1522—1523) jam accreverant ad numerum centesimum. Pauca ex his gravaminibus veri abusus dici poterant, multa jam ostendebant novae haeresis efficaciam. Agebatur in iis de excommunicatione, de privilegiis clericorum, de dispensationibus, de proventu indulgentiarum, de casibus reservatis etc. Satis inhumane divulgata sunt gravamina priusquam ad Papam essent missa. Is repudiavit, voluitque ut per imperii magistratus res tractaretur. Quod recusarunt Germani, atque inde in posterioribus imperii comitiis identidem de *gravaminibus* actum est.

11°. Prae ceteris id factum in **comitiis Norimbergensibus** 1524. Praemature obierat Adrianus VI. Qui ei successit **Clemens VII**[1] (1523—1534) fuit e gente Medicea, nepos Leonis X. Adrianum imitatus, aliquamdiu in ancipiti mansit inter partes Caroli V et Francisci I, conatusque est negotia Germanica ad pacis exitum perducere. Legato suo Campegio commendavit ut conaretur comitia propellere ad exsecutioni mandanda decreta edicti Vormatiensis. Inclinabantur ad haec principes, civitates vero acriter obluctabantur, quod dicerent, inde oriundas turbas, reluctantium pugnas ac caedes. Latum demum edictum est, quo conciliarentur partes. Summa haec fuit: *e praescripto imperatoris edictum Vormatiense servandum esse quoad ejus fieri posset; omnes desiderare synodum generalem; de controversiis autem fidei decretum synodi non esse exspectandum, sed conventum, in diem* 11 *Novembrem Spiras cogendum, de iis acturum et decreturum.* Nemini hoc decretum satis fuisse patet. Confestim legatus et postea Papa ipse reclamavit, conventui Spirensi jus non esse dicendi sententiam „de synodis oecumenicis et SS. Patribus." Feliciter contigit ut congressi non sint. Jam antequam vetuisset (15 Julio 1524) imperator, ne

---

[1]) *Balan*, Clemente VII e l'Italia de' suoi tempi, Milano 1887. *Idem*, La politica di Clemente VII fino al sacco di Roma, Roma 1884. *Ranke*, Die römischen Päpste, IX Aufl., Leipzig 1889, I Bd., p. 82. *Ehses*, Die Politik Clemens' VII bis zur Schlacht von Pavia (Hist. Jahrb., 1885, p. 557 sqq.; 1886, p. 553 sqq.). *Claretta*, Carlo V e Clemente VII, Torino 1893. *Janssen*, Geschichte des Deutschen Volkes, XVII–XVIII Aufl., III Bd., p. 1 sqq.; p. 139 sqq. Praesertim *Pastor*, IV, 2, p. 157 sq.

iste conventus cogeretur, effecerat legatus Campegio (6 Julio 1524) ut iceretur *pactio Ratisbonensis*, qua Ferdinandus archidux, Gulielmus et Ludovicus Bavariae duces et episcopi Germaniae meridionalis 12 convenerunt, se accurate servaturos *edictum Vormatiense*, suppressuros quaecumque scripta haeretica, et salutarem in omnibus reformationem effecturos. Quamobrem ediderunt *Constitutionem ad removendos abusus* et *ordinationem ad vitam cleri reformandam*[1]).

Decreta autem Norimbergensia nemini minus placuerunt quam Luthero. Ira furens, ea edidit cum *praefatione* et *conclusione*, in quibus conviciis imperatorem et principes insectatus est, eos homines mendaces et feras bestias compellans; hortatus est ne populus contra Turcas pugnare vellet, „qui decies sapientiores probioresque" essent; demum precatus est ut Deus populum liberaret eique, misericordia motus, alios daret rectores. Atque iste homo declarabat „se nullatenus populum incitasse ad seditionem adversus superiores ecclesiasticos et saeculares."

---

§ 139. Bellum rusticanorum.

Janssen, Geschichte des Deutschen Volkes, II Bd. (XVII—XVIII Aufl. *v. L. Pastor*), p. 419—623. *Schreiber*, Der deutsche Bauernkrieg. Gleichzeitige Urkunden, Freiburg 1863 sqq. III Bde. *Baumann*, Akten zur Geschichte d. deutschen Bauernkrieges aus Oberschwaben, Freiburg 1881. *Schreckenbach*, Luther und der Bauernkrieg (Diss.), Oldenburg 1895. Der Katholik, 1877. Hist. polit. Blätter, 1840, Bd. VI—VII.

1⁰. Assidue moliebantur subversionem ecclesiasticam, nec comitiis nec decretis ullo modo impediti. Celerrime nova doctrina dimanavit, et morum corruptela, jam pridem gravis in clero et populo, perpetuo ingravescebat. In Saxonia admodum deficiebat fides pristina. In Mecklenburgia et Pommerania nova doctrina tuta erat ducum praesidio. Borussia industrie praeparabatur ad eliminandam Ecclesiam. Philippus comes Hassiae jam acri studio „Evangelio" adhaerebat. Ludo-

---

[1]) *Dittrich*, Hist. Jahrb. der Görresges., Bd. V, p. 355 sqq.; 382 sqq. *Janssen-Pastor*, II, 360 sqq.

vicus Palatinus „purum verbum Dei" ubique praedicandum curabat, et Ludovicus Bipontinus cultum populique instructionem ad doctrinam Lutheri adigendam mandarat. Creberrime grassabatur nova doctrina per civitates imperii, quae litigantes cum episcopis, cleri auctoritatem pessumdari libenti animo sinebant. Solemni frequentia obviam procedebant praedicatoribus, bonum nuntium afferentibus. Qui, saepius dissentientes inter se, sicut Lutherus cum Carolostadio, acriter jurgando male populi pietatem promovebant. Quae lites ut amoverentur, congressi sunt Spirae civitatum legati (Julio 1524), decreveruntque ut haberetur disputatio praedicatorum, praesidente consilio civitatis, cujus esset decernere *apud quos esset verum Evangelium.* Provocabant ad Lutherum, qui jam anno 1523[1]) dedisset communitatibus jus judicandi de doctrina et facultatem praedicatores creandi et amovendi.

2⁰. Perturbatio autem ordinis non stetit in rebus ad cultum divinum pertinentibus, sed mox ad vitam hominum socialem subvertendam progressa est. Quae Wiclefus seditiosa docuerat, a Joanne Hus in Bohemia fuerant promulgata et ab hujus fautoribus exsecutioni mandata. Inde exorta est, in terra quondam pace bona florente, abominatio desolationis[2]). Quae Hussitorum commotio etiam per Germaniam manavit. Fuerunt non solum in finibus Austriae et Bavariae, sed etiam in Franconiae, Saxoniae, Silesiae, imo vero etiam intra terminos ordinis Teutonici, qui feroci isti haeresi adhaererent. Unde, saeculo XV et ineunte saeculo XVI, plures in Germania concitatae sunt seditiones (1431, 1476, 1478, 1486, 1491—1492, 1493, 1502, 1513, 1514)[3]). Eae quasi prodromi fuerunt perturbationis illius ingentis, quae anno 1525 prorupit, ita ut, etiamsi Lutherus machinatus non esset, timendum fuerit ne populorum fremitus tamen ad turbas et seditiones esset progressa. Quod autem fuit ea perturbatio adeo *universalis ac supra modum horrenda*, id confusioni religionum a Luthero inductae tribuendum est. Quo tempore is in Ecclesiam insurrexit, dominabatur in finibus Germaniae luxus, intemperantia, efferata in populo naturae immanitas,

---

[1]) *Janssen,* II, 391 sqq.

[2]) Cf. supra § 123.

[3]) *Vogt,* Die Vorgeschichte des Bauernkrieges, Halle 1887.

feneratorum sordes, minorum mercatorum oppressio per majorum consortia et monopolia, discordiae inter nobiles et proletarios, inter agrorum dominos et agricultores ab iis oppressos. In quam massam, concipiendo igni aptissimam, Lutherus ejusque praedicatores faces seditionis jaculati sunt. Primum annuntiatus est ab iis, tanquam allati „Evangelii" conditio, annus jubilaei Mosaici, quo debita omnia condonarentur. Plebs deinde, haud parum audax facta, partim etiam per scripta Lutheri commota multa alia postulabat. Concurrente faece populi, honestiores compulsi sunt sequi. Proletarii urbani, rusticani nobilesque invicem sociabantur. E clericis inferioribus etiam haud pauci iis adjuncti. Re et facto certatum est pro nummis et voluptatibus, in speciem pro „puro Evangelio", quod seditionis et scelerum omnium turpitudinem tegeret.

3⁰. Ferocis tragoediae quasi legem confecerant *capitibus duodecim*[1]) vel potius postulatis: parochus ab ipsis eligendus; ab eo „purum Evangelium" praedicandum semotis humanis additamentis; pecudum armentorumque decimae abrogandae; tributo liberandus venatus, piscatus et lignatio; agri omnes clericorum et laicorum, praeter emptione comparatas, communitatibus reddendae[2]). Quae omnia ancipiti sermone fuerant expressa, ita ut „e verbo divino" et „jure divino" pro arbitrio exigerent quae vellent. Simili modo confecti sunt *articuli decem* pro reformatione Ecclesiae et imperii, quibus delineata erat respublica democratico-socialistica, praeside imperatore, cujus tamen nulla esset auctoritas. Praeterea jam statim ab initio seditio induit characterem formamque belli sacri. Etenim „purum Evangelium" non solum praedicandum, sed etiam moribus vitaque exprimendum. Quare monachi et clerici, nisi apostatarent, trucidandi, monasteria ecclesiaeque evertenda exurendaque. In quibus omnibus provocatum ad Lutherum est, qui vehementissimis haec verbis et scriptis commendarat.

4⁰. Initium cepit seditio in Suevia (23 Junio 1524), mox exar-

---

[1]) Quis fuerit capitum auctor, in comperto non est. Cf. *Janssen-Pastor*, II, 475, not. 1.

[2]) *Götze*, Die 12 Artikel der Bauern von 1525, in Hist. Vierteljahrschr., Leipzig 1901, p. 1 sqq.; 1902, p. 1 sqq.; 1904, p. 53 sqq. Cf. Hist. Zeitschr., 1903, p. 1 sqq.

sura per omnem fere Germanicum agrum. Münzer aliique commotionis duces fuerunt. In Wurtembergia Ulricus comes caput fuit. Rusticanorum ope sperabat se comitatum recuperaturum. Inde prorupit perturbatio in fines Algavios, Tirolios, Alsatios, Thuringicos et in Moeni fluvii oras. Sola Bavaria, regime forti administrata, quieta mansit. Ex ipsa rei natura consequitur multos Lutherum designasse turbarum auctorem. Probe sibi conscius, quantam cladem „pro Evangelio" seditio inferret, scripsit *Commonitionem ad pacem, ad capita* 12 *rusticanorum in Suevia*[1]). Omnem culpam a se et a puro Evangelio[2]) abjecit, dixitque inimicos suos, „prophetas caedium", plebem ad seditionem commovisse. Dein insectatus est principes, „episcopos obcaecatos", „papistas et monachos insanos", dignos seditionis mercede, quod „Evangelio sancto" obstitissent, tributa immoderate exegissent, luxuriae et superbiae indulsissent. Quo sermone, ferociae rusticanorum nova vis est addita. Parum juvit Lutherum dein mandasse, ut etiam pravis rectoribus parerent, bonam causam justis adminiculis, non rapina et caede, propugnarent. Perrexerunt rusticani depopulari universam terram Germanicam. Immensam calamitatem intulit, qui vocabatur „exercitus Evangelicus", cujus ferox iste Georgius Metzler, dein homo saevus Götz de Berlichingen duces fuerunt. Quocumque pedem inferrent, trucidatorum cadavera, ruinae fumantes, egestas relicta. Arces, castella, capitula, monasteria fere 1000 numero, direpta, flammis diruta, sceleribus inauditis repleta[3]).

5⁰. Interea principes pararant arma. Philippus Hassiae comes, Georgius Saxoniae, Henricus Brunsvicensis duces, aliique nonnulli minores principes convenerunt. Ingenti clade, die 15 Majo 1525, rusticani, prope Frankenhausen, perculsi et deinde undique victi sunt. Crudelissime cum victis actum est. Amplius 150 millia rusticanorum perierunt, fere 50 millia exierunt patria sua, bonis suis spoliati. Tum iterum Lutherus ad

[1]) *Janssen-Pastor*, II, 519.

[2]) Vide *P. Schreckenbach*, Luther und der Bauernkrieg. Dissertation, Oldenburg 1895. Cf. *Janssen-Pastor*, notam 2, p. 519—521.

[3]) *Cardauns*, Die Lehre vom Widerstandsrecht des Volkes gegen die rechtmässige Obrigkeit im Luthertum und Calvinismus des XVI Jahrhunderts. (Dissert.), Bonn 1903.

scribendum se contulit: *adversus rusticanorum manus, caedis et rapinae cupidas.* Perfidos, perjuros, mendaces, dicto non audientes, homines scelestos eos vocavit, qui mortem corporis et animae meruissent. Esse tempus irae et gladii, non gratiae; cuicumque vires sint, esse pungendum, caedendum, strangulandum. Recte post multos annos confessus ipse Lutherus est: „Ego Martinus Luther, seditionis tempore, probando et mandando, rusticanos omnes interemi. Omnis eorum sanguinis culpam in me transfero, sed Deo meo imputo, qui mihi ita loqui mandavit." Diuturnus fuit, post partam victoriam, gladii furor, luctum de bonis irreparabiliter perditis, pauperiem, egestatem famemque cumulans metu necis. Quare horrebant animo indignabundi probi omnes, quum Lutherus kalendis Januariis 1526, *votum novi anni* edidisset adversus Papam, episcopos, presbyteros et monachos. Sicuti sanguinariam Jesabel ita Ecclesiam cum luto platearum esse proterendam dixit, eo quod in orbe terrarum nihil esset ea abjectius. Adhortatus est amicos suos, ut „scriberent soluto sermone et versibus, ut cantarent et pingerent" ad destruendum „genus istud nobile idolorum" quod elidendum et in pulverem conculcandum dixit. Prius jam Melanchton[1]) praedicaverat, principibus esse potestatem infinitam in rusticanos. Etiam vehementioribus verbis idem proclamaverat Butzer, simul iis moderandam religionem tribuens. Mutatis principum sententiis, ipsum quoque „verbum Dei" mutatum iri censebant. Itaque, consummata hac revolutione, populus tum in rebus divinis tum in temporalibus tyrannidi erat obnoxius.

§ 140. Ecclesiarum nationalium constitutio. Comitia.

Janssen-Pastor, Gesch. d. deutschen Volkes, III Bd. (XVII—XVIII Aufl.) Freiburg 1899. *Richter*, Die Evangelischen Kirchenordnungen des 16. Jahrh., Weimar 1846, 2 Bde. *Pastor*, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen während der Regierung Karls V, Freiburg 1879. Baumgarten, Geschichte Karls V, Stuttgart 1885 sqq. 3 Bde.

1°. Subversis, inde ab anno 1520, Ecclesiae fundamentis, deinceps Lutherus omnem auctoritatem ecclesiasticam negavit. Imperatorem, reges et principes excitaverat ad bellum cruentum

---

[1]) *Janssen-Pastor*, II, 620 sqq. Corpus Reform., XX, 641—662.

gerendum adversus Papam et cardinales, „magistros perditionis". Anno 1523 indictum est bellum contra episcopos Germaniae, quos aggredi et concidere Francisco de Sickingen Lutherus mandarat. At, incepto irrito facto, nobilium vires fractae sunt, principum vero imperii auctae. Simili modo, pauco tempore post, compressa populi seditione ecclesiastico-politica, principum imperii potestas increvit. Quo facto Lutherus, qui eos antea vocaverat „homines totius orbis terrarum insanissimos et nequissimos", cum Melanchtone praedicare coepit, eorum auctoritatem terminis non restringi.

Quum antea jus omne et arbitrium de doctrina et cultu tribuisset communitatibus, mox intellexit huic fundamento non posse ecclesiam nec ecclesiaticam institutionem superaedificari. Jam anno 1525 conquestus est, in Germania in rebus fidei esse quot homines tot sententias; nolle alterum baptisma, alterum Eucharistiam; hic alium mundum poni inter hunc et diem extremum, illic doceri Christum Deum non esse etc.; non esse caput adeo hebes ut non somniet, se a S. Spiritu inspirari [1]. Cui effrenatae in rebus fidei licentiae jungebatur scholarum prolapsus, cessatio donationum, atque adeo magistrorum et praedicantium ruina. Consequens fuit ut populus corruptione quasi efferaretur.

2°. Hac urgente necessitate, novae doctrinae duces auxilio arcessiverunt potestatem saecularem ecclesiamque suam fecerunt civitatis ministram. Hoc initium nascendi habuerunt reformationis **ecclesiae nationales** [2]. Principibus, civitatibus imperii et magistratibus potestas facta est non solum regendi coetus ecclesiasticos eorumque bona administrandi, sed etiam, regio arbitratu suo in rebus fidei, nulla alia intercedente auctoritate spirituali, leges ferendi. Quae nova doctrina duplex: potestatem principum in subditos esse infinitam, et ecclesiam subjectam esse civitati saeculari, juncta bonae spei occupandarum Ecclesiae divitiarum, multos principes ad adhaerendum „puro Evangelio"

---

[1] *De Wette*, III, 61. Epistola ad Antverpienses.

[2] *Woltersdorf*, Zur Geschichte und Verfassung der evangelischen Landes-Kirche, Greifswald 1891. *Rieker*, Die rechtliche Stellung der evangelischen Kirche Deutschlands in ihrer gesch. Entwicklung bis zur Gegenwart, Leipzig 1893.

allexit. Statim post subversos rusticanos reformationi nomen dederunt Albertus de Brandenburg, magister generalis ordinis Teutonici, Joannes Saxoniae princeps elector, Philippus Hassiae comes, Casimirus et Georgius comites marchionatus Brandenburg-Culmbach. Philippus, Otto, Ernestus et Franciscus duces Brunsvicae-Luneburg, Wolfgangus princeps Anhalt et Henricus, Mecklenburgiae dux. E civitatibus imperii annis singulis plures novae religioni se dederunt. Etiam ipsae subtraxerunt se episcoporum auctoritati, pendere tributa noluerunt, bona ecclesiastica occuparunt et episcoporum suorum jurisdictionem spiritualem tradiderunt magistratibus saecularibus. Quibus omnibus principibus et civitatibus potestas data est non solum administrandi territorii sui ecclesiam sed etiam, idque praecipue, decernendi in rebus fidei, quid credendum esset, quid respuendum. Unde orta formula: *Cujus regio, ejus et religio*, qua quod vocabatur *jus reformandi* circumscriptum est. Lutherus autem, qui hac agendi ratione tragoediae suae ecclesiasticae personas primarias principes constituerat, inde ab anno 1525 magis e publico recessit. Insectatus antea furibundus „tyrannidem Romanam'', nunc totidem habebat papas, tot intemperanti arbitratu dominantes tyrannos, quot erant in imperio principes[1]). Qui, haud morati, data sibi facultate sunt usi; imperatore occupato in Italia (1525—1529), purum Evangelium vi intruserunt, monasteria et canonicorum instituta aboleverunt, in clericorum catholicorum locum praedicantes collocaverunt, pristinis pastoribus ovibusque optionem dantes apostasiae aut exsilii.

3⁰. Mense Martio 1526 Carolus V imperator scripsit ad archiepiscopos Coloniensem et Bremensem, ad episcopos Monasteriensem, Mindanum et alios decem, ad principes e gente Wittelsbach, ad Joachimum de Brandenburg, ad duces Brunsvigae, Lunaeburgae, Pommeraniae, Meklenburgiae et Juliaci Cliviae—Montensis. Gratias iis egit, quod fuissent in fide stabiles, promisitque brevi se cum iis consilia collaturum ut Germaniae aerumnis mederentur. Quae concepta

---

[1]) Melanchton conquestus est: Video enim qualem simus habituri Ecclesiam, dissoluta πολιτεία ecclesiastica. Video postea multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea umquam fuit. Corp. ref., II, p. 334; cf. 341 et 360.

principibus, novae fidei deditis, minime grata fuerunt. Quamobrem Philippus Hassiae comes et Saxoniae princeps elector conati sunt inire pactum, cui ut adhaererent comparарunt duces Philippum Brunsvigae-Grubenhagen, Ernestum et Franciscum Brunsvigae-Lunaeburgae, Henricum Mecklenburgiae, Wolfgangum Anhaltinum principem, comitem Albertum de Mansfeldia et civitatem Magdeburgensem, qui omnes promiserunt se in **comitiis Spirae** futuris ,,Evangelium" propugnaturos. Die 25 Junio 1526 agi in comitiis coeptum est. Gravis statim apparuit discordia de iis, quae proposuerat imperator. Civitatum allegati et nonnulli principes noluerunt audire de Missa, de monachis, de pristinis usibus, defenderuntque purum Evangelium, iterum *gravamina nationis Germanicae* proferentes. Oborta controversia vix non disturbavit comitia. Tandem statutum est ut in re fidei nihil mutaretur; ut intra annum vel annum et dimidium synodus generalis haberetur, ut, quantum ad edictum Vormatiense, suos quisque subditos regeret ,,sicut coram Deo et imperatore justum esset". Itaque his comitiis nullo modo est facta potestas constituendi ecclesias nationales. Aperta tantum via ad hoc est. Etenim, qui novae doctrinae adhaerebant, non fecerunt quod coram Deo et imperatore esset justum.

4°. Primus Philippus **Hassiae** comes decretum comitiorum in eam sententiam est interpretatus, ut sibi jus esset ecclesiam nationalem instruendi. Synodo sua Hombergensi (Octobri 1526) abolevit dies festos et peregrinationes, sustulit reliquias et imagines, ne fieret ,,nefanda idololatria". In multis etiam ecclesiis actum est iconoclastorum more. Bona ecclesiarum occupata et cultus catholicus abolitus. Qui novum ordinem subire nollet, ei licuit abire in exsilium [1]). In opusculo, conscripto ut catholici ad purum Evangelium allicerentur, collaudabatur Philippus, quod esset ,,Dei instrumentum", ,,alter Josias". Nimirum vivebat adulter perpetuus et jam illo anno 1526 in animo habebat, praeter suam, alteram quoque sibi sumere uxorem, novoque Evangelio eo pacto stetit, ut annis 15 semel tantum ad mensam dominicam accesserit. Teste autem Francisco

---

[1]) *Conrad,* Die Reformationsordnung für die Gemeinden Hessens von 1526 nach Inhalt und Quellen, Halle 1897.

Lamberto[1]), Hassiacae ecclesiae institutore populus ipse non fuit multo melior.

In principatu **Saxoniae** subversa erant omnia, ita ut Lutherus et Melanchton graviter quererentur penes principem electorem de prolapsa religione et corruptis moribus. Qui demum nominavit visitatores theologos et laicos, quorum illi ecclesiam nationalem instruerent, hi inquirerent de bonis ecclesiasticis. Melanchton confecit praecepta, a praedicantibus servanda, quae probavit Lutherus, quibusque addidit, commendandam esse communionem sub utraque specie, et acriter invehendum in Papatum, tanquam in „diabolum et regnum ejus". Non fuerunt dies festi omnes abrogati, servataque fuit Missa quaedam Germanica, propter populi simplicitatem[2]).

Brunsvigae[3]) ducatum reformavit Ernestus dux, fidelis Lutheri assecla. **Frisiae australis** comes, Enno, ecclesias spoliari jussit majoremque rerum pretiosarum partem sibi retinuit. Pari modo egit de possessionibus monasteriorum, ita ut agrorum omnium tertia pars in ejus manus devenerit. **Liegnitzii** et **Bregae** dux Fridericus anno 1527 induxit „Evangelium". Cultum catholicum interdixit, ordinavitque quid faciendum in administrandis sacramentis. Quisquis steterat pristinae fidei, ei licuit e finibus egredi cum rebus opibusque suis[4]).

Omnium principum atrocissime egit in catholicos, qui prius fuit magister generalis ordinis Teutonici, Albertus de Brandenburg, in **Borussia**[5]). Ereptus „e tenebris Papismi" ab Osiandro, admonitus a Luthero ut „stultam et pravam regulam" abjiceret, uxorem duceret et Borussiae terram in ducatum haereditarium converteret, acri studio id opus aggressus est. Auxilio ei fuerunt episcopi Samlandiae et Pomesaniae. Hic jam anno 1525 confecit libellum reformationis pro sua dioecesi,

---

[1]) *Stieve*, De Fr. Lamberto Avenionensi, Vratislaviae 1867. *Ruffet*, Biographie de Fr. Lambert, Paris 1873.

[2]) *Burkhardt*, Geschichte der Sächsischen Kirchen- und Schulvisitationen von 1524—1545, Leipzig 1879.

[3]) *Wrede*, Die Einführung der Reformation im Lüneburgischen durch Herzog Ernst den Bekenner, Göttingen 1887.

[4]) *Soffner*, Geschichte der Reformation in Schlesien, Breslau 1886.

[5]) *Joachim*, Die Politik des letzten Hochmeisters in Preussen, Alb. von Brandenburg, Leipzig 1892—1895. Cf. Hist. Pol. Bl., Bd. 121, p. 327 sqq.

quo sacramenta tantum duo retinuit, abrogavit usus ecclesiae omnes, festos dies cunctos, praeter Pascha, Pentecosten et Nativitatem, servavit autem hierarchiam. Ad Lutherum scripsit ipse Albertus, reformaturum se ex eius sententia ordinem Teutonicum. Quod perfectum est eodem anno 1525. Episcopi supra relati dioeceses suas subdiderunt jurisdictioni Alberti, qui confestim ad praedicantes omnes, in finibus suis constitutos, misit edictum, quo jubebantur „purum praedicare Evangelium sanctum et Christi doctrinam". Spoliabantur ecclesiae, bona ecclesiastica occupabantur neque ulli homini, praeter evangelicos, permissum est in terrae finibus habitare. Omnimoda vi usus est Albertus in catholicos. Praeterea acerrimae in tota Borussia obortae sunt lites theologicae, et nobiles, opibus carentes, dura tyrannide oppresserunt ruricolas [1]).

Crudelius etiam perfecta est nova institutio ecclesiastica in **civitatibus** imperii, in quibus jam pridem omnis pietatis sensus per novam doctrinam erat hebetatus. Assiduae injuriae illatae sunt in sacerdotes et monachos Straalsundae, Brunsbergi, Brunsvigae et Vismariae [2]). In prima civitate, expilatis ecclesiis, hostiae pedibus conculcatae sunt. Hamburgi facta est iconoclasia [3]). Francofurti ad Moenum impetus factus est in pompam solemnem, cui intererant civitatis consiliarii. Publice venditabantur ecclesiarum ornamenta. Norimbergae dominabantur praedicantes ignobiles et libidini dediti. Morum corruptela fuit ethnicis hominibus major, eo quod solis gloriae, divitiarum et voluptatum desideriis indulgebant, fuco novi Evangelii obductis. De Sacramentis suscipiendis aut conferendis sermo amplius esse non potuit. Plebs per novum Evangelium parare sibi nihil gestiebat nisi bonorum et mulierum communionem.

5°. Alibi, sicut Norimbergae per novam doctrinam **disciplinae morumque collapsus** maturatus est. Hassiacae aulae theologus, Franciscus Lambertus, „lugens et querens, inquit, vitam duco, quod pauci bene utuntur libertate profitendi Evangelii. Caritati substituta est injuria, mendacium et invidia. Destruxi-

---

[1]) *Kolberg*, Die Einführung der Ref. in Preussen. Der Katholik, (1897), Jg. 72, 1 Bd.

[2]) Der Katholik, 1879, (Aprili).

[3]) *Sillem*, Die Einführung der Ref. in Hamburg, Halle 1886.

mus: at vero quid construximus?" [1]). L u t h e r o teste, parochiae desertae. Nullus dabat, solvebat nullus. Vix aut ne vix quidem erant reditus. Nihili habebat vulgus praedicantes aut parochos. Rusticani abborrebant a rebus divinis; renuebant addiscere *Pater Noster*, quia longum. In pago quodam soli incolae tres sermonem audientes intererant. Alibi cerevisiam pro festo Pentecostes in ecclesiam asportaverant. Alibi conabantur lapidibus obruere praedicantem. Scripsit ad J u s t u m J o n a m M e l a n c h t o n, praedicantes contemni, sicut „sordes et platearum faeces". Adeo increvit populi contumacia, barbaria et efferitas, ut ad hoc solum videretur praedicatum Evangelium, ut pravis hominibus ad omnia scelera daretur licentia. In locis Wittembergo circumjacentibus coena dominica non amplius celebrabatur. Inter sacra cantharus cum cerevisia circumferebatur. Gravissime sonant L u t h e r i querelae: „nobiles tractant praedicantes sicut calefactores, nuntios, tabellarios; spoliant eos reditibus fructibusque, unde cum uxoribus liberisque vivant; sunt tamen probe Evangelici". „Tanta ubique indigna et foeda fiunt ut graver ad praedicandum accedere". „Jus non est, sed sola regnat libido". „Rusticani compellunt praedicantes pascere boves et sues". „In Evangelio unusquisque, quod libeat, facere vult". „Evangelici nostri, inquiebat anno 1529, septies pejores sunt quam antea fuerunt. Etenim, postquam Evangelium didicimus, furamur, mentimur, decipimus, voramus et potamus et omni flagitio contaminamur. Uno ejecto diabolo, septem nequiores invaserunt nos, ut videre est in principibus, nobilibus, civibus et rusticis". „Rustici, cives et nobiles in Evangelii luce, vel decies magis avari, vani et superbi, quam fuerunt sub Papismo". Haud meliora narravit de Mecklenburgica terra T h o m a s A d e r p u l, praedicator. A l b e r t u s d e B r a n d e n b u r g conquestus est, „sibi nullum subditum fidum reliquum, velle se potius esse pastorem ovium quam ducatus principem". Ejus praedicator aulicus, F u n k, renuntians de visitatione quadam, scripsit, praedicantes debere bubulos agere, et excubare sicut rusticos; aedes sacras et parochorum domos dilabi, quod nemo esset, qui quidquam curae haberet". „Quocumque aspexeris, septentrionem versus aut meridiem, videris mores barbaros, efferatos, impios". „A

---

[1]) Döllinger, Die Reformation, II, 18—19.

probis omnibus, ita Willibaldus Pirkhemer supplicabat, Deus avertat hanc doctrinam. Nam quocumque intraverit, pessumdatur pax, quies et concordia"[1]).

6⁰. Bellum habebat Carolus V cum Clemente VII Papa[2]), qui, facto proelio prope Paviam, ut Longobardiam, ab imperatore occupatam, salvaret, pactum infelix inierat cum Francisco I, Galliae rege, et civitatibus Mediolano et Venetiis. Expugnata Roma est a Caroli V copiis et toto triduo expilata, Clemens VII in castello S. Michaelis inclusus septem menses. Quae omnia in causa fuerunt, cur non potuerit in Germania agere Carolus V. Pace cum Papa composita, coacta sunt **Spirae comitia** (1529) ut mederentur imperii calamitatibus[3]). Praesedit Ferdinandus rex. Inchoatis comitiis, praelecta sunt, quae proponebat imperator: instare synodum generalem; nemini licitum esse, poena exsilii proposita, quidquam contra fidem antiquam audere; esse qui abusi essent verbis comitiorum Spirensium anni 1526, unicuique esse regnandum, prout coram Deo et imperatore justum esset; quare istud caput ab imperatore aboleri. Haud mirum ea verba magnum fremitum excitasse Evangelicorum. Tamen, quae decreverunt comitia, multo minus iis placuerunt. Non satis iis fuit, comitia concedere Lutheranis ut servarent suam fidem, cultum et regimen usque ad proximam synodum generalem; exigere tantum ut catholicis relinqueretur fidei cultusque libertas. Repugnabant haeretici principes et civitates. Catholicos esse non patiebantur. Et licet Melanchton declaraverit, haec decreta aequiora esse iis, quae decreverant comitia anni 1526, tamen principes Lutherani, die 19 Aprili, protestati sunt se non consentire his decretis; a qua protestatione nomen **protestantium** habent[4]). Melanchton id „factum terribile" dixit. Civitates *quatuordecim*, inter quas plurimae Zwinglianae, protestantibus principibus se ad-

---

[1]) *Robelot*, De l'influence de la réforme de Luther sur la croyance religieuse, Paris 1823. Cf. praesertim *Döllinger*, Die Reformation et *Janssen* Bd. VIII.

[2]) *Ehses*, Die Politik des P. Clemens VII bis zur Schlacht von Pavia. Hist. Jahrb. der Görresges., VI—VII. Cf. *P. Balan*, La politica di Clemente VII fino al sacco di Roma, Roma 1884 et praesertim *Pastor*, Gesch. d. Päpste, IV.

[3]) *Jung*, Geschichte des Reichstags zu Speier im Jahre 1529, Strassburg und Leipzig 1830.

[4]) *Tittmann*, Die Protestation der Ev. Stände im Jahre 1529, Leipzig 1829.

junxerunt. Nec potuerunt, quae deinceps acta sunt, concordiam reconciliare. Econtra, priusquam dimitterentur comitia, Hassia cum Saxonia et civitatibus Argentorato, Ulma et Norimberga occulte pacti sunt, se „verbum divinum" propugnaturos. Sic natum est schisma nationis Germanicae.

Quae quum facta audiret Melanchton, territus adeo est ut „putarit se omnia inferni tormenta pati". Lutherus quoque aversatus pactum est, quod adversarios ad repugnandum incitaret et praesertim quod omnes, etiam Zwinglianos, admitteret.

7⁰. Cum his enim jam pridem litigabat Lutherus de SS. Sacramento Altaris. Propterea persuasit principi electori Saxoniae, ut abstineret ab unione cum Zwinglianis, tum Germanis tum Helvetiis. At Philippus de Hassia, doctrinam de Sacramento inter theologorum lites computandam ratus, sperabat fore ut fieret *pactio protestantium universorum* „contra papistas eorumque scelera". Quamobrem convocavit Lutheranos cum Zwinglianis ad **colloquium religiosum Marburgense** (Octobri 1529)[1]. Jam pridem Lutherus Carolostadium expulerat, dicentem, coenam dominicam celebrari solum tanquam memoriam passionis dominicae, idque probari ex eo, quod Christus, eloquens verba *hoc est corpus meum*, digito seipsum demonstrasset. Quam doctrinam Zwinglius asciverat, interpretans verba *hoc est* sibi velle idem atque *hoc significat*. Contra Lutherus perpetuo defendit, Christum in Sacramento esse praesentem, quod verba id exigerent. Praesentiae modum explicabat per doctrinam suam de *impanatione* et *ubiquitate*. Initio Lutherus et Melanchton reluctabantur convenire Marburgum. Fore enim ut Zwinglius converteretur sperare Lutherus non potuit. „Nunquam, scripsit, quisquam conversus est, qui novam doctrinam invenisset. Christus ipse non convertit summos sacerdotes, sed solos eorum discipulos." Eo libentius Zwingliani ad conditionem accesserunt. Mirum tamen minime est, nec Lutherum nec Zwinglium Marburgi victas dedisse manus. Colloquium fefellit. Imo vero acrior facta est partium oppositio et invidia. Philippus de Hassia ad partes Zwinglii transiit pactumque inivit cum Helvetiis. Propositum ei fuit ut restitueretur Ulricus de Wurtem-

---

[1]) *Brieger*, Die Torgauer Artikel, Leipzig 1890. *Schmitt*, Das Religionsgespräch zu Marburg, Marburg 1846.

bergia et conderetur *imperium evangelicum*. Condendum id censebat auxiliantibus Venetiis, Francogallis et Turcis.

8⁰. Dum Spirae calamitosa ista comitia aguntur, soldanus, Constantinopoli profectus, Hungariam armis expugnavit et Vindobonam obsidione cinxit. At fortiter defensa ab hostibus civitas est. Carolus V autem, parta in Italia victoria, in Germaniam redire paravit. Allegati ordinum *protestantium* obviam ei fuerunt Placentiae, ut se purgarent. Comiter non sunt salutati. Die 21 Januario 1530 ordines jam invitaverat imperator ad agenda, die 8 Aprili, **comitia Augustae Vindelicorum**[1]. Praeciderat in epistola quaecumque poterant offensioni esse protestantibus, solam pacem et Turcarum imminens periculum memorarat. Interea parabat bellum adversus imperatorem Philippus de Hassia cum foederatis suis. Sperabat auxilio sibi futuros Francogallos et Venetos et Vindobonam expugnatum iri a Turcis. Spes autem eum fefellit. Die 15 Junio demum Carolus V venit Augustam Vindelicorum et postridie cum magnifico apparatu interfuit processioni SS. Sacramenti. Die 20 Junio incoepta sunt comitia. Imperator voluit prius agi de bello Turcarum, dein de componendis litibus. Quum autem in hostem christianorum sempiternum auxilia nulla dare vellent protestantes, nisi concesso sibi amplissima, in re fidei, libertate, tractandarum rerum ordo inversus est. Quo facto, confestim protestantes conati sunt probare, se non ab Ecclesia recessisse, sed rediisse ad rectam Apostolorum et SS. Patrum mentem. In quem finem, die 25 Junio, imperatori oblatus est libellus, a Melanchton confectus, et a Luthero probatus, qui appellatus est **confessio Augustana** et postea tanquam symbolum receptus est. Prior ejus pars capitibus 21 exposuit protestantium doctrinam, altera capitibus 7 abusus Ecclesiae et ejus instituta humana. In quibus relata est communio sub una specie, lex caelibatus, praescripta peccatorum confessio, lex abstinentiae et jejunii, vota religiosorum et episcoporum auctoritas[2]. Statim Eckius, Cochlaeus, Dietenberger et Wimpina ex

---

[1]) *Brieger*, Zur Geschichte des Augsburger Reichstages, Leipzig 1903. *Schornbaum*, in Zeitschr. f. Kirchengesch., 1905, p. 142 sqq.

[2]) *Zöckler*, Die Augsburger Confession hist. u. exeg. untersucht, Frankf. 1870. *Kolde*, Die Augsburger Confession, Gotha 1896.

adverso confecerunt *Confutationem Augustanam*[1]), quam septies retractatam demum ordines catholici approbarunt. Contra quam composuit Melanchton suam *Confessionis Augustanae Apologiam*, in qua, sicut in *Confessione*, capita discriminis astute velabantur[2]). Sincera mente imperator ordinesque catholici conati sunt componere pacem et tractare de negotio, etiam tum cum furtim Philippus de Hassia exierat. Tamen nihil exactum est[3]). Parum concessum. Negabant docendi auctoritatem Ecclesiae, sacrificium perpetuum et sacerdotium, nixum arcana saluberrima actione Jesu Christi in Ecclesia. Procul absens, tamen multus fuit in rebus agendis Lutherus. Indignabatur, quod in tractanda episcoporum auctoritate nimium concessisset Melanchton, quem alii criminabantur esse proditorem. De iis, quae postularat imperator, ut paterentur esse cultum catholicum et monasteria, declaravit Lutherus protestantes ne digitum quidem transversum cessuros esse, etiamsi pessum iret Germania universa. Reconciliandi spes fefellit; dissidium contra latius et apertius factum est. Ordines catholici cum imperatore convenerunt, ut si opus fuerit, armis se contra principes et civitates protestantes tuerentur. Quod quantopere fuerit opportunum, mox demonstravit eventus.

---

§ 141. Protestantismus sub praesidio pacti Smalcaldici ad annum usque 1546. Lutheri mors.

Janssen-Pastor, III Bd., p. 237 sqq. *Winckelmann*, Der Schmalkaldische Bund, 1530—1532, und der Nürnberger Religionsfriede, Strassburg 1892. *Hasenclever*, Die Politik der Schmalkaldener vor Ausbruch des Schmalkaldener Krieges, Berlin 1901. *Pastor*, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen zur Zeit Karls V, Freiburg 1879. *Idem*, Hist. Jahrb. d. Görresges., 1880.

1⁰. Repudiarunt comitiorum decreta principes protestantes,

---

[1]) *Ficker*, Die confutatio Aug. etc., Leipzig 1892.

[2]) Silebatur de Primatu; agnoscebatur auctoritas synodorum et Patrum; in justificatione per fidem vox *sola* omissa; dicebatur non multum mutata Missae liturgia; canonem tamen expunxerant.

[3]) Praeterea Zwingliani aliud symbolum in comitiis protulerunt, quae vocatur *Confessio Tetrapolitana*, quam etiam catholici theologi praelectam refellerunt. Cf. *Pätzold*, Die confutation des Vierstädtebekentnisses, Leipzig 1900.

quae fuit aperta in imperatorem rebellio. Initio tamen nec Saxoniae princeps elector neque alii nonnulli a se impetrare potuerunt ut armis oppugnarent „dominum suum". At versabantur eorum animi a consiliariis, et praesertim a Luthero ad arma propellebantur. Is enim in sua *Admonitione ad carissimos suos homines Germanos adversus decreta Augustana:* „Papistis, inquit, non est jus, nec divinum neque humanum". „Sicut homines scelesti et sicarii, infringunt jus divinum et humanum". Papam dicebat in culpa esse caedis, quae in finibus Germaniae ederetur; Luthero honori et gloriae futurum „perpetuo irasci, convitiari et blasphemare in papistas"; non enim „posse eum orare nisi cum blasphemiis". Quibus omnibus commotus, Joannes, Saxoniae princeps elector, exeunte Decembri 1530 congressum praeparatorium convocavit Smalcaldiam. Die 27 Februario 1531 **pactionem Smalcaldicam** inierunt sexennium duraturam Saxonia, Hassia, Brunsviga-Luneburg, Anhalt, Mansfeld et civitates 11 inter quas Argentoratum, Ulma, Constantia, Lubeck, Magdeburgum et Brema[1]). Convenerunt, socios omnes unumquemque alterum socium, qui propter „verbum Dei" aut hujus consequentias in bellum incidisset, auxilio eodem ac proprios fines, defensuros. Mense Aprili et Majo Francia et Anglia promiserunt „praesidia libertatis Germanicae" adversus imperatorem. Dania quoque ad pactum accessit. Imo vero Bavariae duces, moti invidia in Ferdinandum, nuperrime regem Romanum electum, commiserunt ut cum Lutheranis societatem inirent in regiam Austriae gentem. Praeterea socii omnes spem suam collocabant in soldano ejusque vasallo Zapolya. In dies profundius Germania desedit.

2° Accepto nuntio, soldanum in animo habere cum ingenti exercitu Austriam et Germaniam invadendi, die 17 Aprili 1532 incepit Carolus V **comitia Ratisbonensia**[2]). Promiserunt auxilia ordines, at socii smalcaldici hac sola lege ut prius pax in Germania pangeretur. Quo facto, angustiis pressus impera-

---

[1]) *Stoy*, Erste Bündnisbestrebungen evangelischer Stände, Jena 1888.

[2]) *Schleckt*, Ein abenteuerlicher Reunionsversuch in den Jahren 1531—1532. Röm. Quartalschr., 1893, p. 333 sqq. *Ficker*, Zeitschr. f. Kirchengesch., XII (1891), p. 583 sqq.

tor cessit. Urgebant ab altera parte Turcae, ab altera Lutherani, negantes auxilia, imo vero, quum Turcicum bellum ageretur, arma illaturi in imperatorem. Sic composita est **pax Norimbergica.** Convenerunt, quietem fore inter catholicos et protestantes, usque ad proximam synodum generalem; causas omnes „in re fidei" suspensas relinqui. Quae pax ficta tantum, nec fuit diuturna. Bavaria perpetuas difficultates movebat in regem Romanum, contendebatque cum Lutheranis ut solveretur *pactio Suevica* (1488—1533) et eriperetur Ferdinando Wurtembergia.

3⁰. Anno 1534 non solum Wurtembergia Ulrico reddita est, sed etiam ad protestantismum traducta (foedus Cadanum 1534). Vi abstulit Ulricus populo cultum catholicum, monasteria esse noluit, expulit monachos et moniales, praedicantesque accivit. Ulrici „*ordinatio christiano-divina*" ortum habuit expilatis ecclesiis. „Bona ecclesiastica occupare, inquit, muneris mei officium et religio est". Nullibi pari impietate atque in Wurtembergia de bonis illis actum est. Myconius praedicans metuit ne Ulricus incurreret in poenam Baltassar, qui ob violatum templi thesaurum interiit. Rapta omnia aurea et argentea ostensoria, calices, cruces etc. Populus, ad „Evangelium" propulsus, omnem fidei religionem, moresque rectos omnes abjecit. Teste Myconio, prae ceteris praedicantes eorumque uxores in culpa fuerunt efferatae libidinis, blasphemiae, ebrietatis, et impudicitiae.

4⁰. Aliud dissidium intulit regnum **Anabaptistarum Monasteriense** (1534—1535), cui praesertim praesidio fuit Philippus de Hassia[1]). Etsi undique insectati, tamen perniciosi isti haeretici et fanatici numero valde increverant. Melchior Hoffmann, rebaptizatus, contendit „regnum Sionis" condere Argentorati. At in vincula est conjectus[2]). E quibus scripsit ad Anabaptistas Hollandiae, quos anno 1532 viserat:

---

[1]) *Cornelius*, Geschichte der Wiedertäufer, Münster 1853. Gesch. des Münsterischen Aufruhrs, 2 Bde., Leipzig 1855—1860. *Hermanni a Kerssenbroch*, Anabaptistici furoris Monasterium inclytam Westphaliae metropolim evertentis hist. narratio, ed. *Detmer* (Geschichtsquellen des Bist. Münster), Münster 1901.

[2]) *Hulshof*, Geschiedenis van de doopsgezinden te Straatsburg 1525—1557, Amsterdam 1905.

„Sancti viri Dei carissimi, inquiens, et socii Christi fervidi, levate capita vestra, corda, oculos et aures vestras, quoniam instat redemptio... Regno Sodomae et Babylonis diruto, Joseph et Salomon iterum regnabunt in virtute Dei"[1]). Regnum Sionis, irrito conatu incoeptum Argentorati, fortunam secundiorem nacturum fuit in civitate Monasteriensi. Ea quidem civitas anno 1529 a fide catholica nondum recesserat. At in confiniis et quasi ante portas novum Evangelium jam praedicabat Bernardus Rothmann sacellanus[2]). Hebdomadis sacrae tempore, anno 1531, plebs impetum fecit in ecclesiam *S. Mauritii*, et imagines confregit. Rothmanni assectatores in dies crebriores facti sunt. E quibus loco nobiliore praestitit pannorum laneorum mercator Bernardus Knipperdolling. Defuncto Erico episcopo, anno 1532, in civitatibus Westphaliae seditio prorupit. Monasterii ecclesiae omnes a praedicantibus occupatae sunt, ipsumque civitatis regimen ab haereticis usurpatum. Urgente Knipperdolling penes mercatorum opificumque societates, electi viri 36 sunt, qui „novum Evangelium" introducerent. Cum novo episcopo, Philippo de Waldeck, intercedente Philippo de Hassia, haereticis convenit, ut ecclesias sex sibi haberent, tantum ne vexarent episcopum nec capitulum aut collegia ecclesiastica.

Anno autem 1533, multis Melchioris Hoffmanni sectatoribus ex Hollandia et Frisia Monasterium migrantibus, Rothmannus ad sectam *Anabaptisticam* transiit. Prae ceteris Hollandis excelluit Joannes Lugdunensis[3]), vestifex, quem frequentissimi sequebantur. Mense Januario 1534, Joannes Mathias, propheta Amstelodamensis, Monasterium est accitus. Knipperdolling et Kippenbroik regimen civitatis usurparunt consiliumque coeperunt aedificandi in *Sancta Sion* templum Salomonis. Probis civibus cunctis e civitate migrantibus, undique anabaptistae affluxerunt. Inducta est bono-

---

[1]) *F. O. zur Linden*, Melchior Hoffmann, ein Prophet der Wiedertäufer, Haarlem 1886.

[2]) *Detmer und Krumbholtz*, Zwei Schriften des M. Wiedertäufers B. Rhothmann, Dortmund, 1904.

[3]) *Philippi*, Der sogenannte Artikelbrief des Münsterischen Wiedertäufer-Königs J. v. Leyden, Zeitschr. f. Kirchengesch., (1888), X, 146 sqq.

rum communitas, administro Joanne Matthia. Qui postquam, erumpentibus copiis in exercitum episcopi, est caesus, Joannes Lugdunensis factus est „etiam praecellentior propheta". Civitatis autem rigimen delatum est senioribus civibus 12, statutumque parendum esse Bibliis et polygamiam introducendam. Rothmann sibi sumpsit uxores quatuor, Joannes Lugdunensis sexdecim. Prophetizare coeperunt omnes juvenes et viri. Joannes Lugdunensis, Sept. 1534, proclamatus est „rex Sionis novae". Suprema sui gynaecei regina fuit Divora, Joannis Matthiae vidua. Orbis terrarum universus subjugandus a „Sione nova". Soli Philippo de Hassia sui fines relinquendi. Quoquoversus emissi apostoli, ubique invenerunt fratres, ad insurgendum paratos, haud minimum autem in Neerlandia [1]). In provinciis Hollandia, Frisia occidentali, Transisalania, Brabantia, civitates grandiores erant veluti seminaria anabaptistica. Placebat praesertim alliciebatque multos communitas bonorum. Amstelodamum proximum post Monasterium sectae caput factum est et anno 1534 vix non ab iis occupatum. At quum edidisset Rothmannus libellum, cujus inscriptio *Ultio* (1534) in ipsa factione turbae exortae sunt. Amstelodamum classem navium 30 cum militibus Monasterium emisit. Pari modo copiae parabantur Daventriae, Lugduni Batavorum et in finibus Groningae. Quadripartito inferre signa in animo fuit. Una manus movenda ex Hollandia et Waterlandia, altera ex Essenbroek ad Mosam, tertia e terra inter Trajectum ad Mosam et Aquisgranum, quarta demum e Frisia et Groninga.

Interea tamen gravissima fame premebatur „Sionis regnum", obsidione cinctum, et egestatis molestiae eo acrius mordebant quo magis tyrannico more imperitabat Joannes Lugdunensis. Faustissime accidit ut ab episcopi exercitu, nocte 24—25 Junii 1535, civitas sit occupata regnumque Sionis eversum.

---

[1]) *S. Blaupot ten Cate*, De gesch. der doopsgezinden in Friesland, Leeuwarden 1839. Gesch. der doopsgezinden in Groningen, Overijssel en Oostfriesland, Leeuwarden 1842. Gesch. der doopsgezinden in Holland, Zeeland, Utrecht en Gelderland, 2 deelen, Amsterdam 1847. *De Hoop Scheffer*, Kerkhervorming in Nederland van haar ontstaan tot 1531, 2 deelen, Amsterdam 1873, par II, p. 611 sqq., p. 651. Cf. etiam Doopsgezinde Bijdragen, 40 tomi, Amsterdam 1860 sqq.

Gravissimae poenae repetitae sunt a rege Joanne Lugdunensi, ejus vicario Knipperdolling et cancellario Krechting. Forcipibus candentibus membra compressa sunt, ipsi pugione ardenti necati, eorumque corpora in caveis ferreis suspensa e turri S[i] *Lamberti.* Experta quam essent acerbi fructus novae fidei, civitas Monasteriensis posthac perpetuo mansit in fide veteri, etiamsi qui anabaptistas dejecerat, Franciscus de Waldeck, paulo post conatus sit doctrinam Lutheranam introducere.

5⁰. Etiam in civitate Lubeca, anno 1533, Anabaptistae rerum potiti sunt. Jurgen Wullenweber oppressit catholicos et cum Oldendorp et Marco Meyer in animo habuit terras omnes septemtrionem versus civitati Lubecae subjicere et Evangelium omni qua possent ope diffundere. Etiam cum civitate Monasteriensi conati sunt de illo negotio agere. At Christianus de Holstein Lubecam occupavit, potestatemque Wullenweber sociorumque fregit (1535).

6⁰. Interea Smalcaldici novos perpetuo foederatos asciverunt et, mense Decembri 1535, Smalcaldiae congressi, pactum in decennium prorogarunt, et statuerunt contraria paci Norimbergicae. Anno 1536 Francofordiani ad Moenum inceperunt catholicos opprimere et Augustae Vindelicorum, anno 1537, Evangelium proclamatum est. Foederati repudiarunt synodum generalem contenderuntque lites de S. Eucharistia inter Lutheranos et Zwinglianos componere, ut hos ad suas partes attraherent. Quod factum est per *Concordiam Wittembergicam* (1535), cujus ea verborum ratio fuit ut utraque pars ea posset in suam sententiam interpretari. Vel ipse Lutherus arma deposuit, concessitque ut e Missa Lutherana *elevatio* expungeretur. Itaque numero et viribus aucti perrexerunt, quo possent, **protestantismum intrudere,** adversus *foedus Norimbergicum ordinum catholicorum.* Mortuo in **Saxonia** Georgio (1539) successit Henricus, ejus frater, qui Smalcaldensium foederi se adjunxerat. Statim catholici oppressi, „scelera papistica et idololatria" abolita sunt. Gravissimo sermone consilium dederunt theologi Wittembergici ut per vim ageretur et Lutherus reprehendit magistratus de eo quod non confestim expulissent parochos amplius 500, „venenatos papistas". Universitatem Lipsiensem ad protestantismum convertendam declarabant, ecclesias et monasteria expilantibus tradenda. „Aulici fuerunt corvis cupi-

dis similes"[1]). Eodem illo tempore **electoratus Brandenburgensis** protestantismo additus est. Iis qui in maxima ardentissimaque admiratione novae fidei fuerunt, annumerari debet Matthias de Jagow, episcopus Brandenburgensis, qui datam antea fidem gravissime violavit. Joachim, princeps elector, anno 1540 nova instituta ecclesiastica proclamavit. Ceremoniarum catholicarum et consuetudinum magna pars non abolita est, ut paci et quieti multitudinis consuleretur. Quod Lutherus improbavit, passus tamen est, scripsitque praedicantibus: si principi electori una cappa satis non est, induite eum tribus. Catholicos esse, passi non sunt. Bona ecclesiastica principi et nobilibus data [2]). Anno 1540 etiam **Riga** civitas vi ad protestantismum est traducta. Solus e gente Brandenburgica Albertus, archiepiscopus Moguntinus, catholicae fidei addictus mansit, saltem specie tenus. Magdeburgensi et Halberstadiensi civitatibus, acceptis nummis, concessit ut fidei Lutheranae se darent. Aliis gratuito permisit ut, quae vellent, facerent. Halla, qui erat locus domicilii ejus impune ad protestantismum transiit. In causa fidei tepidissimus, principes omnes luxus studio et dissipationis libidine superavit ita ut aere alieno obrueretur.

7°. Quamquam latius undique in dies nova doctrina diffundebatur, usque tamen Carolus V contendit persuadendo partes disjunctas ad unionem revocare. Repudiarant protestantes synodum generalem (1537), *articulosque Smalcaldicos* [3]) conscripserant, qui fuit alter Lutheranorum libellus symbolicus; spem tamen non perdidit Carolus. Tum praesertim, quum protestantes ipsi desiderabant, ut fierent **colloquia de fide** avide id permisit, nec cogitavit id principiis catholicae fidei adversari. Primum ejusmodi colloquium inceptum *Hagenaviae* (1540), continuatum *Vormatiae* et tandem in *comitiis Ratisbonensibus* (1541) [4]) terminatum. Humano nimis more in aula imperatoris cogitabant de negotiis fidei, ita ut tractando haec aequipararentur negotiis

---

[1]) *Leo*, Gesch. der Reformation in Leipzig und Dresden, Leipzig 1834. Cf. Hist. Pol. Bl., 1860, Fasc. 4—6.

[2]) *H. v. Mühler*, Gesch. d. Evang. Kirchenverf. in der Mark Brandenburg, Weimar 1846.

[3]) *Kolde*, Zur Gesch. der Smalk. Artikel (Theol. Stud. u. Krit., 1894, p. 157 sqq.). *Pfender*, Les articles de Smalcalde 1537, Paris 1899.

[4]) Zur Gesch. des Wormser Konvents 1541. Zeitschr. f. Kirchengesch., XX (1901), p. 112 sqq.

publicis. Colloquium inchoatum est die 27 Aprili. Contra theologos catholicos Eckium, Pflugium et Gropperum disputarunt protestantes Melanchton, Butzerus et Nidda. In quaestionibus *de fide*, *justificatione*, *bonis operibus* et *baptismo* propius sententiis ad invicem accesserunt, at in negotio de *Ecclesia*, de *Papa*, de *synodis*, de *Eucharistia* et *confessione* longe dissidebant. Die 29 Junio 1541, subsriptione sanxit imperator decreta comitiorum et statuta, quibus nomen est **Interim Ratisbonense** [1]). Constitutum est ut partibus utrisque hi articuli pro lege haberentur, dum cogeretur synodus aut generalis aut nationalis, aut convocarentur comitia; dein ut *pax Norimbergica* servaretur et monasteria ne vexarentur. Carolus tamen *Declaratione* 29 Julio permisit ut principes protestantes suae ditionis monasteria aut reformarent aut abolerent. Faustissime tamen catholicis evenit ut Lutherus istud *Interim* respuerit. Etenim non potuit non esse exoptatum, eos hoc semi-Lutherano *Interim* liberari. Quodsi catholici, ob imperatoris in comitiis infirmitatem et inconstantiam, minus ei credere inceperint, imprudentissime ictum pactum occultum dicebant cum Philippo de Hassia. Is, inde a 14 Martio 1540 vivebat in **duplo conjugio**, facientibus potestatem Luthero et Melanchton. „Quod lege Mosaica de matrimonio permissum est, responderant, id in Evangelio nequit esse vetitum". Id solum praescripserant, ut alterum conjugium celaretur propter scandalum. Innotuit tamen. Philippus vero, neque Luthero iterato commonente, adduci potuit ut publice infitiaretur. Timebat tamen imperatorem et poenas polygamiae, lege propositas. Unde patet ei gratissime accidisse, ut foedere occulto promiserit, se causam imperatoris semper propugnaturum, ac pariter impetrarit „peculiarem gratiam et amicitiam" Caroli. Non tamen ei in animo fuit promissorum quidquam servare. Quippe promiserat fore ut pareret in rebus omnibus „excepto negotio fidei, pacto Smalcaldico et conventionibus reliquis inter principes confessionis Augustanae". Itaque ipsa haec pactionis verba Philippo viam apertam praebebant, quandocumque vellet, publice imperatori repugnandi [2]).

---

[1]) *Vetter*, Die Religionsverhandlungen auf dem Reichstag zu Regensburg 1541, Jena 1889.

[2]) *Rockwell*, Die Doppelehe des Landgrafen Phil. v. Hessen, Marburg 1904.

8⁰. Neque *Interim* nec *comitia Spirensia* et *Norimbergensia* (1542) impedimento fuerunt, quominus perrexerint **intrudere protestantismum,** imprimis in dioecesibus **Naumburg-Zeitz** et **Misnia,** deinde in ducatu **Brunsviga-Wolfenbüttel** [1]). Henrico duce, in quem scripserat Lutherus libellum suum *adversus Sannionem*, a foederatis Smalcaldicis e finibus suis fugato, introductum Evangelium est. Initium factum a confringendis imaginibus. Dein pretiosa omnia rapta, sepultorum cadavera effossa, SS. Sacramentum violatum et disjectum. Lutherus ipse conquestus est de avaritia victorum et rapinis [2]). Constituerunt deinde ecclesiasticam rationem, ut fallacibus idololatriae abusibus abrogatis, „christiani praedicantes" sua facere inchoarent. Non tamen profecit in pietatis religione populus: „ecclesiae vacuae, cauponae frequentatae; nobiliorum exempla sequuntur plebeji; intemperantiae nec libidinis ullus finis". Imperii judicium in jus vocavit violatores legum. Incassum. Amplius non audiebatur. Nec quidquam effecerunt **comitia Norimbergensia** anni 1543. Imo vero foederati Smalcaldici viribus aucti sunt. Franciscus de Waldeck, episcopus Monasteriensis, contendit iisdem adjungi; dein comes palatinus, Otto Henricus de Paltz-Neuburg; civitas Hildesia aggregata est; eandem „fortunam" sibi sperabat Hermannus de Wied [3]), archiepiscopus Coloniensis. Is jam diu faverat novae doctrinae. Dicebatur jam a decennio non fecisse Sacrum. Latine nesciebat, sed celebrabatur „venator peritus". Anno 1543 multam operam in perducendam ad novum Evangelium Coloniam collocarunt. Butzer et Melanchton jam elaborarant reformationis ordinem, quum loco motus est episcopus. Nec Lutherus nec foederati Smalcaldici ei auxiliati sunt, propterea quod nimis Zwinglianis adhaerebat. Eodem tempore Gulielmus dux **Juliaci-Cliviae** in foederatoribus annumerari contendit, opitulante sororis suae marito, duce electore Saxoniae, qui ad eum copias misit auxiliares adversus imperatorem. At imperator cum

---

[1]) *Hoffmann,* Naumburg im Zeitalter der Reform, Leipzig 1901 (Leipz. Studien).

[2]) Victoriam tamen miraculum vocavit: „Summa, Deus est in hac re totus factus, seu, ut dicitur, Fac totum. Recte scribis miracula Dei esse."

[3]) *Varrentrapp,* Hermann von Wied und sein Reformversuch in Köln, Leipzig 1878.

militum 35000 ducatum subegit[1]), catholicam fidem tuitus est, metumque incussit principibus Lutheranis, quorum mutua inter se concordia fidesque tum temporis haud parum infirmata erat. Nihilominus eorum animos in dies magis hostili studio in catholicos et imperatorem inflammari, *comitia Spirensia* (1544) et *Vormatiensia* (1545) patefecerunt[2]).

9⁰. Multum ad haec excitanda contulit libellus a Luthero, *imminente ejus obitu*, conscriptus, cui titulus: „*Adversus Papatum Romanum a diabolo conditum*". Approbante suo principe electore, per hunc libellum ad bellum sacrum movendum concitavit. Non invenias in operibus Lutheri librum pari plenum furore in Romam, Papam et catholicos. Ex aequalibus ejus quidam scripsit, Lutherum in insaniam incidisse aut a diabolo esse obsessum. Voluit tamen etiam plura scribere in „Papatus venenum". At calculorum doloribus impediebatur. Immenso cruciatuum et sollicitudinis mole opprimebatur Lutherus ad interitum vergens. Etsi rapido cursu haereticae ejus doctrinae divulgatae admitterentur, gravissime tamen querebatur de morum corruptela. „Vivimus Sodomae, inquiebat, et Babylone; in dies crescit perturbatio". Malebat perpetuo circumire et mendicato pane vesci quam extremum diem exulceratus Wittembergae agere. Dubia, metum et conscientiae morsus pro tentationibus et inspirationibus diaboli habebat. Ipsa quoque rectae rationis consilia a diabolo ingesta putabat. Istam „sponsam Satanae" fide superare conabatur. Mense Januario 1546, aggressus iter est in civitatem Islebium, litem inter comites Mansfeldiae compositurus. Hallae stomachabatur in monachos, quos ibi veste monachali indutos aspexit. E suggestu loquens, postulavit ut hi homines nequam urbe expellerentur. In alio loco ad iram eum concitarunt Judaei. Islebii in animo fuit sermonem habere contra Papatum et exhortationem contra Judaeos, at morte interceptus est, nocturno tempore, die 18 Februario 1546[3]).

10⁰. Protestantibus hanc Luther moriens reliquit doctri-

---

[1]) *Dr. R. Scholten,* Zur Gesch. der stadt Cleve aus archivalischen Quellen, Cleve 1905.

[2]) *A. de Boor,* Beiträge zur Gesch. des Speierer Reichstages 1544, Strassburg 1878.

[3]) Teste doctore Ratzeberger, Lutherus vespere ante mortem scripsit in pariete: „pestis eram vivus, moriens ero mors tua papa." Eum sibi mortem

nam: *a.* In conditione primordiali hominis fuerunt sola dona *naturalia.* Prava concupiscentia, quae ad hominis essentiam pertinet, ipsum est peccatum originale. *b.* Per peccatum originale arbitrii *libertas* deperdita. *c. Justificatio* interna non est, sed sola externa imputatio meritorum *Christi*, quae fit per fidem, i. e. per fiduciam in Christi merita; quae sola fides ad salutem necessaria est, bona opera ad eam nihil omnino conferunt. *d. Purgatorium* non est, *indulgentiae* nihil valent, nec discriminantur peccata mortalia et venialia. *e.* Duo tantum *Sacramenta* sunt (baptismus et communio), quae tamen gratiam non conferunt, sed signa sunt justificationis vel fidei. *f.* In *Sacramento Altaris*, in et cum pane, Christus solo communionis momento vere est praesens. *g.* Unicus fidei fons Biblia sunt, quae intelliguntur et ad fidem ducunt per internam inspirationem divinam. *h.* Quare in Ecclesia non est docendi munus, nec sacerdotium neque hierarchia. *i.* Ecclesia invisibilis est, sicuti fides in animis hominum, qui tamen conveniunt ad auscultandum puro Evangelio et ad suscipienda Sacramenta.

Quam tamen doctrinam non integram immutatamque protestantes omnes tenuerunt. Jam anno 1535, Melanchton censebat, bona opera ad salutem esse necessaria. Fere idem significavit *Interim* Augustanum et Lipsiense. Econtra Nicolaus Amsdorf bona opera saluti obstare arbitrabatur. De hac et de aliis Lutheri doctrinis acriter certatum est.

---

intulisse, commentum est. Cf. *Paulus*, Luthers Lebensende und des Eislebener Apothekers Johann Landau, Mainz 1896. Tum: Luther's Lebensende, Freiburg 1898 et *Janssen-Pastor*, III Bd. (XVII—XVIII Aufl.), p. 599, Annot. 4.

§ 142. Pax religiosa Augustana 1555. Lites ecclesiasticae usque ad pacem Monasteriensem 1648.

Janssen-Pastor, (XVII—XVIII Aufl.), Bd. III, p. 6?5 sq. Bd. IV—V. *Pastor*, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen während der Reg. Karls V, Freiburg 1879, p. 345—378. *Wolf*, Der Augsburger Religionsfriede, Stuttgart 1890. *Brandi*, Der Augsburger Religionsfriede von 25 Sept. 1555, München 1896. *Ritter*, Deutsche Geschichte im Zeitalter der Gegenreformation und des dreissigjährigen Krieges, 2 Bde, Stuttgart 1886. *Onno Klopp*, Der dreissigjährige Krieg bis zum Tode Gustav Adolfs 1632, Paderborn 1891 sq. 3 Bde. *Gindeley*, Geschichte des dreissigjährigen Krieges, Prag 1869 sq. 4 Bde. *Freitag*, Le peuple allemand à l'époque de la guerre de Trente ans, trad. fr. *Mercier*, Paris 1901. *De Meaux*, La réforme et la politique en Europe jusqu'à la paix de Westphalie, Paris 1889.

1⁰. Bellum Smalcaldicum, jam a longo tempore imminens, post Lutheri mortem tandem, aestate 1546, coortum est[1]). Incepit foederatorum dux Sebastianus Schärtlin, occupando, mense Julio, civitatem Faucenam, castra inde moturus Tridentum, ut synodum disturbaret. Imperator, mense Augusto Ratisbona profectus, universam Germaniam meridionalem haud magno certamine subegit. Anno proximo, die 24 Aprili, ingens clades inflicta est foederatis, prope **Mühlberg**[2]). Qua parta victoria imperatorem bene usum esse vix quisquam dicat. Nec fructum cepit e perturbatis foederatorum rebus. Praeterea, consultorum suorum consiliis abreptus, dissolvit concordiam cum Papa, qui recte postularat ne negotia fidei proprio marte imperator dirimeret in damnum Ecclesiae. Orta tum est inter imperatorem et Papam contentio, quae magnopere nocumento fuit Germaniae et synodo Tridentinae. *Comitiis Augustanis* (1548) irritum declaravit Carolus decretum, quo synodus Bononiam fuit translata; ipsum se, quae per potestatem licerent, facturum ad res ecclesiasticas ordinandas. Nullo modo terrefactus, Papa imperatoris allegato respondit Christum Petro, non imperatori, dixisse: „super

[1]) *Le Mang*, Die Darstellung des Schmalcaldischen Krieges in den Denkwürdigkeiten Kaiser Karls V, Leipzig 1890. *Jahn*, Geschichte des Schmalk. Krieges, Leipzig 1857.

[2]) *Turba*, Verhaftung und Gefangennahme des Landgrafen Philipp (Arch. f. Oesterr. Gesch., 1896, p. 199 sqq.)

hanc petram aedificabo ecclesiam meam". Recepit imperator nefastam viam tractandi res per *Interim*. Julio Pflug, episcopo Naumburgensi, Michaeli Helding, episcopo coadjutori Moguntino, et Agricolae, praedicatori aulae Joachim Brandenburgensis, demandatum est ut elucubrarent **Interim Augustanum** (1548). Qui viri, etsi Tridentina synodus rectam doctrinam justificationis jam statuerat, suae tamen menti sententiaeque indulgentes, scripserunt quae propius ad Lutheri doctrinam accederent. De Sacrificio Missae non satis clare et recte locuti sunt. Insuper concesserunt ut fieret communio sub utraque specie et ut tolleretur lex caelibatus. Nimirum haec ita facta sunt, ut satis fieret protestantibus et catholicis; tum, quo facilius protestantes ad probandum allicerentur, imperatori oblata sunt a protestante principe electore Joachim Brandenburgico. Promulgatum est hoc *Interim* die 15 Majo, opinante imperatore eam viam esse, qua certissime protestantes ad catholicam Ecclesiam reducerentur. Spes eum fefellit. Ordines catholici, interposita prius haesitatione, tandem accesserant, eo quod diceretur „ad eos id non pertinere". Pauci protestantes subscripserunt; Mauritius Saxonicus, mutato *Interim Augustano*, confecit *Interim Lipsiense;* at praedicantes fere omnes, vehementer irati, per *Interim* dixerunt „maledictum et perniciosum Papatum" iterum introducendum. Evenit quod praevideri poterat. Infecta re, aucta in dies turbatio est, quoniam tum catholici tum protestantes imperatori adversabantur. Contra hos in nonnullis civitatibus imperator vi usus est, qua tamen id tantum obtinuit ut acrius ei resisteretur [1]).

2°. Dum desudat in his decretis de rebus fidei imperator, principes iterum moliti sunt contra eum conspirationem facere, auxilia praesertim sperantes ab Henrico II Franciae rege. Ipsi vitae Caroli insidiae paratae sunt. Praeterea in animo fuit episcopos omnes et sacerdotes et principes imperii ecclesiasticos interimere. Die 5 Octobri 1551, pactum cum Franciae rege fecerunt protestantes tesseramque sibi dederunt „Germaniam liberam" et „Evangelium". Anno 1552 coortum bellum est. Henrico II cum militum 35000 Lotharingiam occupante,

---

[1]) *Chalibaeus*, Die Durchführung des Leipziger Interims, Leipzig 1905.

et soldano, Henrici foederato, adverso Danubio Hungariam petente, incepit in Germania partium dimicatio horrenda et saeva, qualis antea numquam fuerat. Quo propius a Tridento abesset, profectus erat Oenipontum imperator, nec perfidiam Mauritii Saxonici nec seditionem populi suspicatus. Ad extremum usque Mauritius perfida incepta occultaverat, et nisi seditio in exercitu mota esset, imperatorem Oeniponti comprehendisset. Foedam capere fugam coactus est imperator trans Brennum montem [1]). Passavii, anno 1552, induciae factae sunt. At Albertus a Brandenburgia—Culmbach invasit in fines principum electorum ecclesiasticorum. Undique rapinae, incendia, caedes. Quae heroica facinora atrox iste Albertus perfecit nomine regis Franciae. Adeo res omnes ecclesiasticae et civiles perturbatae erant, ut Germania diceretur pejor quam Sodoma et Gomorrha, et tempora catholica reditura sperarentur. Conquestus est tam acriter Melanchton ut a Flacco Illyrico diceretur „reprobus, factus papista".

3⁰. Pretio quantocumque desiderabatur concordia civium reconcilianda. Quare praesertim principes electores ecclesiastici ardenter cupiebant ut convocarentur comitia, quae actum iri jam Passavii promissum fuit. Die 5 Februario 1555 incepta sunt **comitia Augustana** [2]). Eodem illo tempore congressi sunt *Neoburgum* praecipui e principibus protestantibus, statueruntque pro seipsis et haeredibus suis, ut nunquam a Confessione Augustana recederent. Ad eam jam processerant proterviam protestantes, ut in comitiis retulerint, ordines catholicos, si Confessioni Augustanae accederent, nihil de capitulis, praelaturis, beneficiis aut reditibus amissuros. Indignabundi respuerunt catholici (*reservatum ecclesiasticum*). Quo facto, bellum redintegrandum minati sunt protestantes. Perterrefacti tum ordines ecclesiastici, reliquas conditiones omnes protestantium acceperunt: destiterunt jurisdictione in protestantes dioecesium suarum, et dimiserunt bona ecclesiastica rapta. Facta multimoda altercatione, tandem, 25 Sept., decreta in comitiis **pax religiosa**

---

[1]) *Schönherr*, Der Einfall des Kurfürsten von Sachsen in Tirol, Innsbruck 1868.

[2]) *Beutel*, Ueber den Ursprung des Augsb. Interims, Dresden 1888. *Wolf*, Der Augsburger Religionsfrieden, Stuttgart 1890. Cf. Hist. Zeitschr., 1905, p. 206 sqq.

sancita est. Promissa est pax inter catholicos et Confessioni Augustanae adhaerentes. Certa facta protestantibus bonorum, quae rapuerant, possessio. Datum denique singulis principibus *jus reformandi*, i. e. jus postulandi ut subditi sui omnes aut nomen darent fidei, quam princeps vellet, aut cum bonis suis exsularent[1]). Hoc ultimo capite induci tyrannidem auferrique libertatem religionis et conscientiae, vix animadverterunt. Oppenhemia, 100 annorum spatio, decies fidem mutavit, 40 annis quater Palatinatus. Exitiosa fuit populo pax ista Augustana.

4⁰. Nec potuit ipsa, utrisque partibus nefasta, vix aliud quam induciae esse. Catholici fremebant, quod Ecclesia quum in rebus temporalibus tum in spiritualibus jacturam gravem fecerat, et protestantes perpetua ira movebantur, quod non plena iis licentia esset data, sed obligabantur ad servandum *reservatum ecclesiasticum;* quod tamen re et facto non servaverunt. Multi principatus ecclesiastici et capitula multa pedetentim protestantismo adjuncta sunt, propterea quod praelati praesides novae fidei nomen dederunt. Post pacem, 1555 compositam, fidem mutarunt Brema et Magdeburgum, Brandenburgia, Havelberga, Halberstadium, Martisburgum, Neoburgum, Misnia, Suerinum, Kamin, Verda, Lubecum et Minda. Ipsa quoque Colonia in discrimen venit[2]). Anno 1582 archiepiscopus Gebhard Truchsess de Waldburg apostatavit ad protestantismum et uxorem duxit Agnetem comitissam de Mansfeld. Contendentem ut principatum quoque ecclesiasticum suum reformaret et in saecularem converteret, adjuvit comes Palatinus Johannes Casimirus. At Gebhardum a sede demovit Papa in ejusque locum evexit Ernestum de Bavaria, qui, auxiliante sibi fratre suo Alberto, apostatam e dioecesi exsulare fecit. *Pace religiosa* statutum erat (1555), ut in civitatibus catholici juxta protestantes esse permitterentur. Quam parum hanc legem servarint, patet ex eo

---

[1]) *Hergenröther*, Kath. Kirche und christlicher Staat, p. 718—721. *Bonin*, Die praktische Bedeutung des jus reformandi, Stuttgart 1902 (Kirchenrechtl. Abhandlungen von *Stutz*).

[2]) *Lossen*, Der Kölnische Krieg, Gotha-München 1882—1897, 2 Bde. Hist. Jahrb. d. Görresgesellschaft, X, 493 sqq.

quod in Donaverda[1]), Columbariae, Haganoae et Argentorati aedes sacrae catholicis ereptae sunt et sacerdotes expulsi. Praeterea principes nonnulli *Calvinismum* in suis finibus introduxerunt. Qua re conditio *pacis Augustanae* violata est, cum solis Lutheranis et Catholicis venia esset data. Fredericus III, princeps elector Palatinus, jam pridem anno 1560 populos ditionis suae vi ad *Calvinismum* traduxit. *Catechismus Heidelbergensis*, ab Ursino et Oleviano compositus, facta regula fidei est. Gulielmus IV de Hassia, idem facere conatus 1604, integrum successum nactus non est. Brema jam 1560 exemplo Palatinatus se conformaverat. Posteriori tempore alii quoque principes minores nonnulli Calvinismo nomen dederunt (1610). Ultimus omnium (1613) idem fecit princeps elector Johannes Sigismundus de Brandenburgia. Quae quidem res hic, sicut in multis aliis locis, perfecta non est sine altercationibus acribus theologorum Lutheranae et Calvinianae fidei, sine turbis et caede. Catholicorum querelae fuerunt, *pacis leges* nullibi servari; protestantium vero, catholicas civitates et judicium imperii, in deferendis muneribus et honoribus, non pari jure uti, sed posthabere protestantes. Scriptis hucusque litigatum vehementissime fuit. Non tamen sedati sunt animi, econtra in dies acerbius exasperati[2]). Anno 1580, duce electore Palatino, efformata est factio seditiosa Calvinistica. Franciae rex favebat discordiis Germanicis; evertenda enim auctoritate imperatoris et infirmandis imperii viribus sperabat, se ad altissimum in Europa potestatis apicem evectum iri. Itaque Henrici IV praesidio, anno 1608, Ahusii *Unio* Calvinistica sancita est; cui subsecuta est 1609 Monachii *Liga* catholica. Prioris dux fuit princeps elector Palatinus, posterioris autem, Bavariae dux. Henrico IV tamen 1610 interempto, dilatum bellum est[3]).

5⁰. Diuturna exspectatione suspensum, anno 1618 demum in Bohemia **bellum 30 annorum** exarsit. Increbuerant hic paulatim valde protestantes et per *litteras majestatis* libere exer-

---

[1]) *Stieve*, Der Kampf um Donauwörth, München 1875.

[2]) *Janssen-Pastor*. V, 329—584.

[3]) *Ritter*, Deutsche Geschichte im Zeitalter der Gegenreformation und des dreissigjährigen Krieges, Bd. I—III, Stuttgart 1889—1903. *Janssen*, Bd. IV—VIII.

cenda sacra ubique acceperant, exceptis principum ecclesiasticorum finibus. Cujus exceptionis rationem non habentes, protestantes Braunoduni et Klostergrabii ecclesias suas aedificaverunt. Conquerentibus de hac re archiepiscopo Pragensi et abbate Braunodunensi, eas occlusit imperator, et ad Bohemos reluctantes gravissimam scripsit epistolam. Auctore Matthia Thurn seditio coorta est, factus impetus in curiam Pragensem, magistratus imperatorii per fenestras projecti foras et Fredericus V Palatinus rex Bohemiae pronuntiatus (Winterkönig). Vindobona ipsa periclitabatur. Tum Ferdinandus II (1619—1639), facto foedere cum Maximiliano Bavaro, in Austriam superiorem et Bohemiam profectus est, ubi exercitus, duce Tilly, cladem gravissimam hostibus intulit, ad *Montem Candidum* prope Pragam (8 Nov. 1620). Proscriptus Fredericus est et in Bohemia catholica fides restituta. Subjecto Palatinatu proeliis prope *Vimpinam* et *Höchst* (1622), Maximiliano Bavaro traditus est Palatinatus superior cum munere principis electoris [1]).

Bello quoque *Danico-Saxonico* (1625—1629) vicit imperator. Tilly profligavit Christianum Daniae, proelio prope *Lutram ad Barenberg* (1626) et Wallenstein devicit Mansfeldi exercitum prope Dessaviam. Itaque composita est *pax Lubeciana* (1629). Tum Ferdinandus II, sibi satis virium esse ratus ut repugnantes quoscumque superaret, tulit 9 Martio 1629 **edictum restitutionis** [2]). Cujus summa fuit, ut *pax Augustana* accurate servaretur, atque adeo Calvinistis non esset cultus libertas; ut bona ecclesiastica omnia, post annum 1555 saecularia facta, archiepiscopatus duo, episcopatus duodecim et abbatiae et monasteria multa numero catholicis redderentur. Aequum justumque certo fuit hoc decretum; fuisse etiam opportunum et prudenter latum, vix quisquam dicat. Etenim Franciae regis invidia, **Gustavi Adolphi** [3]) ambitio et exasperati principum protestantium animi mox prohibuerunt edictum exsecutioni mandari.

Coortum est *bellum Suecicum* 1630—1635. Gustavus Adol-

---

[1]) *Huber*, Geschichte Oesterreichs, V (1609—1648), Gotha 1896.
[2]) Hist. Zeitschr., Bd. 76 (1896), p. 62 sqq.
[3]) *Gfrörer*, Gustav Adolf und seine Zeit, 4 Aufl., Stuttgart 1863.

phus, gloriae cupidissimus expugnator, sed zelo fidei, quem in speciem prae se ferebat, cohonestatus, stetit cum principibus protestantibus, auxiliante praesidiis rege Franciae, adversus imperatorem et Ligam catholicam. Expugnato Magdeburgo (1631), Tilly, hucusque invictus, *Breitenfeldii* prope Lipsiam (1631) proelio victus et prope Rainam adeo graviter vulneratus est, ut 20 Aprili 1632 obierit. Victor signa protulit rex Sueciae, donec 6 Novembri 1632 cecidit proelio prope *Lucena*, in quo etiam interemtus est Pappenheim. Quum denuo vicisset imperator proelio prope *Nordlingam* (1634), demum *pax Pragensis* (30 Majo 1635) reconciliata est, qua abrogatum *edictum restitutionis*. Germania autem universa pacis quietem efflagitante, Francia (Richelieu) persecuta est bellum[1]).

Quod Suecico-Francicum bellum (1635—1648) ad extremum usque Germanicos agros depopulavit. Varii per varias imperii partes pervagabantur exercitus. Integros annos tredecim omnia violata, caesa, expilata, incensa. Anno 1641, Hamburgi inceptum est agi de pace, quae, deinde Monasterii et Osnabrugae (1645) tractata, tandem facta est *pax Monasteriensis*, anno 1648. Haec summa fuit[2]):

a. Statutus est *annus justus* 1624. Cujus fuerint, kalendis Januariis anni 1624, ecclesiae, scholae, monasteria, et bona, quae ad haec omnia pertinebant, is in harum rerum omnium possessione manebit. Itaque *reservatum ecclesiasticum* pro utrisque partibus statutum est: retinuerunt protestantes bona archiepiscopatuum duorum, episcopatuum decem, abbatiarum sex; catholicis contra tutata est possessio archiepiscopatuum quatuor, episcopatuum viginti, abbatiarum octo, et principatuum duorum, equitum scilicet Teutonicorum et ordinis S. Joannis. *b.* Par erit ordinibus omnibus *jus reformandi*, exceptis civitatibus. Licitum tamen unicuique, manere in ea confessione, cui anno 1624 publice adhaerebat. Eadem statuta sunt de consistoriis, praedicantibus et ludimagistris (*annexa religionis*). *c. Pax Augustana*, pridem solis catholicis et Lutheranis concessa, in posterum etiam Calvinistis data est. *d.* Statutum deinde ut judicio imperatorio

---

[1]) *Hanotaux*, Hist. du card. de Richelieu, Paris 1896—1903.

[2]) *Joh. Gottfr. von Meiern*, Acta pacis Westphalicae publica, 6 Tom. Hannover, 1734—1736. Vide praesertim Tom. VI, p. 128 sqq.

praesiderent catholici duo et protestantes duo, utque judicum sedes 48 aequabiliter adjudicarentur utrique parti. *e.* Ut in comitiis servaretur *jus eundi in partes*, i. e. ut in rebus ecclesiasticis decernendis non vinceret major deliberantium pars, sed ex conventione utrarumque partium lites dirimerentur (*Corpus Evangelicorum* et *Corpus Catholicorum*).

Itaque quae detrimenta, annorum 130 spatio, in Germania acceperat Ecclesia, hac pace Monasteriensi publice sunt firmata et sancita. Fabio Chigi (futurus Alexander VII), tum legatus pontificius, die 26 Octobri 1648 reclamavit statutis iis omnibus, quibus injuria fiebat Ecclesiae. Eodem ipso die Innocentius X subscripsit bullae *Zelo domus Dei*, qua irrita declaravit et iniqua eadem illa capita. Qua declaratione gravissimo suo officio functus est. Neque, qui id ei crimini dederit, justo consilio egerit[1]). Principes tamen jam anteverterant ejusmodi reclamationem: „*Contra hanc transactionem... nulla jura canonica... aut concordata cum Pontificibus... unquam allegentur*"[2]).

---

[1]) Ita judicat *Menzel*, Neuere Geschichte der Deutschen, IV, p. 268.
[2]) Acta pac. Westph. publ., VII, p. 128 sqq. Art. XVIII, 3.

CAPUT SECUNDUM.

Reformatio in reliquis Europae partibus. Ejus interna explicatio.

§ 143 – § 152.

§ 143. Zwinglius et Zwinglianismus in Helvetia.

Opera Zwinglii edita a *Schuler* et *Schulthess*, 8 Bde, Zürich 1828—1842. Suppl. 1861. Nova editio in Corpus reform. Tomi 88, ed. *Egli* et *Finsler*. Bd. I, Berlin 1904. *Stähelin*, Huldreich Zwingli. Sein Leben und Wirken, 2 Bde, Basel 1895—1897. *Jackson*, Huldreich Zwingli. The reformer of German Switzerland, London 1901. *Oorthuis*, De anthropologie van Zwingli, Leiden 1905 (Dissert.), *Bachofen*, Essai sur l'ecclésiologie de Zwingle, Genève 1890 (Thèse). *Janssen-Pastor*, III Bd, p. 92 sqq. 256 sqq. *De Haller*, Hist. de la révol. relig. ou de la réforme prot. dans la Suisse occidentale, Paris 1837.

1⁰. Zwinglius, anno 1484 natus in vico Wildhausen, in comitatu Helvetico Toggenburgensi, peracto studiorum curriculo Bernae, Basileae et Vindobonae, renuntiatus est parochus primum Glaronensis, dein Insularis et postea plebanus Tigurensis. Etsi, ipso fatente[1]), caste non vivebat, vehementer tamen et valde diserte invehebat in clericorum corruptos mores, Ecclesiam, cultum sanctorum, sacerdotium et vota religiosa. Leonis X promulgatae indulgentiae etiam ipsi opportunitatem praebuerunt suae doctrinae in publicum proferendae. Non habens in finibus suis, quos praetexeret, commissariorum abusus[2]), tamen Tiguri praedicavit adversus indulgentias et cupidissime audiebatur (1519—1520). Suam in Ecclesiam seditionem inchoavit anno 1522, quum invalidam diceret legem jejunii. Jam tum, una cum aliis quibusdam, postulavit ut

---

[1]) *Janssen*, An meine Kritiker.

[2]) *Paulus*, Der Ablassprediger, B. Sanson, Der Katholik, 1899, II, p. 434 sqq.

abrogaretur lex caelibatus et ut concederetur Communio sub utraque specie, et praedicavit adversus traditionem, synodos et primatum. Pauco tempore post, uxorem duxit Zwinglius misitque ad omnes clericos suam *Introductionem ad novam doctrinam*. Quo edito exemplo, clerici multi numero matrimonium inierunt. Factio in dies increvit.

2°. **Doctrina**[1] Zwinglii pantheismo et fatalismo laborat. Divina est omnium rerum essentia. Omnia enim per emanationem e Deo enata sunt. Creatura libero arbitrio non gaudet, sed in manu Dei est id, quod instrumentum est in manu artificis. Deus ergo omnium rerum causa est, etiam peccati. Quaevis violatio legis peccatum est, licet homo, libero arbitrio destitutus, necessario peccatum committat. Deus non peccat compellendo hominem ad peccatum, eo quod Deo non est lex. Omnis mali germen in homine amor proprius est. Peccatum originale est inclinatio ad malum, naturae morbus, quem baptismus non sanat. Quoniam e Deo omnia sunt exorta, ideo omnia ad Deum revertuntur. Universam Ecclesiae institutionem abjecit Zwinglius, democratica ratione suam informans. Constat ecclesia solis praedestinatis, quorum ad ecclesiam adnumerationis merum signum est baptismus. Sacramentum Altaris non est nisi panis et vinum, in memoriam societatis cum Christo initae. Cultus, auctore Zwinglio, constat praedicatione et communione.

3°. Principio, reliqui Helvetiae pagi Germani doctrinam Zwinglii respuerant, miserantque legatos Tigurium, qui suaderent ac supplicarent, ne a fide antiqua recederent. Frustra. Anno 1525 instituta est ecclesia publica, secundum Zwinglii doctrinam. Religio catholica abolita est et, quae ad ejus cultum pertinebant, rapta aut deleta. Bona capitulorum et monasteriorum sibi vindicavit civitas Tigurensis. Gravissime vetitum est facere aut audire Sacrum. Mox etiam in alios Helvetiae pagos permanavit haeresis. Berna anno 1528 accepit Zwinglianismum, nec prohibuit quominus iconoclastae atrociter machinarentur. Basileae ad novam doctrinam inducendae allaboravit praesertim Oecolampadius[2], auxiliantibus, pauco tempore post,

---

[1]) *Baur*, Zwinglis Theologie, ihr Werden und ihr System, 2 Bde, Halle 1885—1888.

[2]) *Hagenbach*, Joh. Oekolampadius und Myconius, Elberfeld 1859.

Gulielmo Farel, praedicatore simul ac feroce iconoclasta, et postea Munster et Grynaeo professoribus[1]). Anno 1527 id obtinuerunt, ut liceret novae doctrinae esse et coli. Quod quum factum esset, mox anno 1529 antiquus cultus per vim eversus est, ac tanto furore in imagines bacchatum, ut Erasmus indignabundus urbe exierit. Pari modo actum est Mulhusae (1528), Abbatis Cellae, Glaronae et Scaphusiae (1528). Ineunte anno 1529, Vadianus[2]), magister civium, St. Gallen introduxit Zwinglianismum permisitque ut iconoclastae ferociae suae indulgerent in magnifica abbatiae ecclesia. Objicientibus, eam ecclesiam non esse in civitatis possessione, responsum est „Evangelium conferre jus ad omnia". Pagi autem Lucerna, Ura, Suitium, Subsilvania, Tugium, Vallesia et Friburgum in fide catholica steterunt firmi.

4⁰. Iste Zwinglii suorumque fanatismus, perpetuo catholicos ad abjiciendam rectam fidem propellens, eosque injuriis obruens et lacessens, nequivit non esse **belli** causa. Disputatio Basileensis (1526) roboraverat catholicos, haereticos irritaverat. Jam anno 1527 Zwingliani foedus pepigerant cum Constantia, cui anno proximo Basilea, Berna et alii pagi se adjunxerunt. Catholici contra, ne sibi salutique suae deessent, *foedus Vallesianum* inierunt cum Ferdinando (1529). Tum tamen bellum nondum obortum est, sed res compositae Kappelii (1529). Cui pactioni Tigurenses non steterunt diu. Vi conati sunt in confiniis civitatis suae novam doctrinam intrudere: „idololatriam" enim et „sacerdotes Baal" exterminandos dixerunt. Zwinglius praesertim sermone fanatico magistratus Tigurenses in catholicos incitavit. Qui, frustra flagitato auxilio ab imperatore et Rege Romano Ferdinando, tandem ipsi soli pro tutanda fide certamen inierunt. Die 11 Octobri 1531, acri proelio prope **Kappelium** Zwingliani victi sunt. Caesus, cum praedicantibus septem, Zwinglius[3]). Quam catholicorum victoriam Lutherus dixit poenam, a Deo Zwinglianis inflictam. Zwinglii partes suscepit Bullinger[4]), et Oecolampa-

---

[1]) *Chenevière*, Farel, Froment, Viret, réformateurs, Genève 1835.
[2]) *Arbenz*, Joachim Vadian im Kirchenstreite (1528—1531), St. Gallen 19'5.
[3]) *Hyrvoix*, in Revue des quest. hist., 1902 (LXXI), p. 465 sqq.
[4]) *Schulthess-Rechberg*, Bullinger der Nachfolger Zwinglis, Halle 1904.

dio, paulo post defuncto, successit Myconius. In multis locis cultus antiquus instauratus est. Tigurium tamen, Basilea, Berna et Scaphusia Zwinglii doctrinae stare perrexerunt. Paulatim ab haeresis magistris confessiones sunt confectae. Annis 1532—1534 Oecolampadius et Myconius fecerunt *Confessionem Basileensem priorem*, anno 1536 Bullinger, Myconius et Grynaeus **Confessionem Helveticam I,** seu *Basileensem posteriorem*, capitibus 28, anno demum 1564 Bullinger **Confessionem Helveticam II,** quam Gallice vertit Beza et postea aliae quoque nationes suam fecerunt[1]).

---

§ 144. Calvinus et Calvinismus in Helvetia.

Johannis Calvini opera, ed. *G. Baum*, *E. Cunitz* et *E. Reuss* (Corp. reform. Tom. XXIX sq.), Brunswigii 1863—1900. Opera omnia Joh. Calvini, Tomi 9 fol. Amstelodami 1671. *Herminjard*, Correspondance des réformateurs dans les pays de langue française, 9 vol., Paris 1866—1897. *Pierson*, Studiën over Johan Calvijn, 3 deelen, Amsterdam 1881—1891. *Kampschulte*, Johann Calvin, seine Kirche und sein Staat in Genf, 2 Bde. Leipzig 1869—1899. *Doumergue*, Jean Calvin, les hommes et les choses de son temps (hucusque tomi 3) Lausanne 1900—1906. *Choisy*, La théocratie à Genève au temps de Calvin, Genève 1897.

1⁰. Eodem fere tempore ac Lutheranismus et Zwinglianismus, enatus etiam est Calvinismus, qui sedem principem collocavit Genevae et temperatione sua et efficientia longe iis fuit superior. Lutheranismus vix valuit transire fines Germaniae et Scandinaviae, Zwinglianismus fere fuit Helvetiae terminis circumscriptus, Calvinismus vero permanavit in Helvetiam Gallicam, Palatinatum, Franciam, Neerlandiam, Angliam, Scotiam, Hungariam et Transilvaniam. Joannes **Calvinus** (Jean Chauvin), natus 1509 Novioni, litteris incubuit Parisiis primum, dein Aureliani et Biturigis. Per Melchiorem Volmar incidit in notitiam doctrinae Lutheranae, quam jam anno 1533 studuit propagare et defendere (*De christiana philosophia*). Quum fieret inquisitio Parisiis, exiit Calvinus et Aureliani com-

---

[1]) *Niemeyer*, Collectio confessionum in eccles. reform. publicatarum, Lipsiae 1840.

posuit primum suum opus theologicum: *De Psychopannychia* contra anabaptistas. Anno 1535 absolvit Basileae opus suum princeps: *Calvini Institutio* (posterius inscriptum *Institutiones*) *religionis christianae*, quod, dedicatum Francisco I Franciae regi, primum edidit Basileae 1536. Singulis posterioribus editionibus copiosius exaratum est[1]. Initio in partes 6 divisum, postrema a Calvino facta editione constat capitibus 80, in libros 4 divisis: *De cognitione Dei Rectoris; De cognitione Dei Redemptoris; De modo percipiendae gratiae Christi; De externis mediis ad salutem.*

2⁰. Quodsi inventionis felicitate fortasse inferior Calvinus fuit Luthero et Zwinglio, dialectica disserendi arte longe utrumque superavit. Dogma princeps **doctrinae**[2] ejus est *absoluta praedestinatio et reprobatio.* Deus inducit hominem et propellit ad peccatum, quod tamen voluntarie committitur, eo quod non est propulsio externa sed interna. Partem alteram hominum creat Deus, ut per eos patret mala; orta inde necessitas tamen non est fatalismus, sed occulta Dei voluntas, quae justa est, licet homini incomprehensibilis[3]. In *justificationis* capite non multum Calvinus a Luthero dissensit. Fides ei est quasi vas testaceum, quo, ipso nullius pretii, offertur Patri Jesus Christus, qui salvificat hominem. In iis, quae consequuntur e *peccato originali*, Calvini doctrina anceps haesit, ita ut imaginem Dei in homine alias exstinctam profiteatur alias tantum vitiatam. Ethnicorum bona opera vocat peccata, fidelium non integre pura. Duo tantum voluit esse Sacramenta. Qui praedestinati sunt reprobi, per baptismum externe tantum abluuntur, gratiam non recipiunt, sicuti in communione iis nihil est nisi panis et vinum. Negavit trans-

---

[1]) *Lanson*, L'Institution chrétienne de Calvin (Revue hist. 1894 (Tom. 54), p. 60 sqq.).

[2]) *Lelièvre*, La maîtrise de l'esprit. Essai critique sur le principe fondamental de la doctrine de Calvin, Cahors 1900. *Grosclaude*, Exposition et critique de l'écclésiologie de Calvin, Genève 1896.

[3]) „Dicimus aeterno et immutabili consilio Deum semel constituisse quos olim semel assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanae dignitatis aspectu: quos vero damnationi addicit, his justo quidem et irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius judicio vitae aditum praecludi". Inst. Lib. III, Cap. 21, n. 7. ed. Lugdun. Batav. 1654, p. 329.

substantiationem imo vero ipsam Christi *praesentiam realem;* tantum agnovit *praesentiam virtualem*, ita ut praedestinati ad vitam in communione non recipiant Christi corpus, sed solam virtutem divinam emanantem e corpore Christi in caelo praesente[1]). De *Ecclesia* docuit eadem Calvinus ac Lutherus. Invisibilis est, coalescens e praedestinatis, regiturque a praedicantibus, senioribus et diaconis, constitutis a coetu. Unicus fidei fons Scriptura est, quam interpretantur singuli fideles secundum internum testimonium S. Spiritus.

3°. Anno 1536 sedem Calvinus collocavit Genevae et brevi gaudebat ampla praedicantis et professoris auctoritate. Odium tamen civium in se concitavit ob arbitrariam et vere **tyrannicam** agendi rationem, praesertim cum reprobaret Zwinglianos, aboleret dies festos, pane fermentato uteretur in communione etc. Anno 1538, simul cum Farel civitate pulsus, venit Argentoratum, ubi anno 1540 matrimonio sibi junxit Idelettam de Buren. Instanter flagitatus ut Genevam rediret, sibi conditiones depactus est, et fere infinitam in temporalibus rebus et spiritualibus auctoritatem obtinuit. Instituit ordinem vitae domesticae, civilis et ecclesiasticae, secundum opus suum cui titulus: *Institutio ecclesiasticae ecclesiae Genevensis*[2]). Custodiam de moribus fidelium et eorum assiduitate in ecclesia mandavit *Consistorio*, cujus judicia erant severissima. Constabat praedicantibus sex et senioribus 12. Singulis hebdomadis habebatur consessus ad damnandos peccatores publicos. Poena mortis erat lege proposita idololatris, blasphemis, filiis qui

---

[1]) „Praesentia Christi in sacramento minime talis somnianda nobis est qualem Romanae curiae artifices confinxerunt: acsi locali praesentia, corpus Christi manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum sisteretur . . . ita sub haec corruptibilia elementa retrahere ipsum, aut ubique praesens imaginari, prorsus ducimus nefas esse. Neque id sane opus est, quo ipsius participatione fruamur: quando hoc beneficii per Spiritum suum nobis Dominus largitur, ut unum corpore, spiritu et anima secum fiamus. Vinculum ergo istius conjunctionis est Spiritus Christi, cujus nexu copulamur: et quidam veluti canalis, per quem quidquid Christus ipse et est et habet, ad nos derivatur. Nam si solem conspicimus radiis in terram emicantem, ad generandos, fovendos, vegetandos ejus foetus suam quodammodo substantiam ad eam trajicere . cur inferior Spiritus Christi esset irradiatio ad communionem carnis et sanguinis ejus in nos traducendam?" Inst. Lib. IV, C. XVII, n. 12, ed. Lugd. Batav., p. 491.

[2]) Ordonnance ecclésiastique de l'église de Genève.

caederent patrem vel male ei dicerent, adulteris et haereticis. Crebro usu adhibebantur tormenta. Brevi Genevae facies tristis fuit et tenebris offusa. Spectacula, saltationes, musicorum cantus prohibita. Tabernarum loco, habebantur coetus ad pastum animorum spiritualem. Voluit Calvinus ut communioni praeficeretur aliqualis confessio. In adversarios suos, quos vocabat intemperate viventes (libertins)[1]), implacabili severitate invehebat. Sebastianus Castellio, celeber ille praedicans, et Hieronymus Bolsec medicus in exsilium ejecti sunt, Ameaux consiliarius repugnandi scelus in vinculis luit; Jacobus Gruet capite plexus est; Gentilis, ob errorem in doctrina Trinitatis morte damnatus, solemni facta ejuratione vitam redemit. Michael Servede, medicus Hispanus, haereticus igne exustus est[2]). Multi vincula passi sunt, quod in solemniis nuptiarum saltaverant. Offendere *dictatorem* erat inter crimina capitis recensitum. Contra omnes eos, qui Calvinianae doctrinae nomen dare nollent, tyrannico more actum est. Annis 1542—1546 homines 57 capitis damnati[3]).

4⁰. Haeresis propagandae causa condidit Calvinus, anno 1558, Genevae suam **Academiam**[4]), in qua, cum philosophiae disciplina et Graecae et hebraicae linguae scientia, praesertim etiam theologia tradebatur. Cujus adeo ingens fuit studiosorum frequentia, ut anno primo jam affuerint numero 200. Absolutis studiis, hi redierunt in Franciam, Germaniam, Angliam, Scotiam et Neerlandiam, non solum ejus haereticam doctrinam propugnantes, sed etiam ejus de republica administranda consilia, unde fere ubique turbae et seditiones in principum auctoritatem proruptae sunt. Obiit Calvinus Genevae, die 27 Majo 1564.

---

[1]) *Gallife*, Quelques pages d'histoire exacte sur les procès intentés à Genève en 1547, Genève 1862; Nouvelles pages d'histoire exacte, Genève 1863.

[2]) *Van der Linden*, Michael Servet, een brandoffer der gereformeerde inquisitie, Groningen 1891. *N. Paulus*, Hist. Pol. Blätter, Bd. 136 (1905), p. 161 sqq. *Calvin*, Déclaration pour maintenir la vraie foi ... contre les erreurs détestables de Michel Servet Espagnol, où il est montré qu'il est licite de punir les hérétiques.

[3]) *Rouquette*, L'Inquisition protestante. Les victimes de Calvin, Paris 1906. *Bouvier*, La question Michel Servet, Paris 1908.

[4]) *Borgeaud*, Histoire de l'université de Genève. L'académie de Calvin, Genève 1901. *J. A. Gautier*, Histoire de Genève jusqu'en 1608, 8 vol., Genève 1896 sqq.

Per totam vitam voluntatis firmitate et assiduitate laborandi eminuit. Non fuit divitiarum cupidus, sed vir simplex, sobrius, in vitae moderatione austerus; at superbus, iracundus et vindictae cupidus. Ei successit Genevae praestantissimus ejus discipulus Theodorus Beza, jam inde ab anno 1558 academiae magister. Mitiore indole, omnium animos in se conciliavit, multosque scientiae suae fama Genevam allexit. Constanter usque ad obitum, anno 1603, ibidem Calvini doctrinam sententiamque propugnavit[1]).

---

§ 145. Calvinismus in Francia.

Serrani, Comment. de statu religionis et reipublicae in regno Galliae, Tomi 4, Genevae 1572 sq. *Théod. de Beza* (?), Histoire ecclésiastique des églises réformées au royaume de France (ad 1563), Anvers 1580. *Coignet*, La réforme française avant les guerres civiles (1512—1559), Paris 1890. *Imbart de la Tour*, Les origines de la réforme, Paris 1904. *G. de Félice*, Histoire des protestants de France, 8e éd., Toulouse 1895. *E. Lavisse*, Hist. de France depuis les origines jusqu'à la Révolution, Tome V (1492—1559), par *H. Lemonnier*, Paris 1903. Tome VI par *Mariéjol*, Paris 1904; Tome VII, Paris 1905. *Hanotaux*, Histoire du cardinal de Richelieu, 2 vol., Paris 1896—1903. *Richter*, Die pädagogische Lit. in Frankreich während des XVI Jahrh., I. Die Katechismen, Leipzig 1904. *De Meaux*, Les luttes religieuses au XVIe siècle, Paris 1879. *Lutteroth*, La réformation en France pendant la première période, Paris 1859. *F. Buisson*, Sébastien Castellion (1565—1663); Etude sur les origines du protestantisme libéral en France, 2 vol., Paris 1891.

1°. Irrepsit in Franciam protestantismus primum per scripta Lutherana, nactusque est multos magnaeque auctoritatis viros sibi faventes. Gulielmo Briçonnet episcopo Meldensi, ibidem, anno fere 1520, coaluit coetus Lutheranus, quem novam fidem docuerunt Le Fèvre[2]), Farel et Le Clerc. At 1523 reprobati sunt a Sorbona ex eorum Epistolis et Evangeliis errores 48; quo facto, nonnulli poenis affecti, alii capta

---

[1]) *Choisy*, L'état chrétien calviniste à Genève au temps de Théodore de Bèze, Genève 1902. *Fajus*, De vita et obitu Theodori Bezae, Genevae 1606.

[2]) *C. van Proosdij*, J. le Fèvre d'Etaples, voorganger van Calvijn, Leiden 1906.

fuga evaserunt. Postea Bucerus quoque et Melanchton conati sunt auctoritatem sibi comparare et Sorbonam ad disputandum elicere. Frustra tamen. Nec Calvino res successit. At, anno 1530, Waldenses in Francia, Helvetia et Italia, inita societate cum protestantibus, brevi tempore omnimoda vi et violentia usi sunt. Quae turbae licet a d'Oppède, praeside comitiorum Aquis Sextiis, fuerint repressae, tamen in dies novi libri haeretici fines penetrarunt. Sensim Lutherani loco cedere debuerunt Calvinianis, qui in Françia *Hugenoti* vocati sunt[1]. Non tamen potuit adolescere secta, eo quod Henricus II (1547—1559), sicut qui ei praecesserat Franciscus I, haereticis extra fines Franciae degentibus praesidio fuit, sed, qui intra fines degerent, eos acriter persecutus est. Inquisitores industriam adhibuerunt majorem. Impedire tamen non valuerunt quominus, mense Majo 1559, Parisiis haeretici synodum agerent, conficerent symbolum (*Confessionem Gallicanam*) et instituerent ordinem ecclesiasticum presbyterianum, sicut in Helvetia fecerant[2].

2⁰. Quo tempore Henricus II moriebatur, jam aliqui e gentibus Bourbon et Coligny ad haeresin Calvinianam transierant: e. c. Antonius de Vendôme, rex Navarrae, ejus frater Ludovicus de Condé, Montmorency, qui classi praeerat Coligny, Odet de Chatillon cardinalis. Exacerbati regis defuncti severitate, et ambientes gentis Guisiorum potestatem, conspirarunt in hos. Sed emanarunt consilia et plures eorum poenam capitis subierunt. Quo facto licet aucta esset Guisiorum auctoritas, edicta tamen (12 Martio et 7 Majo 1560) contra protestantes exsecutioni mandata non sunt, impediente regis matre Catharina Medicea, ita ut iterum conjuraverit princeps de Condé. Peremto iterum consilio, de Condé jam comprehensus et mortis erat damnatus, quum obiit Franciscus II (1559—1560) et Carolus IX (1560—1574) ei successit, sub tutela Catharinae. Haec poenam remisit de Condé contenditque utrasque partes, catholicorum et protestantium, gratia sibi conciliare; qua regnandi

---

[1]) Dubia est nominis derivatio: Eigenots (= socii jurati), Huguenot (= phantasma nocturnum), Duganan (in lingua Provincialium) = noctua.

[2]) *Pidoux*, La discipline ecclésiastique des églises réformées de la France, Lausanne 1901.

ratione causa fuit, cur tristissime sit de religione litigatum. Mense Septembri 1561, viros doctos catholicos et protestantes convocavit ad **colloquium Possidiense** [1]). Disputarunt praesertim Beza et Laynez. Praemonuit Laynez, ne ferrentur edicta dogmatica. Catharina tamen conventionem componi fecit, quam Sorbona ut haereticam damnavit. Die 17 Januario 1662 iterum Catharina patefecit, quantopere faveret protestantibus. Tulit enim *edictum S^i^ Germani*, quo protestantibus concedebatur ut extra urbes fidem suam libere colerent. Quo non contenti, protestantes multimoda vi egerunt in catholicos. Die 1 Martio 1562, consecuta est *caedes Vassy* [2]). Viris e comitatu Francisci ducis de Guisia orta rixa est cum protestantibus, cantantibus psalmos in horreo. Franciscus accurrens ut turbam sedet, projecto lapide vulneratur; tum, ira accensi, viri de comitatu, armis usi, Hugenotos 60 interfecerunt. Quae proxima causa fuit exorti **belli civilis** [3]).

3⁰. Catholicorum duces fuerunt Franciscus de Guisia, Montmorency et de St. Andrea; protestantium principes fuerunt duces de Chatillon et de Condé. Qui, instructo exercitu, nonnullas urbes occupavit. At mense Majo, commisso proelio prope Tolosam, victi sunt. Quo facto quum non se subjicerent Hugenoti, edictum S^i^ Germani abolitum est. Perseverantibus in bello catholici, mense Decembri 1562, prope Durocasses ingentem cladem intulerunt. Proelio captus est de Condé, Coligny Aureliano occlusus se munivit. Quem cum obsidione cingeret de Guisia, hic mense Februario 1563 a Calvinista Poltrot interfectus est [4]). **Primum bellum** terminavit, Martio 1563, *pactum Ambaciacense* quo *edictum S^i^ Germani* nonnihil temperatis conditionibus instauratum est.

4⁰. Non contentis de Condé et Coligny **alterum bellum** mox exarsit. Regno maturus Carolus IX, pacis causa profectus in Franciae partes meridionales, congressus est cum sorore sua uxore Philippi II, Hispaniae regis, et cum duce

---

[1]) *A. de Ruble*, Le colloque de Poissy, Paris 1889.

[2]) Stimmen aus M. L., 1872, p. 510 sqq.

[3]) *Lacombe*, Les débuts des guerres de religion. Catherine de Médicis entre Guise et Condé, Paris 1899.

[4]) *De Ruble*, L'Assassinat de François de Lorraine, duc de Guise, Paris 1898.

de Alba. Perterrefacti Hugenoti, seditionis universae consilio capto, initium fecerunt, die 29 Sept. 1567, a *caede S. Michaelis Nemausana*[1]), qua caede catholici 120 saeve necati sunt eorumque corpora projecta in puteum aedis episcopalis. Hugenotis, Lutetiam Parisiorum occupare tentantibus, cladem intulerunt catholici, prope S. Dionysium; quo tamen proelio dux eorum Montmorency cecidit. Copiis deinde e Palatinatu in auxilium missis, cum Hugenotis sancita est *pax Longjumeau*, quo foedere conditiones pacis S. Germani iterum firmatae sunt. Quum autem his non contenti Hugenoti plura postularent, indignabundus Carolus IX, rupta pace ac mortis poena proposita, interdixit ne haeresis coleretur.

5⁰. Illico exortum est **bellum tertium** (1569). Praesidio utentes regis, Angliae, Gulielmi Arausicani et Johannae d'Albret tamen ad Jarnaicum iterum cladem acceperunt Hugenoti, caeso eorum duce de Condé (Martio 1569). Tum Hugenotorum duces facti sunt Coligny, Henricus Benearniensis Navarrae princeps et Henricus de Condé. At, facto proelio prope Montem Contorium (3 Oct. 1569), iterum victi, amicis suis intercedentibus apud regem debuerunt quod non sunt poena capitis interemti. Mense Aug. 1570, composita est pax Sti Germani-in-Ledia, qua factio Hugenotorum robore firmata est. Concessa iis est cultus libertas per totum regnum, sola Lutetia Parisiorum excepta. Insuper data sunt iis municipia quatuor (Rupella, Mons Albanus, Conniacum et Caritas-ad-Ligerim), declaratique sunt idonei ad omnia magistratuum munera. Deinceps Coligny acceptus in aula est, Henricus, Navarrae princeps, duxit Margaretham Valesiam (18 Augusto 1572), regis Franciae sororem[2]). Catholici, gravissime humiliati, in dies auctoritatis jacturam subierunt, Hugenotis et Coligny dignitate crescentibus. Conatus deinde est Coligny a regno excludere Catharinam Mediceam et propellere Carolum IX ad suscipiendum pro protestantibus bellum adversus regem Hispaniae. Vindictam

---

[1]) *Combes*, L'entrevue de Bayonne, Paris 1882. *Rouquette*, L'inquisition protestante. Les St.-Barthélémy calvinistes, Paris 1906.

[2]) Petierant dispensationem a Pio v. Cui, kalendis Majis mortuo, successit Gregorius XIII, cujus dispensationis responsum non exspectaverunt, eo quod putarent matrimonium esse necessarium ad regni incolumitatem.

meditabatur Catharina. Irritis factis ejus insidiis, vulnerato quidem Coligny, non occiso, protestantes ultionis causa minabantur mortem Catharinae et ducibus de Guisia et Andegavensi. Qui, terrefacti, consilium inierunt totius factionis protestantium interimendae. Persuaserunt regi, id esse necessarium atque ita causa fuerunt tristissimae caedis **nocte S. Bartholomaei** (24 Aug. 1572). Subito captum consilium fuit, non praemeditatione et deliberatione paratum scelus. Cum Hugenotis multi quoque catholici sunt interfecti. Ne conjecturando quidem numerus interfectorum statui potest. Dicunt 1000—2000 periisse Parisiis, 6000—8000 in provinciis. Quae tamen computatio haud dubio modum excedit. Coligny certe fuit caesorum omnium primarius [1]). Nuntiatum est principum aulis, conjurationem adversus regem ejusque domum internecione conspiratorum irritam esse factam. Cui nuntio, sicut alii, fidem quoque adhibuit Gregorius XIII, et gratiarum actionem solemnem obtulit Deo, de salvata familia regia et fidei integritate. Pro ne minima quidem parte aut Papa aut Ecclesia [2]) in causa hujus eventus fuerunt.

6⁰. Multi Hugenoti exsularunt, alii ad antiquam fidem redierunt. Valde multi tamen tutam sedem quaesiverunt Rupellae. Obsidendo hanc urbem inchoatum est **bellum quartum** (1573). Electo autem, eodem anno, Henrico Andegavensi in regem Poloniae, a bellando cessatum est et Hugenotis libertas cultus concessa. At anno 1574 obiit Carolus IX, cui redux in Franciam successit Henricus III. Qui bellum recepit. At brevi pax Belli-Loci composita est (1576). Plena Hugenotis cultus libertas concessa, Parisiis exceptis, et jura civilia omnia; legitimi declarati sunt liberi sacerdotum et monachorum, datis municipiis addita quatuor (Salmurium, Niortum, St. Joannes-Angeriacus et Maceriae).

7⁰. Qua pace Hugenotis viribus et juribus auctis, consequens fuit ut etiam catholici arctius sociarentur. Quod factum per

---

[1]) Revue des questions hist., 1866 sqq.; 1884, Tom. 35, p. 386 sqq. *De la Ferrière*, La St.-Barthélémy, Paris 1892. *Elkan*, Die erste Publizistik der Bartholomäusnacht, Heidelberg 1905.

[2]) *E. Vacandard*, Les Papes et la St.-Barthélémy in: Etudes de critique et d'histoire religieuse, Paris 1905, p. 219 sqq.

Ligam sacram [1]), cujus caput fuit Henricus dux de Guisia, et socii per regnum universum plurium millium numero. Quum autem rex ne cogitare quidem posset de reprimenda ejus ingenti auctoritate, satius esse duxit ut ipse Ligae praeesset. Statim revocavit (Blesis 1577) libertatem cultus Hugenotis concessam. Quae causa fuit incepti **belli quinti,** quod tamen eodem anno compositum est pace Pictavii, qua reddita Hugenotis pacis prioris privilegia.

8°. His tamen non contenti inchoarunt, anno 1580, **bellum sextum,** quod finitum est pace Flexiae (26 Novembri), conditionibus Hugenotorum factioni faustissimis. Inde deinceps crevit valde Henrici de Navarra auctoritas, imo vero, anno 1584, fuit a rege ut sibi succederet designatus. Quo facto, ingens per totam Galliam oborta est commotio. Henricus de Guisia, catholicorum regni candidatus, armis plura feliciter egit; at cum fratre suo cardinali Lugdunensi, per proditionem, jussu regis interfectus est. Quamobrem Ligae socii insurrexerunt in regem. Doctores Sorbonae 70, eum regno dejectum declararunt. At Henricus III, inita societate cum Henrico de Navarra, armis impetivit Lutetiam Parisiorum, quum a Jacobo Clement, juvene Dominicano, quod tyrannus esset populi, anno 1589 est necatus.

9°. Ultimo e gente Valesiorum nece absumpto, Henricus IV de Navarra regno potitus est. Magna erat fortitudine et belli peritia ingenti. Ligae et Hispanorum vires fregit, sed tamen intellexit, se numquam cum quiete in Francia regnaturum, si maneret Calvinianae fidei assecla. Monuit eum Sully ut fidei catholicae nomen daret; quod demum publice fecit 25 Julio 1593 [2]). Tunc quies revocata et Liga dimissa. Pauco tempore post, negotium fidei compositum est per **edictum Nannetanum** [3]) : data est Hugenotis libertas cultus, aditus apertus ad munera publica omnia et ad scholas; concessum insuper est

---

[1]) *H. de l'Epinois,* La ligue et les papes, Paris 1886. *Richard,* La papauté et la ligue française, Paris 1901.

[2]) Etudes, Tom. 92 (1902), p. 91 sqq.; 101 (1904), p. 64 sqq.; 168 sqq. Revue des quest. hist., Tome 68 (1900), p. 217 sqq.

[3]) *Faurey,* Henri IV et l'édit de Nantes, Bordeaux 1903. Etudes, Tom. 98—99 (1904), 759 sqq.; 41 sqq. *Boulenger,* Les protestants à Nîmes au temps de l'édit de Nantes, Paris 1903.

ut liceret iis mittere allegatos in consilia publica Gratianopolitana et Burdigalensia; ut suas haberent universitates et municipia in annos octo. Conditiones paucae tantum et leves impositae sunt. Faustis his legibus potuerunt Hugenoti augeri multum numero et viribus. Henrico IV a Ravaillac necato, facultas municipiorum prorogata est iterum. Attamen inde ab anno 1621 persuasum regnantibus est, non posse pacem diuturnam cum tumultuosis Hugenotis haberi. Fuerunt enim eorum tunc civitates 760, cum nobilibus numero 400; poterant in bellum mittere armatorum 25 millia, habebantque urbes munitionibus armatas 200[1]). Regni administer Luynes coactus fuit armis eos aggredi, et, pace facta Montis Pessulani (1622), non abolevit edictum Nannetense, sed vetuit cogi conventus politicos, et duo tantum iis reliquit municipia. Capta Rupella est atque inde vires eorum fractae. Ludovicus XIV (1643—1715), inde ab inito regno, in hoc incubuit ut edictum Nannetense restringeretur aut aboleretur. Per vim agere coepit. Quae instituit *Dragonades* et *mission bottée*, graviter fuerunt a Papa[2]) reprobata, qui merito censuit non esse haereticos per vim et arma ad Ecclesiam reducendos. Demum 18 Octobri 1685 **abolitum est edictum Nannetense**[3]). Cultus omnis publicus Hugenotis interdictus est. Praedicantibus optio facta, ut aut converterentur aut finibus exirent, concesso iis emeriti muneris annuo, excedente una tertia parte eorum salarium. Reliqui omnes vetiti sunt patria egredi. Quod tamen multi fecerunt. Incertus eorum numerus est. Fuerunt qui numeraverint 48.700 aut 70.000, imo vero 225.000 aut 230.000. Seditiones etiam in nonnullis provinciis obortae, quae per vim sunt oppressae[4]). Haec revocatio edicti Nannetensis consona fuit Ludovici XIV tum indoli tum regni admi-

---

[1]) *Ranke*, Die Römischen Päpste, 9e Aufl., II, 279.

[2]) *Ranke*, ibd., III, 115, annot.

[3]) *Douen*, La révocation de l'édit de Nantes, 3 vol., Paris 1894. Revue des quest. hist., 1878 (tom. 24). Stimmen a. M. L., 1876. Mémoires des évêques de France sur la conduite à tenir à l'égard des réformés (1690), publiés par *Jean Lemoine* (Archives de l'hist. relig. de la France), Paris 1902.

[4]) *Douen*, Les premiers pasteurs du désert, 2 vol., Paris 1879. *Dom Vaissete*, Histoire générale de Languedoc, Toulouse 1876, Tom. XIII. *F. Vernet*, art. Camisards, in Dict. d. Théol. cath.

nistrandi rationi. Voluit auctoritate potens esse ad extra, quod non valuit, nisi esset, in regno ipso, animorum studiorumque unitas.

---

§ 146. Angliae defectio.

Dixon, History of the Church of England from the abolition of the Roman jurisdiction (ad annum 1570), 6 vol., London 1884—1902. *Allies*, History of the Church in England 1509—1603, 2 vol., London 1895. *Gairdner*, The English Church in the 16 century from the accession of Henry VIII to the death of Mary (New history of the Englisch Church, 4 vol.), London 1902. *Hall*, Henry VIII, 2 vol., London 1904. *Spillmann*, Die Englischen Märtyrer unter Heinrich VIII, 2e Aufl., Freiburg 1900. *Beezly*, Queen Elizabeth, London 1892. *Creighton*, Queen Elizabeth, New ed., London 1901. *Spillmann*, Die Englischen Märtyrer unter Elisabeth, Bd. I—II, Freiburg 1900—1905. *Idem*, Die Blutzeugen unter Jacob I, Karl I und dem Commonwealth (1603—1654), Freiburg 1905. *Idem*, Die Blutzeugen aus den Tagen der Titus-Oates-Verschwörung, Freiburg 1901. De Jacobo I vide *Zimmermann* S. J., der Katholik (1889), II, 253 sqq.; Röm. Quartalschr., 1902, p. 375 sqq. *Hutton*, The English Church from the accession of Charles I etc. (Hist. of the Engl. Church, Tom. VI), London 1903.

1°. Anglorum natio ad schisma[1]) primum, deinde ad haeresin propulsa est causa libidinis Henrici VIII. Regno potitus anno 1509, eodem anno duxit Catharinam Aragonensem, viduam fratris sui natu majoris Arthuri, qui, nuperrime ducta uxore, ante consummatum matrimonium obierat. Hoc conjugio cum dispensatione Julii II junctus, vitam jucundam agebat Henricus. Probe catholicus, oppugnavit oborientem reformationem, scripsitque contra Lutherum librum *De Septem Sacramentis*, ob quem a Leone X titulo *Defensoris fidei* est honoratus[2]).

2°. At anno 1527, captus amore erga Annam Boleyn, petiit ut suum matrimonium dissolveretur, causatus id fuisse invalide initum (secundum Lev. XVIII, 16; XX, 31 et

---

[1]) Vide praesertim *Pastor*, Gesch. der Päpste, IV, 2: Clemens VII, Kapitel XI, p. 483—516 et *J. Trésal*, Les origines du schisme anglican (1509—1591), Paris 1908.

[2]) *W. Walther*, Heinrich VIII von England und Luther, Leipzig 1908.

Marc. VI, 18). Wolsey[1]), cardinalis et regni administer potentissimus, regi praesidio fuit, conatusque est theologos ad suam mentem perducere[2]). Negotium Henricus detulit ad Clementem VII, qui ratus causas allatas non sufficere, neque expedire ut fieret inquisitio in Anglia, tamen petenti instanter Henrico eam permisit demum, mandavitque ut cardinales Wolsey et Campegio de re inquirerent. Moram temporis quaerebant, sperantes fore ut amor regis refrigesceret. Catharina doctum defensorem habuit, Joannem Fisher, episcopum Roffensem. At Henricus, suadente Thoma Cranmer, sacellano domestico gentis Boleyn, rem detulit ad universitates. Quarum multae, quum in Anglia tum in Francia, victam causam dederunt Henrico, plurimae tamen censuerunt matrimonium cum Catharina esse validum[3]). Wolsey autem, inimicus gentis Boleyn, etsi solvendo matrimonio favebat, tamen Annae adversabatur, atque ideo in odium regis venit († 1530). Interea Henricus, vehementer questus diuturnas moras interponi causae, quam sibi reservaverat Clemens VII, abrogavit annatas (1532) et in adulterio vixit cum Anna Boleyn. Quae, quum tempus pariendi appropinquaret, objurgavit Henricum, quod, facta spe regni, eam fefellisset. Quare Henricus, Papae decisione non exspectata, 25 Januario 1533, publice Annam duxit. Cranmer, animo protestans et occulte matrimonio junctus cum nepte Osiandri, evectus ad sedem archiepiscopalem Cantuariensem, Henrici matrimonium cum Catharina invalidum declaravit. Econtra Papa, die 11 Julio 1533, irritam esse jussit haec archiepiscopi Cantuariensis decisionem et, die 23 Martio 1534, solemniter pronuntiavit esse validum regis primum matrimonium[4]).

3°. Februario 1531, Henricus sibi jam arrogaverat *supre-*

---

[1]) Kard. Wolsey, der intellektuelle Urheber des Ehestreites Heinrichs VIII von England (Zeitschr. f. Kath. Theol., 1883, p. 401 sqq.).

[2]) *Creighton*, Card. Wolsey, London 1888, with explan. notes by *Ketcham*, New-York 1903. *Taunton*, Thomas Wolsey, legate and reformer, London 1902.

[3]) *J. Trésal*, Les origines du schisme Anglican (1509—1571), Paris 1908, p. 64.

[4]) *Ehses*, Hist. Jahrb. d. Görresges., IX, 23; XIII, 470. Röm. Quartalschr. 1893, p. 180; 1900, p. 256. Römische Dokumente zur Gesch. der Ehescheidung Heinrichs VIII v. England, Paderborn 1893.

mum judicium in rebus spiritualibus. Clerus autem regis metu indulserat, facta exceptione: *quantum per legem Christi licet.* Post initum cum Anna matrimonium, Henricus pacis fidem cum Papa rupit in perpetuum. Die 1 Junio 1533, evexit Annam ad dignitatem reginae Angliae. Anno 1534, tulit **legem suprematiae.** Qua lege discidium perfectum est. Henricus sibi arrogavit omnia Papae jura. Ingens fuit cleri ignavia. Vix quidquam restitum. Nec opposuit se concilium publicum.

Exercendam legem suprematiae mandavit rex, anno 1535, homini laico, Thomae Cromwell[1]), voluitque eum dignitate praeesse omnibus magistratibus civilibus et ecclesiasticis. Is primo suspendit omnium jurisdictionem spiritualem. Quicumque eam recipere vellet, debuit *jurare in legem suprematiae* et, post natam Elisabeth, etiam in *legem successionis.* Poena mortis proposita est iis, qui renuerent jurare in legem suprematiae. Quam martyrum poenam subierunt multi clerici et laici, inter quos prae ceteris eminuerunt Thomas Morus[2]) et Joannes Fisher cardinalis[3]). Interea bona ecclesiastica in publicum fiscum redacta sunt, monasteria abolita (1536—1540), proventusque dissipati[4]).

Doctrinam Ecclesiasticam Henricus non pervertit. Immo vero caelibatus violationem morte punivit. Lege **sex articulorum** assumpsit *transsubstantiationem, communionem sub una specie, confessionem, Missas defunctorum, vota* et *caelibatum.* Poena mortis luebat quisquis unum ex his articulis rejecisset. Dum catholici necabantur ob confessionem primatus, Calvinistae et Lutherani ob haeresin exusti sunt. Thomas Cromwell quoque, haeresis et proditionis accusatus, anno 1540 supplicio traditus est. Prae ceteris tamen Henrici uxores regis arbitrium expertae sunt. Anna Boleyn in suspicionem adulterii et incestus venit, mortisque poenam subiit 19 Majo 1536. Ipso hoc die, Henricus duxit Joan-

---

[1]) *Merriman,* Life and Letters of Th. Cromwell, Oxford 1902.

[2]) *Bridgett,* Life and writings of Sir Th. More, London 1891. *Brémond,* Le B. Thomas More, Paris 1904.

[3]) *Bridgett,* Vie du B. Jean Fisher, trad. de l'Anglais par J. Cardon, Lille 1890. Cf. Analecta Bolland., 1891, p. 121; 1893, p. 97.

[4]) *Gasquet,* Henri VIII et les monastères anglais, trad. de l'anglais par J. Philipson et Du Lac S. J., Paris 1894.

nam Seymour, quae brevi post natum Eduardum (VI) obiit. Anna de Clivia, Gulielmi II Gelriae ducis soror, tyranno non placuit, estque in Germaniam remissa (1540). Quinta regis uxor, Catharina Howard, pariter atque Anna Boleyn et eadem de causa supplicio periit. Catharina Parr demum tantam sibi regis gratiam conciliavit ut, quamquam in suspicionem haeresis venerit, tamen dignitatem reginae occupaverit usque ad obitum Henrici (27 Januario 1547)[1].

4°. Regnante **Eduardo VI** (1547—1553), haeresis in perpetuum in Angliam introducta est. Reformationi addictus, comes Seymour, titulo ducis Sommerset administratione regni potitus, Thoma Cranmer, pestifero consiliario usus est, qui, simulatione deposita, publice novam doctrinam invexit. Lex *sex articulorum* suspensa est, communio sub utraque specie praescripta, electio episcoporum regio imperio mandata, caelibatus abrogatus. Cantabrigiae magistri nuncupati sunt Bucerus et Fagius, Oxoniae Bernardino Ochino et Petrus Martyr. Jam anno 1549 abolevit Cranmer liturgiam, ejusque loco praescripsit *Book of common prayer*[2]. Populi seditiones et reluctantia vi oppressa est. Anno 1552, Cranmer cum Ridley, episcopo Londinensi, scripsit *confessionem fidei articulis* 42, quae maximam partem Calvini doctrinae conformis, quaedam tamen etiam continet dogmata Lutherana et catholica[3]. Insuper, in decretalium locum, Cranmer composuit codicem legum ecclesiae, qui tamen in usum non venit, eo quod Eduardus VI, annos natus 18, die 6 Julio 1553 defunctus est.

5°. Quoniam, Cranmer judice, quum Maria tum Elisabeth ex illegitimo conjugio essent enatae, auctore Warwick duce Northumbriae, hujus neptem, **Joannam Gray,** Eduardus sibi successuram designaverat. Multo

---

[1]) *Hume*, The Wives of Henry VIII and the parts they played in History, London 1905.

[2]) *Bellesheim*, Die Entstehung des englischen Common Prayer-Book (Der Katholik, 1891, I, p. 1 sqq.). *Daniel*, Prayer-Book. Its history, language and contents, 20 ed., London 1902.

[3]) *Burnet*, The History of the ref. of the Church of England, London 1679, Tom. II, p. 209 sq.

tamen majore robore valebant partes **Mariae** (1553—1558) [1], quae, cum exercitu Londinum profecta, vix quoquam resistente, regno est potita. Cum seditionem movisset dux Northumbriae, ipse cum Joanna Gray supplicio necati sunt. Onus grave et officium susceperat Maria. Carolus V et Granvelle consilium moderationis dederunt, alii damnarunt omnem moram severitatis. Allocutio Mariae prima ad populum (18 Aug. 1553) fuit placida et prudenti consilio composita. Consuetudo puritana aulae abolita est. Episcopi legitimi sedibus sunt restituti. Paulatim clericis protestantibus substituti catholici, uxorati semoti. Factis nuptiis reginae cum Philippo II Hispaniae rege, Reginaldus Pole [2]), quem Henricus VIII, proposita 50.000 ducatorum mercede, proscripserat, in patriam rediit, instauravitque *unionem Angliae cum Roma*, cui fere communibus sententiis consilium publicum assentitum est. (Dec. 1554). Initio mansuetudine usa in acatholicos Maria, postea, propter concitatas seditiones et conspirationes (Wyat, Suffolk etc.), severior facta, ad leges contra haereticos latas rediit. Numerantur supplicio affecti 280 (Cranmer, Latimer, Redley). Cognomen tamen „sanguinariae" certo non meruit. Regibus Henrico VIII, Eduardo VI et Elisabetha, multo crudelior fuit persecutio. Praematura morte abrepta est Maria (Nov. 1558).

6°. Quoniam Maria Stuart, legitima regni haeres, nupserat Francisco II, Franciae regi, et in testamento Henrici VIII postposita fuerat **Elisabethae** [3]) (1558—1603), huic favebant partes protestantes et, mortua Maria, regno potita est [4]). De rebus fidei videbatur initio non multum curare Elisabeth. Schismatis tempore nata et educata, Eduardo rege, inclinaverat in Lutheranismum, Maria regnante, catholice vixit, regno potita, coronam sibi catholico ritu imponendam curavit et jurata promisit, antiquam fidem se esse defensuram. Nuntiavit initium regni Paulo IV, qui jus ejus in regnum

---

[1]) *Zimmermann*, Maria die Katholische, Freiburg 1890 (Ergänz. Stimm. a. M.—L., 48).

[2]) *Zimmermann*, Kardinal Pole, sein Leben und seine Schriften, Regensburg 1893.

[3]) *Destombes*, La persécution religieuse en Angleterre sous Elisabeth et les premiers Stuarts, 2e éd., Lille 1886, 3 vol.

[4]) Revue des quest. hist., Tom. 58 (1895), p. 456 sqq.

ambiguum esse respondit, sese tamen, si sibi daretur decisio, indulgentem fore, quantum per jus et justitiam liceret. Quae verba licet acriter pungerent reginae superbiam, non tamen causa, sed tantum ansa proxima fuerunt ejus ad protestantismum transitionis[1]). Brevi sibi satis virium esse sensit Elisabeth ad destruendum catholicismum. Gulielmus Cecil ei auxilio fuit. Die 25 Januario 1559, leges omnes a Maria latas abrogavit, legesque Eduardi VI instauravit. Omnem societatem cum S. Sede dissolvit, sibi arrogavit *suprematiam*, hujusque jusjurandum imposuit, poena privationis muneris bonorumque proposita. Semotis clericis fidelibus, qui si comparantur cum apostatis paucissimi fuerunt, protestantes constituti sunt. Die 17 Decembri 1559, Matthaeus Parker *invalida* consecratione factus est archiepiscopus Cantuariensis, atque ita paulatim *hierarchia ecclesiae Anglicae* exstincta est[2]). Quamquam civium media pars animo manserant fidei catholicae dediti, nusquam fortiter se opposuerunt tyrannidi, jus sacra libere exercendi in dies penitius adimenti. Anno 1562 non solum injunctum consilii publici membris omnibus, clericis, causarum actoribus et magistris, ut *suprematiam* juramento sancirent, verum etiam Eduardi VI articuli 42 retractati et ad 39 adacti sunt[3]). Ea fuit deinceps inde confessio ecclesiae Anglicae, qua reprobata est *invocatio et cultus Sanctorum*, *Sacrificium Missae*, *transsubstantiatio*, *indulgentiae*, *purgatorium* et praesertim *Primatus Papae*. Spem tamen non perdidit Pius IV, imo vero Pius V initio patientia usus est. At quum centeni mortis supplicio afficerentur, eo quod partibus Mariae Stuartae adhaerebant (1568—1570)[4]), et persecutio ferocius in dies

[1]) *Bridgett*, The true story of the catholic hierarchy deposed by queen Elisabeth, London 1889.

[2]) Bulla: *Apostolicae curae* d. die 13 Sept. 1896. *Brandi*, La condanna delle ordinazioni Anglicane, IV ed., Roma 1908. *Phillips*, The extinction of the ancient hierarchy, London 1905. Cf. Zeitschr. f. K. Theol. 1895, p. 718 sqq.; der Katholik, 1894; Arch. f. Kirchenrecht 1874 et 1897. *Boudinhon*, Etude théol. sur les ordinations angl. Canoniste contemporain 1895. *F. Dalbus*, Les ordinations anglicanes, 2e éd., Paris 1894.

[3]) *J. Trésal*, Les origines etc. Appendice I.

[4]) *J. Leslaeus*, Ep. Roffensis, De titulo et jure seren. princ. Mariae Scot. reg. quo regni Angliae successionem sibi juste vindicat, Rhemis 1581.

fureret, Pius V demum, 25 Februario 1570, Elisabetham *excommunicavit et regno dejecit*[1]), simulque reprobavit *Book of common prayer* et *juramentum suprematiae.* Quod nonnulli incassum tentaverant Mariam Stuartam captivitate liberare, vehementius iram Elisabethae inflammavit. Ejus regnandi jus aut negare aut in dubium vocare, bullam aut brevem etc. Papae agnoscere, inter crimina laesae majestatis computabatur; mulcta, vinculis et tormentis (1571) puniebantur qui nollent interesse exercitiis sacrorum publicorum (High Church). Postea ipsa mortis poena proposita est iis qui dedissent absolutionem, fecissent Sacrum, consecrassent, vel hospitio suscepissent sacerdotem catholicum. Mox carceres ingenti turba referti et fideles, pastoribus orbati, praeda fuerunt haeresi.

7⁰. Multi tamen catholici exsularant in regionem continentem. Pro formandis sacerdotibus Anglicis optime imprimis meruit Dr. Gulielmus Allen[2]). Ingenti cum labore et impendio condidit seminarium Duacense (1568), quod postea, ob molestias ab Anglis exhibitas, in civitatem Rhemensium est translatum. Romae, inde ab anno 1579, floruit collegium Anglicum, cujus studiosi se obligabant ad ferenda auxilia spiritualia Angliae. Anno 1580, sacerdotes duo Societatis Jesu, missionem in Anglia periculis plenam aggressi sunt, terrasque peragrarunt, solamen et salutis opem fidelibus conferentes. Persons multorum annorum spatio ita laboravit. Edmundus Campion[3]) edidit celeberrimum libellum *Decem rationes*[4]) et martyrio necatus est. Item vitam profuderunt Societatis Jesu sacerdotes Alexander Briant, Thomas Woodhouse, Joannes Nelson, Thomas Cottam; sacerdos saecularis Cutbertus Maine et multi alii. Elisabeth etiam sese inquinavit nece Mariae Stuart, nec destitit a cruenta persecutione, donec 4 Aprili 1603 morte intercepta est. Laudatur ejus in rebus publicis agendis prudentia, qua mercaturam praesertim et navigationem promovens, Angliae valde profuit; at memoriam ejus deho-

---

[1]) Bullar. Rom. ed. Taur., VII, p. 810 sqq. *Hergenröther*, Kath. Kirche u. christ. Staat, p. 678 sqq.

[2]) *Bellesheim*, Allen und die Seminare des Festlandes, Mainz 1885.

[3]) *W. van Nieuwenhoff*, Edmond Campion, Amsterdam 1888.

[4]) Decem rationes propositae in causa fidei, Antverpiae 1631.

nestarunt fidei incuria, animi crudelitas et morum dissolutio.

8⁰. Morte Elisabethae gens Tudoria exstincta est, ita ut haeres regni Anglici facta sit gens Stuartia. Primus ex hac gente rex fuit **Jacobus I** (1603—1625), filius Mariae Stuartiae. Etsi eum Calviniana fide educatum sciebant catholici, sperabant tamen mitius acturum esse. Spes autem eos fefellit. Econtra, jam 1604, saevae leges viguerunt. Missionarii (inter quos praesertim P. Garnet) omni opera conati sunt catholicos ad patiendum et sustinendum perducere. Frustra. Nonnulli (Catesby), quasi desperatis rebus, ad faciendam **conspirationem pulveris pyrii** descenderunt (5 Nov. 1605) [1]. Paucorum peccati poena est ab omnibus expetita. Duriores factae sunt leges. *Juramentum fidei* impositum, quod reprobavit Paulus V. Non solum catholicos persecutus est Jacobus, sed etiam *presbyterianos* et *puritanos*. Quorum praesertim multi exsularunt in Americam. Demum concitata seditio est, quae duravit, regnante Jacobi successore.

9⁰. **Carolus I** (1625—1649). Is, agente uxore sua catholica Henrica, Ludovici XIII Franciae sorore, animo non fuit catholicis valde infensus. Auxilia tamen misit Hugenotis adversus Richelieu et postea, ut liberaretur molestiis quibus afficiebatur a consilio suo publico, tradidit catholicos fanatismo puritanorum, qui eum ipsum denique, tanquam papistam persecuti, ex una in aliam civitatem fugaverunt, anno 1647 comprehenderunt et 1649 capite plexerunt.

10⁰. **Reipublicae** tempore (1649—1660) persecutus est catholicos **Cromwell** [2], sectae puritanorum fanatice deditus, partim quia steterant cum Carolo I, partim odio in Romam. **Carolus II** (1660—1685), animo satis mansuetus, frustra conatus est secundiorem fortunam parare catholicis; quin etiam, coactus a consilio publico, debuit ferre **legem testimonii** (bill of testing 1673), qua catholici impediebantur quominus munus publicum susciperent. Ineuntes enim officium debebant

---

[1]) *Morris*, The condition of catholics under James I. Father Gerards narrative of the Gunpowder Plot. London 1871. *Pfülf*, Stimm. a. M.—L., Bd. 54 (1899), p. 41 sqq.; 142 sqq.; 286 sqq.

[2]) *Gardiner*, Oliver Cromwell, London 1901. *Firth*, Oliver Cromwell and the rule of the puritans in England, London 1900.

jurare juramentum fidei et haereticam communionem suscipere. Atrocius insectati sunt catholicos, quum Titus Oates (1678) falso insimulaverat Jesuitas aliosque, crimine conspirationis in regem. Quamquam Carolus secreto dicebat mendacem Oatem, ausus tamen non est eadem coram consilio publico declarare. Expulsi consilio sunt senatores (Lords) catholici, qui post splendidam Norfolkii orationem exierunt. Jesuitae sex et multi alii supplicio interemti sunt [1]). **Jacobus II** (1685—1688) ipse catholicus conatus est abrogare legem testimonii aliasque leges ad vexandos catholicos latas. At regno dejectus est a genere suo **Gulielmo III** Arausicano. Is etiam persecutus est catholicos. Ejus *bill of rights* verba certa constituit jurijurando fidei. Haec perduravit catholicorum conditio usque ad bella Americana et revolutionem Gallicam, a quo tempore paulatim quaedam mutata sunt.

---

§ 147. Calvinismus in Scotia.

A. Bellesheim, Geschichte der kat. Kirche in Schottland, 2 Bde. Mainz 1883. *Brown*, John Knox, 2 vols, Londen 1895. *Cowan*, John Knox (Heroes of the Reformation), London 1905. *Huraut*, J. Knox et ses relations avec les églises réformées du continent, *Cahors* 1902. *Zimmermann* S. J., Die vermeintlichen Segnungen der Scottischen Reformation (Frankf. zeitgem. Brosch.), Frankfurt a. M. 1895.

1⁰. In Scotia, jam primis regni Jacobi V (1524—1542) annis, Lutheranismus praedicatus fuit. Praedicantes nonnulli igne necati sunt, alii capta fuga evaserunt. Quae tamen haeresis initia brevi creverunt, eo quod clerus, doctrinae ignarus, maximam partem cum concubinis vitam agebat. Nobiles praesertim, paupertate pressi et bonorum ecclesiasticorum cupidi, lubenti animo adhaerebant novae doctrinae. Anno 1546, David Beaton, archiepiscopus, a protestantibus interfectus est. Inter seditiosos, quos in castello munitos obsidione cinxit

---

[1]) *Spillmann*, Stimm. a. M.-L., 1882-1883: Justizmorde. *Destombes*, La persécution religieuse en Angleterre sous Elisabeth et les premiers Stuarts, 2e éd., Paris 1893, Tom. III. *De Courson*, La persécution des catholiques en Angleterre, un complot sous Charles II, Paris 1898.

administer regni Arran, fuit etiam praedicans et postea Scotiae *reformator* **Joannes Knox**[1]). Anno 1505 natus, jam pridem antiquae fuit Ecclesiae adversarius, ita ut seditiosis protestantibus se adjunxerit. Peracto vinculorum biennio in Francia, adiit Angliam et postea (1553) Genevam, ubi amicitiam sociavit cum Calvino. Mansit tamen interea in literarum commercio cum seditionum ducibus in Scotia. Ab anno inde 1557, ne quidem defuncta regis matre, Maria de Guisia, per vim introductus est cultus protestantium.

2⁰. Knox concitabat ad perturbandum rerum publicarum ordinem. Quare nobiles (Lords) protestantes in foedus coierunt adversus catholicos. Quum, anno 1558, Gualterus Milne, sacerdos apostata, igne esset interemtus, inde ansa seditionis arrepta, minitarunt rerum eversionem, nisi iis daretur cultus libertas. Knox, Geneva redux, concitavit atrocissimum impetum in ecclesias et monasteria. Nec sacris neque artefactis parsum, quin ipsam pulcherrimam S. Andreae cathedralem Edemburgi everterunt. Anno 1559 ictum est foedus, quo concedebatur cultus libertas. Non tamen belli finis factus. Mortua 1560 Maria de Guisia, exstinctus quoque est cultus antiquus. Consilium publicum abrogavit catholicam religionem. Papae jurisdictio est abolita. Dicere aut audire Sacrum puniebatur exsilio et bonorum jactura, tertia vice mortis poena; bona ecclesiastica distributa sunt nobilibus in mercedem reportatae victoriae. Joannes Knox instituit ecclesiae ordinem presbyterianum, scripsitque *Confessionem Scoticam*[2]), Calvini doctrinae consonam.

3⁰. Anno 1561, mortuo Francisco II, Franciae rege, ejus vidua juvenis **Maria Stuart**[3]), invitantibus quum pro-

---

[1]) *Mezger,* John Knox et ses rapports avec Calvin, Montauban 1905. *Stalker,* John Knox. His ideas and ideals, New-York 1905.

[2]) Collection of the confessions of faith in the Church of Scotland, 2 vols, Edinburg 1719—1722. *Augusti,* Corp. libr. symbol., p. 143 sqq.

[3]) *Kervyn de Lettenhove,* Marie Stuart et l'œuvre puritaine, le procès, le supplice, 2 vols, Paris 1891. *Philippson,* Hist. du règne de Marie Stuart, 3 vols, Paris 1891. *Lang,* The mystery of Mary Stuart, London 1901. *Cowan,* Mary, queen of Scots, and who wrote the casket letters? 2 vols, London 1902. *Cardauns,* Der Sturz Maria Stuarts, Köln 1883. *Maxwell Scott,* The tragedy of Fortheringay, London 1895. *Henderson,* Mary queen of Scots. Her environment and tragedy, 2 vols, London 1906.

testantibus tum catholicis, in Scotiam rediit. Haeretici sperabant fore ut ad Calvinismum transiret, paraverantque omnia quo facilius id effici posset. Omnis cultus antiqui memoria abolita est. Quum autem constanter Maria negaret, facta ei fuit vita veluti martyrium. Audiens Missam periclitata est de vita; sacellano ejus minitata mors; e suggestu Knox impudenter convitiis obruebat reginam, cujus sacellum effrictum est et expilatum. Etsi moderate et prudenter agebat Maria ac consuetudine fuit blanda et comis, tamen a Calvinistis quaecumque faciebat reprobata sunt, ipsa convitiis et contumeliis obruta[1]. Ne praesidium domesticum deesset, nupsit consobrino suo Darnley, qui habebatur probe catholicus. Non tamen felix in conjugio fuit. Aegre ferebat Darnley non omnem rerum gerendarum potestatem sibi traditam. Dein, 9 Februario 1567, per conspirationem necatus, interiit. Disquisitio, jussu Mariae instituta, rem indagare non valuit, eo quod judices ipsi sceleris fuerunt participes. Dum persuasio publice recepta Bothwell caedis reum diceret, Knox non solum hunc accusavit, sed etiam Mariam insimulavit adulterii et homicidii crimine[2]. Tum Bothwell vi rapuit Mariam eamque, diuturna captivitate pressam, foeda via adegit ut sese ipsi, mariti sui interfectori, nuptui daret. Quo tamen concesso praevertere non potuit Maria ne, seditione concitata, cogeretur regnum tradere filiolo suo Jacobo, cujus nomine regnaret Murray, Mariae frater e patre tantum. E vinculis elapsa, Maria proelio apud Longside victa est a Murray, et in Angliam profuga, auxilii loco, invenit vincula annorum novemdecim et capitis supplicium.

3⁰. Posteaquam Maria in Angliam aufugerat, protestantismus a consilio publico declaratus est Scotiae cultus publicus. Murray et Lennox saevissime exagitarunt catholicos (1568—1572). Nec minus atrox persecutio fuit regnante Morton (1572—1578). Jacobus VI demum ipse regno potitus, quamquam Calviniano cultu educatus, tamen nonnihil a persequendo

---

[1]) Anno 1562 Pius IV Papa ad eam misit consolatorem patrem S. J., Nic. Flor. Goudanum (a Gouda). *Pollen*, Papal negociations with Mary queen of Scots during her reign in Scotland (1561—1567), Edinburg 1901.

[2]) Mariam non in culpa fuisse caedis Darnley, hodie post factas ultimas inquisitiones certum est. Quae vocantur casket letters certo corrupta sunt.

remisit. Non tamen diu par fuit repugnando Calvinistarum furori. Iterum excitata persecutio est. Non soli catholici odiis impetiti, sed nec cultui Anglico (High Church) adhaerentes tolerati sunt, tametsi Jacobus hunc cultum instituere omni ope contendebat (1584—1592). Obstinati presbyteriani ne digitum quidem cedere voluerunt, neque quum Jacobus, anno 1603 rex Angliae factus, episcopos Scotiae nominaret, nonnullos praedicantes damnasset, ac per vim conaretur quae vellet perficere. Idem expertus est, qui ei successit, Carolus I; is vel in seditionem incidit, nec prohibere valuit quominus, in congressu 1638, presbyteriani episcopalem ordinem respuerint, et ecclesiam Scoticam sui juris esse declararint. Imo vero, aliquo temporis spatio, presbyteriani Scotici, rerum agendarum in Anglia potiti, Carolum II regem proclamarunt; qui tamen capta fuga renuit. Attamen neque per violentas persecutiones penitus in Scotia fides catholica exstincta est. Jam pridem Parisiis (1578) conditum collegium est, quo informarentur pro Scotia sacerdotes catholici; alterum institutum 1576 Mussiponti, quod anno 1612 translatum est Duacum; tertium denique ad eundem finem formatum est Romae (1600)[1].

---

§ 148. Dolores Hiberniae.

A. Bellesheim, Geschichte der kath. Kirche in Irland, 3 Bde, Mainz 1890—1891. *Zimmermann S. J.*, Die irischen Märtyrer während der ersten Hälfte des 17 Jahrh. (Der Katholik, 1888). *Murphy*, Our Martyrs. A record of those who suffered for the catholic faith under the penal laws in Ireland, Dublin 1896. *Boyle*, The Irish College in Paris from 1578 to 1901, London 1901. *De Beaumont*, L'Irlande sociale, politique et religieuse, 2 vols, 7e éd., Paris 1863.

1°. Archiepiscopo Dubliniensi, anno 1534 interfecto, **Henricus VIII** successorem elegit, qui sibi adjumento esset in exsequendo quae animo conceperat. Consilium publicum etiam

---

[1]) *Lang*, A history of Scotland from the Roman occupation, Vol. III (1625—1689), London 1904. *Brown*, History of Scotland, Vol. II: From the accession of Mary Stuart to the revolution of 1689, Cambridge 1902.

Hibernicam ecclesiam discidit a Romana. At pauci tantum episcopi, ii qui ab Henrico fuerant constituti, jusjurandum suprematiae dederunt, reliquis omnibus cum sacerdotibus et populo constanter renuentibus. Annis 1536—1538, bona omnia monasteriorum in publicum addicta sunt. Nihilominus fortiter monachi praedicabant adversus suprematiae legem. Etiam **Eduardo** rege firma stetit natio Hibernica, in paucis tantum locis cedens fraudibus et violentiae. **Maria** regnante, ejecti sunt Hibernia episcopi aulici. Novus tamen dolor inflictus ab **Elisabeth.** Ea, cultum publicum Anglicum intrudere conata, clericos Anglicanos constituit, contenditque firmos animo Hibernos per vim inflectere. Multi martyres occubuerunt. Bellum sacrum vehemens exarsit, quod terminatum est, anno 1603, pacis foedere damnoso valde Hibernis. Qui tamen, mediis angustiis, firmi fide constiterunt[1]). Tum consilio et ratione destinatum est populo excidium, quale vix aliud historiae memoria proditum. Jam Elisabeth regina agrorum 600.000 jugera dederat colonis Anglicis. In irritum labente spe, quam posuerant Hiberni in **Jacobum I,** iterum agri sunt adempti, in provincia Ulota jugera 400.000, dein in media Hibernia etiam fere 400.000. Mercatura artesque omnimodis molestiis obstricta, ut vix Hibernis relinqueretur unde alerentur. Neque a persequendo temperatum: Clerici expulsi; quicumque nollent adesse exercitiis cultus publici Anglici, poena multati; jurare suprematiam etiam laici jussi. Quam dein concessit **Carolus I** libertatem cultus et bonorum tutelam, vix ullo modo exsecutus est qui regis vices obibat, Strafford, nec multo minus regis adversarii, ita ut, annis 1625—1649, agrorum jugera 2.500.000 incolis Hibernis erepta sint. Desperatione ad resistendum propulsos vi et armis compescuit **Cromwell**[2]). Possessores agrorum opulentos migrare jussit in provinciam Connaught, eorumque bona ademit distribuitque protestantibus. Jugera fere 5.000.000 Hibernis sic erepta. Praeterea praemium propositum ei, qui interficeret episcopum, monachum aut ludimagistrum. Nuntiatum deinde est principum aulis, Angliam desiderare ut conquisitores militares in Hiber-

---

[1]) *Ball,* The reformed Church of Ireland 1537—1888, 2e ed., London 1891.

[2]) *Irwin,* A history of presbyterianism in the south and west of Ireland London 1890.

niam venirent. Cujus rei consequens fuit ut brevi 34.000 Hiberni militarent in exercitibus Franciae, Hispaniae et Poloniae. Regibus **Carolo II** et **Gulielmo III** Arausicano, denuo agri proscripti; Anna regina iterum jugera 1.000.000 in publicum addixit, ita ut per totam insulam agrorum tantum undecima pars Hibernis catholicis restaverit.

2⁰. Opprimendi porro rationem, qua usi sunt saeculo XVIII, vix invenias in historia parem memoratam. Hiberni catholici suos cogebantur alere sacerdotes et nihilominus *jura stolae* solvere ecclesiae publicae Anglicae. Vetitum est eorum esse ecclesiam; sola possidere sacella sine turri aut campana concessum. Viro catholico non licuit tutelam gerere, scholas habere de literis, aut in exteras ire. Omnia fere jura iis adempta: prohibitum judices esse aut causarum patronos, superiore loco collocari in exercitu, aut incedere armatos, in urbibus nullum iis jus civitatis; jus suffragii nullum, neque activum nec passivum. Quod si e familia catholica filius natu maximus ad protestantium cultum transiret, ei obveniebat tota familiae haereditas. Viro catholico non licuit ab homine protestante emere agros, nec conducere ad spatium ultra 30 annorum; quodsi reditus interim crescerent, continuo agri merces augebatur. Unicuique protestanti licitum erat actionem instituere in catholicum, qui has leges violasset; si vinceret, ei obtingebant bona. Mercator catholicus vectigal proprium pendere debebat nec licuit diutius quam ad certum tempus negotiari in urbibus. Ex omnibus opificibus soli linteoni concessum plus uno artificii discipulo uti. Si cujusquam hominis catholici esset equus, cuivis protestanti licitum eum emere pretio 5 pondo, etiamsi multo majoris constaret.

Vergente ad exitum Saeculo XVIII, mitigata nonnihil est legum harum exsecutio. Licuit haereditate aut conducto acquirere agros ad annos 999, magistratum gerere, quin etiam, concedente episcopo Anglicano, habere scholas [1]). Toto illo tempore aerumnarum et persecutionis, fideles in fide steterunt Hiberni. Sacerdotes ad eos mittebantur e collegiis pro Hibernis institutis Romae, Parisiis, Ulisippone, Vallisoleti, Lovanii, Antverpiae,

---

[1]) *Bellesheim*, Gesch. d. kath. Kirche in Irland, III, p. 127 sqq.

Insulis, Tornaci, quibus S. Sedes, propter auctam in dies Hiberniae inopiam, opibus suis succurrebat[1]).

§ 149. Reformatio in Neerlandia.

Gachard, Correspondance de Philippe II sur les affaires des Pays-Bas, Bruxelles 1848 ss. *Idem*, Papiers d'état du card. de Granvelle, Paris 1841—1842. *Piot*, Correspondance du card. de Granvelle, Bruxelles 1878 ss. *Groen van Prinsterer*, Archives ou correspondance inédite de la maison d'Orange-Nassau, Bruxelles 1835 ss. (2 séries). *F. J. L. Krämer*, III série, Tom. I, Leyde 1907. *W. J. F. Nuyens*, Gesch. der Nederlandsche Beroerten in de XVI eeuw, Amsterdam 1904 (II druk). *R. Fruin's* Verspreide geschriften, uitgegeven door P. J. Blok enz. 's Gravenhage 1900 v.v. *Fruin*, Tien jaren uit den tachtigjarigen oorlog (1588—1598), 's Gravenhage 1906. *P. J. Blok*, Gesch. van het Nederlandsche volk, Groningen 1892 v.v., praesertim Tom. III—V. *Reitsma*, Geschiedenis van de Hervorming en de hervormde kerk der Nederlanden, 2e druk, Groningen 1899. *Reitsma* en *van Veen*, Acta der provinciale en particuliere synoden (1572—1620), Groningen 1892 v.v. *Knuttel*, De toestand der Nederlandsche katholieken ten tijde der republiek, 2 deelen, 's Gravenhage 1892—1894. *L. de Geer*, Ontstaan, invoering en ontvangst van den evangelischen gezangenbundel in de Nederduitsch-hervormde kerk, Groningen 1902. *Gobius du Sart*, Gesch. van de liturgische geschriften der Nederl. herv. kerk, Utrecht 1886.

1⁰. Carolo V regnante, felicissima **prosperitate** florebat Neerlandia. Nulla totius orbis terrarum civitas opulentia major quam Antverpia. Brugae opere textili e lana Hispanica, Cortracum, Tornacum et Insulae pannis laneis et lineis, Bruxellae tapetibus, celeberrima mercatura, opes sibi copiosas compararant. Quod idem dici potest de urbibus ad septemtrionem sitis, Dordraco, Lugduno Batavorum et Ultrajecto. Quod autem magis mirandum, non solum in civitatibus majoribus, verum etiam in provinciis artes opificum et mercatorum industria eximie floruerunt. Fuerunt in provinciis civitates 300, emporia 150, et pagi crebriores 6000[2]).

2⁰. At, sicuti assolet, etiam in his regionibus luxus et morum corruptio fuerunt opulentiae pedissequae. Nobiles, jam pridem

---

[1]) *Beaumont*, L'Irlande sociale, politiqe et religieuse, 2 vols, Paris 1863, 7e éd.

[2]) *Guicciardini*, Descrizione di tutti i Paesi-Bassi, Anversa (Plantijn) 1588.

assueti voluptatibus aulae ducum Burgundicorum, dies festos agere, potationibus aleisque occupari, et oblectationibus pejoribus se dedere solebant, atque ita sensim aere alieno obruebantur. Cives vero, urbium opulentarum incolae, erant luxu et dissipationibus fere nobilibus pares. Unde suapte natura libidinum intemperantiam consequi necesse fuit. Cui turpitudini fomitem addiderunt fabulae Rhetoricorum (rederijkers). Nec, priore saeculi XVI media parte, rerum ecclesiasticarum conditio idonea fuit, quae ad meliora provocaret. Defuit clericis plurimis proba institutio, ita ut saepius otio et libidini se darent [1]). Praedicare et instruere negligebant populum, qui dies Dominicos sanctificare desueverat. In provinciis 17, fuerunt episcopi tantum quatuor, qui, plerumque e gente nobili aut principum prosapia [2]) electi, sibi potius potestatem et auctoritatem quam gregi suo salutem procurare satagebant. Quare tanta fuit populi religionis incuria et morum corruptio, ut Maria Hungarica, quae annos 25 Neerlandiam gubernaverat, ad Carolum V scripserit, nolle se diutius in populo versari, cujus nulla esset neque in Deum neque in homines religio.

3^0. Prima **protestantismi** in Neerlandia vestigia repetenda sunt ab anabaptistarum secta fanatica. Posterior ingressa est vera Lutherana doctrina. Dein Calvinistae, e Geneva aut Francia redeuntes aut primum advenientes, haud mora multos sibi asciverunt asseclas. Qui ultimi ingressi erant, mox primi fuerunt [3]). Quae Carolus V, assentiente consilio publico (Generale Staten), severe contra haereticos decreverat, vix quidquam malorum praevertere potuerunt. Nobiles multitudini exemplo fuerunt. Favebant novae doctrinae, ut exortis turbis bona ecclesiarum raperent, quibus non solum aere alieno liberarentur, sed etiam haberent unde commode viverent. Quin etiam nobilium principes expellere Hispanos et ipsi gubernacula regni capessere

---

[1]) Cf. praesertim *Fruin*, Wederopluiking, in: Verspreide Geschriften, III, p. 252—260.

[2]) Episcopi fuerunt fere semper e gentibus de Croy, de Bergen, et van der Mark.

[3]) *De Hoop Scheffer*, Gesch. der Kerkhervorming in Nederland tot 1581, Amsterdam 1873. *Rutgers*, Calvijn's invloed op de reformatie in de Nederlanden, Leiden 1900. *Veltenaar*, Théodore de Bèze et ses relations avec les théologiens des Pays-Bas, Kampen 1904.

satagebant. Dux et auctor fuit Gulielmus Nassavius, princeps Arausicanus (Orange). Magnifico rei domesticae splendore profundebat pecunias, fuit aere alieno oppressus[1]) et religione prorsus ambigua[2]). A puero imbutus Lutherano cultu, Bruxellis catholice vixit et adhuc anno 1561 *seductores populi* et *latrones* appellavit praedicantes. Eodem anno promisit Annae Saxoniae, se non prohibiturum quominus Lutherano cultui addicta maneret, scripsit tamen ad Philippum II hanc suam uxorem fore catholicam. Pauco post tempore, Gulielmus iterum Lutheranum egit; tum vero, ut Hollandiam posset expugnare, Calvinismo nomen dedit. Utebatur religione tamquam adjumento, quo incepta sua perficeret. Anno 1555 Carolus ad Philippum filium suum regendam Neerlandiam transtulit. Is princeps, sapientia et prudentia praestans, indole et cultu quales Hispani esse solebant, vitae et rerum agendarum ratione ab indole moribusque hominum Neerlandicorum prorsus fuit alienus. Quare, non posse se commode in Neerlandia vivere ratus, anno 1559 in Hispaniam rediit, deditque Neerlandiam gubernandam Margarethae Parmensi. Quod aegre ferens Gulielmus Arausicanus, qui ipse regni spem habuerat, omni qua poterat ope, refragari coepit imperantibus.

4⁰. Anno 1559 novi episcopatus erecti sunt[3]). Auditae sunt hac de re querelae, sed iniquissimae; ad eas tamen Arausicanus stimulabat. Conquerebantur dein, quod milites Hispani in Belgio ad praesidia retinebantur: dimisit eos Philippus II. Odio flagrabant nobiles in Granvellum cardinalem, ejusque rerum gerendarum rationem improbabant: rex eum semovit (1564). Tum libera iis machinatio: non impedivit Philippus. Qua gubernatione infirma et ancipite audaces facti sunt quum nobiles tum haeretici, quorum numerus in dies augebatur. Saepius sermonibus, rure ad saepes habitis, intererant

---

[1]) *Juste*, Hist. de la révolution des Pays-Bas sous Philippe II, Tom. I, p. 251 sq.

[2]) *Namèche*, Guillaume le Taciturne, prince d'Orange, 2 vols, Louvain 1890. *Lacheret*, L'évolution religieuse de Guillaume le Taciturne. Cahors 1904.

[3]) *A. Havensius*, De erectione novorum in Belgio episcopatuum, deque iis rebus, quae ad nostram hanc usque aetatem in eo praeclare gestae sunt, Coloniae Agrippinae 1609.

armati. Brugis et Antverpiae polygamia fuit frequens. Allegati ex Anglia aliique, ab Hugenotis missi, ad seditionem incitabant societatemque cum Arausicano conjungebant. Genevae Beza declaravit evertendi regni adesse tempus (1564). Decreta severa contra haereticos, inde a semoto Granvello, in desuetudinem abierant. De eorum autem nimia severitate perpetuo conquerebantur eversionis auctores, ut commoverent multitudinis animos. Quo eodem consilio fabulabantur perpetuo, inquisitionem Hispanicam introductum iri[1]). Quod animo consilium Philippus certe numquam cepit. At quum, accrescentibus numero haereticis, turbae quoque agitationesque augerentur, praecepit rex, exeunte 1565, ut pristinae contra haereticos leges accurate observarentur. Quod cum, in Margarethae consilio, regis amici differendum censerent, quo prius regi exponi posset, quanta inde essent timenda pericula, Arausicanus perfecit ut sine mora promulgarentur regis mandata, dixitque uni e familiaribus suis, fore ut mox spectaretur pulcherrima tragoedia[2]). Voti fuerant compotes facti. Undique obnitebatur vulgus futurae inquisitioni. Delusus enim populus et libellis vehementiae plenis acrius concitatus, metuebat ne continuo inquisitione Hispanica vexaretur. Sic omnia ad seditionem parata.

5°. Nacti opportunitatem a nuptiarum solemniis principis Alexandri Parmensis, Margarethae filii, proceres fere viginti Bruxellis societatem inierunt, confecto tristissimae famae foedere, cui nomen **compromissum,** cuique post breve tempus 300 subscripserant. In eo, exorsi ab inquisitionis exsecratione, quae, divinis humanisque legibus adversa, barbariem longe superaret omnium retro tyrannorum, *commotos* sese affirmabant *ea indignitate nobiles, ad quos privilegio nobilitatis pertineret haec cura, societatem iniisse, qua obviam irent nefariis illorum conatibus, qui per haec judicia, proscriptiones-*

---

[1]) Imo etiam postea divulgata est, quae dicebatur, sententia inquisitionis Hispanicae, qua omnes in Neerlandia pronuntiarentur mortis rei, insuper sententia mortis a Philippo II in omnes Neerlandicos lata. Quae omnia commentiti sunt ut Hollandiae populus in Hispanos concitaretur. Cf. *P. J. Blok* in: Bijdragen voor vaderlandsche Gesch., 1907, p. 241 sqq.

[2]) Vita Viglii, p. 45. Cf. *V. der Haer*, De initiis tumultuum, Lovanii 1640 (ed. 2a), p. 288.

que, ac caedes, in optimorum civium fortunas intenderent. Quamobrem sancte jurare, inquisitionem se in Belgio numquam passuros: iratumque sibi Deum, iratos homines precari, si aut a foedere discederent, aut sociis, eam ob causam laborantibus, ope operaque deessent. Ad extremum superos testari, se nihil eo consensu moliri praeter Dei honorem, regis amplitudinem, patriae tranquillitatem. Auctore Arausicano, 5 Aprili 1566, nobiles 400, Bruxellis congressi, **libellum supplicem** gubernatrici obtulerunt, quo praemonebant ut caveretur ab exsequendis severe decretis, quippe ex quibus esset seditio oboriunda. Cujus periculi, a proceribus et a consilio publico fortasse neglecti, ipsos in culpa esse nolle, ac propterea petere ut ad tempus suspenderentur decreta et inquisitio, interea posse regem moneri ut decreta temperaret. Narrant comitem Barlamontium Gubernatrici, timenti nonnihil, animos addidisse Gallico verbo: quid timeas hos mendiculos? (Comment, Madame! peur de ces **gueux?**) Quamobrem *Gheusios* se appellaverunt nobiles; quod nomen postea, a factione ad haeresin transmissum, ita fuit haereticorum in Neerlandia proprium, sicut Hugenotorum in Francia. Non tamen satis iis fuerunt Gubernatricis promissa, fore ut mitius ageretur in exsequendis decretis. Utrimque increscebat in dies diffidentia et suspicio. Haeretici autem eo contumaciores facti sunt, quod decreta fere omnino jam non observabantur. Exsules multi redierunt. Antverpiae habita est synodus Calviniana, praeside Aldegondo; in locum civitati proximum hinc inde 20 vel 30 millia hominum affluxerunt, ut haereticos concionantes audirent. Praedicantes Guido de Bray, Peregrinus de la Grange, Joannes Taffin, Franciscus du Jon, Petrus Dathenus, Casparus van der Heyden agitabant in multitudinem. Creberrimae fiebant *conciones ad saepes* (hagepreeken). Tumultuabantur per universam regionem, praesertim in Flandria, Artesia et Hollandia. Quin prope a Bruxellis et quasi ante portas publice praedicabatur. Die 14 Julii convenit Trudonopolim ingens congressus nobilium foederatorum, qui libertatem cultus proclamantes statuerunt eam adversus regem propugnandam. Quod ubi factum, continuo consilium cepit synodus Antverpiensis libelli supplicis gubernatrici offerendi: Calvinistas 1200 vel 1400 e praecipuis, ex omni regionis parte congressos, solemni pompa, sicut fecerant nobiles, ituros ad aulam.

6°. Subito autem, etsi non ex imparato [1]), irruit **iconomachia.** Moded aliique praedicantes fanatici, praesidio nobilium securi [2]), Calvinistas concitabant. Jam mense Julio, impetu facto in aliquas aedes sacras, in dissitis ab Ipris et Cortraco pagis, plebs armata everterat imagines et rapuerat thesauros. De pago ad pagum proruptus furor. Per universam Flandriam occidentalem vix una integra relicta est ecclesia. In partibus ad septemtrionem sitis, furore non minus atroci actum. Comes Brederodius ex ecclesia Vianae omnes imagines jussit ejici. Comes Culemburgensis ipse interfuit depopulationi ecclesiae et, post peractum praeclarissimum facinus, potationem cum amicis suis instituit. Lugduni Batavorum ducebant iconomachos duo nobiles, insignibus Gheusiorum ornati. Ultrajecti et Aldenardae auctoritatem a nobilibus repetebant. In ipsis Bruxellis, quod gubernatrici magistratus nuntiavit, Ludovicus Nassavius et alii nobiles duo ad evertenda sacra exhortabantur. Omnium nefastissima ruina facta est Antverpiae. In ecclesia S. Mariae Virginis altaria, imagines, organa, specularia picta, omnia confracta, tabulae pictae trajectae, vestes sacrae dilaceratae, calices, monstrantia aliaque pretiosa rapta. Triduum integrum ita debacchati sunt. Simul sacerdotes, monachi et moniales male tractati. In sola Flandria ecclesiae 400 vastatae eversaeque sunt. Quae medii aevi ars confecerat celeberrima monumenta, maximam partem diruta. Neque usquam fere obstiterunt magistratus. Solae civitates Brugensis, Montensis, Cameracensis, Duacensis, et Atrebatensis iconomachiae furore manserunt immunes.

7°. Quae horrenda ubi Philippo II nuntiata sunt, obruit ejus animum moeror et ira [3]). Mansuetudinem commendavit Granvellus iterumque suasit regi ut praesens provincias adiret. Quod facere jam pridem debuerat, sed semper animi

---

[1]) *Nuyens*, De Nederlandsche beeldenstorm. Volksalmanak voor Nederl. Kath., 1865, p. 129 sqq. *Thoden van Velzen*, Beeldstorming van 1566. Evang. Volksalmanak, 1859, p. 130 sqq. Cf. *Nijhoff*, Bijdragen, 1888, III R. IV, 405 sqq. et *Brill*, Betwiste Bijzonderh. p. 78.

[2]) Iconomachiam factam esse praescientibus et assentientibus nobilibus, compromissi sociis, testatur *Bor*, Nederl. oorlogen, I, 302—304.

[3]) *Gachard*, Fureur de Philippe II sur le pillage des églises, 1566. Analect. Belg., p. 254.

pendens distulerat Philippus, id tum obicibus erat obsitum. Obstabat infirma valetudo, reluctabantur comitia (Cortes) Castellana, praepediebat causa Don Carlos, qui ducem Albanum aggressus fuerat et concionem singularem habuerat in comitiis[1]). Quare neque exhortanti Pio V obsecutus est Philippus. Belgium non adiit. Quod si fecisset, numquid potuisset pacem componere? Jam mense Decembri 1566 Amstelodami et Antverpiae sponsione se nobiles obstrinxerant, defensuros se invicem esse etiam adversus regem. Auxilia sperabant ab Helvetiis, Anglis, Hugenotis, quin etiam receperant litteras a familiaribus soldani, qui dicebatur Hispaniam infestaturus, et societate conjunctissimi erant cum conspiratore Grumbach Gothae. Philippus interea, aurem praebens consiliis monachi Augustiniani Lorenzo de Villavicencio, meditabatur poenas gravissimas a seditiosis Neerlandicis repetendas. Ulciscendi scelera curam et pacem componendam mandavit ferreo **duci Albano**[2]). Fuit is vir arte militari eximie praestans, sed quae res consecutae sunt testimonio fuerunt, eum in gubernandi scientia graviter fefellisse. Mense Augusto 1567 introivit Bruxellas cum exercitu 10.000 militum, et die 5 Sept. instituit duodecimvirale **tribunal tumultuum,** quod fuit concilium criminibus praecedentium tumultuum sine provocatione cognoscendis, vulgoque ob crebra supplicia **concilium sanguinis** appellatum est. Terror invasit omnes. Milleni, culpae conscii, exsularunt. Multi, confiscatis bonis, ad eandem poenam aut ad mortem damnati. Comites quoque ab Egmonda et ab Horna ita perierunt (5 Jan. 1568)[3]). Neque post partam victoriam et hostes diffusos Albanus moderatione usus est. Rex proclamandam veniam universam tardaverat in mensem Nov. 1569. At Albanus eam iterum remisit in Junium 1570. Sero tum collata. Deinde tributum centesimae, vigesimae, decimae impositum, quae tantorum fuit malorum causa. Non haeretici solum reluctabantur, verum etiam multi, hucusque

---

[1]) *M. Büdinger*, Don Carlos' Haft, Wien u. Leipzig 1891, p. 17; 88—89.

[2]) Revue des deux Mondes, 1865, Tom. 57, p. 387 sqq. Public. de la Société du Limbourg, Tom. 29, p. 96 sqq. Navorscher, 1894, p. 77 sqq.

[3]) Relation des exécutions à Bruxelles les 1, 2, et 5 Juin. Bullet. Comm. d'Hist., 2e Sér., Tom. IX, p. 175 sqq. *Jean Meyhoffer*, Le martyrologe protestant des Pays-Bas (1523—1597), Bruxelles 1907. Hic numerum occisorum exaggerat.

fidei et regi fideles, ab Hispanis abalienabantur. „Plurimos in Neerlandia non armavit inclinatio ad haeresin, sed tractatio dura" (Granvellus). Ad extremam autem exacerbationem concitati sunt Calviniani, quorum odium in fidem, quam eorum hostis praecipuus confitebatur, in dies acrius flammabat. Capta Briela (1 Aprili 1572), atroci furore acti *Gheuzii aquatiles* indigne tractarunt et necaverunt[1]) martyres 19 Gorcomienses. Eodem anno expugnatam Ruraemundam a principe Arausicano milites expilaverunt, aedes sacras et monasteria diruentes, et incolas monasterii Carthusianorum saeve trucidantes[2]).

8⁰. Paulatim perspexit Philippus, tranquillitatem non reductum iri ducis Albani duritia. Novembri 1573 novus gubernator **don Luis de Requesens** Bruxellas advenit. Spes promulgatae Junio 1574 veniae tristissime fefellit. Arausicanus non recessit ab impugnandis Hispanis. Fortissimus animo, de Requesens tuebatur antiquam Hispanorum gloriam militarem, sed stipendia militibus solvendo impar perpetuas eorum patiebatur seditiones. Gubernatore dein fortissimo viro **don Juan Austriaco,** ea omnia jam erant ablata aut composita, quarum rerum causa seditio oborta; seditio tamen ipsa non composita: Nimirum „Arausicanus Hollandiam salvavit", inquit Groen v. Prinsterer calvinista[3]). **Farnese,** anno 1579, in hoc operam suam collocavit ut provincias meridionales ad suas partes alliceret. Sic Belgium Ecclesiae servatum et sensim iterum probe catholicum redditum est. Opposuit hisce Arausicanus provinciarum foederatarum **Unionem Ultrajectinam** (1579). Dein-

---

[1]) *Guil. Estius,* Novorum in Hollandia constantissimorum martyrum passionis historia etc., edita 1572 et iterum edita in de Katholiek, 1864. Dl. 45, p. 167—172. *Idem,* Historiae Martyrum Gorcomiensium Libri quatuor, Duaci 1603. Ibi etiam aliorum quorundam martyrum acta. De Katholiek, Jg. 1860—1861; 1864; 1865; 1866; 1883. *Allard,* Studiën IVe Jg. *Fruin's* verspreide geschriften, II, p. 277 sqq. *Kronenburg,* Neerlands Heiligen in later eeuwen, Amsterdam 1901. *Coppens,* Alg. Overzicht v. d. kerkgesch. v. Noord-Nederland, 2e uitgaaf, Utrecht 1902, p. 503 sq. *H. Meuffels,* Les martyrs de Gorcum 2e éd., Paris 1908.

[2]) *Kronenburg,* op. cit., p. 149. *Havensius,* Historica relatio duodecim martyrum Carthusianorum, qui Ruremundae in ducatu Geldriae anno 1572 agonem suum feliciter compleverunt, (Gandavi) 1608. De aliis quibusdam martyribus vide *Kronenburg,* op. cit.

[3]) Archives, Tom. VIII, p. XLIII. *Nuyens,* La pacification de Gand 1576 (Revue générale, 1876, Juillet-Août.).

ceps in septemtrione tolerantia in rebus fidei non adhibita. Licet exigua tantum incolarum pars novae fidei adhaereret, tamen aedes sacrae fere omnes ademptae, catholici perpetuo exagitati, pax religiosa violata, impetus iteratus in imagines, iteratae expilationes direptionesque, militum ducibus Hohenlohe, Sonoy et Joanne Nassavio; quae incolas catholicos ad reluctandum propulerunt. Frustra. Hae *desperatorum* partes victae sunt. Provincia Transiselana, anno 1580, Foederatis Provinciis adjuncta est, multo serius Groningana. Decembri 1580 publicus catholicae fidei cultus interdictus est. Arausicanus, proscriptus a rege anno 1584, a Balthasare Gerardo interfectus Delphis obiit[1]).

9⁰. **Calvinismus,** jam paucis annis ante 1566 in Hollandiam tanquam ecclesia reformata receptus, sed primordiis Lutheranismo postpositus, neque a Gulielmo Arausicano fotus[2]), quo tempore is interiit, factus fuerat cultus publicus praecipuus[3]). Egerunt quidem Calviniani primam suam synodum, anno 1571, non in Hollandia, sed Embdenii; at anno 1572 Hornae coacta jam est synodus Calvinianorum Neerlandicorum separata. Undique deinceps in Hollandia et Zelandia coaluerunt coetus protestantium. Quare numerus praedicantium augendus. Salarium iis solvebatur e copiosis antiquae Ecclesiae bonis, quae verno tempore 1573 in publicum fuerant redacta. Anno 1574 condita universitas Lugdunensis (Batavorum), eo praesertim fine „ut formarentur docti dignique pastores"[4]). Altera synodus nationalis Dordraci (1578), qua patuit quanta incrementa cepisset Calvinianismus, jam egit de vertendis patrio sermone Bibliis, de psalmis metro versibusque includendis, tenendam confessionem et catechismum Heidelbergensem decrevit, viditque coetus Wallonum[5]) a Neerlandicis dissociatos. In Geldria Calvinianum ecclesiae ordinem instituit Joannes Nassavius

---

[1]) *Fruin,* Verspreide geschriften, II, p. 65—117.

[2]) *Dr. J. W. Pont,* Nieuwe bijdragen tot de kennis van de geschiedenis van het Lutheranisme enz. Dl. I, Schiedam 1907.

[3]) *Dr. Th. van Oppenraaij,* La doctrine de la prédestination dans l'église réf. des Pays-Bas, Louvain 1906.

[4]) *Schotel,* De Academie te Leiden in de 16, 17, en 18 eeuw, Haarlem 1775. *Wagemann,* Jahrbücher für deutsche Theol., 1875, I Bd.

[5]) *M. A. Perk,* De Waalsche Gemeenten, Baarn 1907.

et primam synodum egit (1579). Ultrajecti idem coepit Dathenus, nec sine gravi molestia perfecit. Competitorem enim habuit Duifhusium, qui suam quoque ordinare ecclesiam contendebat, fotus a gubernio[1]). Anno demum 1580 Frisiam occupavit Calvinianismus. Hic quoque bona catholicae ecclesiae rapta sunt. Snecae habita est prima synodus. Anno 1585, Franequerae Ludovicus Nassavius universitatem formandis praedicantibus condidit.

Pridem observatum jam fuerat, esse inter Calvinianos, qui severiorem doctrinam tenerent, esse etiam qui mitiorem. Acriter in primis synodis hae partes sibi invicem oppositae fuerunt. Anno 1590, contendit Oldenbarneveld ordinare ecclesiam Hollandicam, ope et consilio praedicantium, qui essent ex utrisque partibus moderatiores. At propter hoc inceptum habebatur a severioribus caput „libertinorum". Consentientes in multis, uni praedestinationis capiti assentiri cum severioribus mitiores noluerunt. Inter antesignanos eorum, inde ab anno 1588, eminuit **Jacobus Arminius** (Harmensz)[2]). Anno 1602 factus professor est in universitate Lugdunensi, quo officio jam fungebatur unus e praeclarioribus factionis severioris, **Gomarus.** Qui aegre ferebat Arminium impetere doctrinam Calvini et Bezae, quin etiam ostendere, esse quaedam bona in libris S. Thomae, imo vero etiam in scriptis Jesuitarum Suaresii et Bellarmini. Multo major praedicantium pars in provinciis septem Gomaro stabant. Anno 1605 petierunt a Senatu Generali synodi e septemtrione et meridie, ut cogeretur synodus nationalis. Mandatum a senatu (Staten-Generaal) electis viris est ut de re inquirerent et consulerent. Quo facto, tam acris consecuta est controversia, ut Senatus, ne turbae excitarentur, a convocanda synodo nationali abstinuerit. Congressi tamen partes sunt, 20 Aug. 1609, defenderuntque Gomarus et Arminius suam quisque sententiam, pacem vero non inierunt. Neque lites diremtae sunt morte Arminii (Oct. 1609); quin potius vehementius concitatae, propterea quod penes Senatum meliore gratia

---

[1]) *P. L. Muller*, De partijstrijd te Utrecht over de nadere Unie. Uit P. L. Muller's verspr. geschriften, uitgeg. door Blok en S. Muller, Leiden 1906, p. 204 sqq.

[2]) *J. H. Maronier*, Jacobus Arminius. Een biografie, Amsterdam 1905.

gaudebat Arminius. Perfluebat Hollandia libris et libellis. Anno 1610 coierunt Ultrajecti Arminiani et, auctore Uytenbogaert[1]), statuerunt ut ad Senatum referrent „remonstrantiam", communicatis consiliis cum Oldenbarneveldo, ab Uytenbogaert confectam. Inde iis appellatio **remonstrantium.** Impugnabant hoc opere Calvini praedestinationis doctrinam suamque Arminii explicabant (Junio 1610). Anno proximo Gomaristae detulerunt „contra-remonstrantiam", fortiter Arminii doctrinam rejicientes. Unde iis nomen **contra-remonstrantium** [2]). Quo facto ardentior exarsit controversia, turbasque movit per totam regionem. A partibus contra-remonstrantium stabant numero multo majore praedicantes, remonstrantibus favebant plurimi e senatibus provinciarum, Hollandiae, Ultrajectinae et Transiselanae, et major pars eorum qui gubernabant in harum provinciarum et Geldriae civitatibus. Colloquia, anno 1611 Hagae comitis et 1613 Delphiis habita, rem dirimere non valuerunt, nec „resolutio" Januario 1614, qua Senatus Generalis jussit utramque partem silere et toleranter invicem agere. Mauritius princeps, qui diu neutri parti se dederat, ad contra-remonstrantium sententiam inclinari coepit, vel eo magis quod Oldenbarneveldum suspectum sibi habebat, factusque sensim fuerat ejus in rebus publicis agendis adversarius[3]). Publice ad Gomaristarum partes accessit anno ipso 1516, quo Oldenbarneveldus sanciendam „acrem resolutionem" curavit, qua vetuit cogi synodum, minatusque est se, ubi opus fuerit, per vim pacem tuiturum. Vicit tamen Mauritius, ita ut Senatus Generalis, suffragantibus senatoribus quatuor, adversantibus tribus, decreverit ut anno 1618 haberetur synodus nationalis. Convenit 13 Novembri hujus anni, vocaturque **synodus Dordracena** [4]) (1618—1619). Praesedit

---

[1]) *Rogge*, Johannes Uijtenbogaert en zijn tijd, 3 Deelen, Amsterdam 1874—1875.

[2]) Utrumque libellum vide apud *G. Baudartius*, Memoryen ofte cort verhael der gedenkweerdichste so kerckelijke als wereltlijke Gheschiedenissen van Nederland, enz. Arnhem 1824, p. 26—37.

[3]) *Groen van Prinsterer*, Maurice et Barnevelt, Utrecht 1875. *Wenzelburger*, Hist. Zeitschr., 1876, Heft 2.

[4]) Acta synodi nat. Dortr. Lugduni Batavorum 1620. Acta et scripta synodalia Dortracena Ministrorum remonstrantium, Herder-Wiici 1620. *Glasius*, Geschiedenis der nationale synode, 2 Deelen 1860.

sessionibus 180 Bogerman. Praedicantes amplius 100 interfuerunt. Altercatione sine fructu habita, obtinuit synodus, 1 Januario 1619, a Senatu Generali resolutionem, qua synodo potestas judicii facta est in remonstrantes. Quo facto, die 14 Januario remonstrantes omnes Bogerman ex aula synodi expulit et synodus demum in omnes damnationis sententiam tulit. Sedibus suis semoti 200, in exsilium acti 80. Gomaristis se adjunxerunt 40, nonnulli ad partes catholicorum redierunt. Inter expulsos fuerunt G. J. Vossius, Barlaeus, Bertius et Episcopius, qui certare non desiit. Sola deinceps sentiendi et vivendi norma facta est doctrina Dordracena. Vix missa synodus est, quum Oldenbarneveld, jam Augusto 1618 in vincula conjectus, die 12 Maji 1619 mortis damnatus est et postero die necatus [1]). Hugo Grotius etiam, custodiae datus, fuga se eripuit [2]).

10⁰. Dum Calvinistae severiores tantum sibi sumerent, agerentque quasi ipsi soli jure viverent in Neerlandia, incolarum quartae partes tres se esse **catholicos** [3]) profitebantur, et manserunt numero plures usque in multum saeculum XVII. Adhuc anno 1587 publice negabatur, amplius una decima parte incolarum ecclesiae reformatae, seu Calvinisticae, nomen dedisse. Quae autem causae fuerunt, cur perpetuo catholicorum numerus decreverit, satis notae sunt. Creatis novis episcopatibus (1559), Middelburgi, Harlemi, Daventriae, Leovardiae, Groningae, Silvae Ducis et Ruraemundae, temporis mora defuit proferendi fructus. Deinde non ita feliciter accidit ut ad has sedes occupandas pauci deligerentur, qui opinionem non fallerent. Unde consecutum est ut clerus non ad meliora erigeretur. Morum vitaeque libido multos propulit ut deficerent a fide, qua defectione haud raro totam parochiam traxerunt. Laici, in urbibus praesertim, saepe parum aut nihil movebantur rebus fidei, imbuti scilicet paganismo renascentiae ethnicae, qua etiam in Neerlandia multi ingenuam

---

[1]) Waaragtige historie van J. Oldenbarneveld, Rotterdam 1670. Kroniek van het Hist. Genootschap, 1874, p. 134 sq. *Blok*, Deel IV.

[2]) *Brandt-Cottenburg*, Historie van het leven des heeren H. de Groot, Dordrecht 1727, 2 deelen in fol.

[3]) *Fruin*, Wederopluiking, in Verspreide Geschriften, III, 249 sqq. Cf. de Katholiek Dl. 107 (1895) p. 21; 176; 339 (Kerkhoff).

fidei simplicitatem perdiderant. Una tamen e praecipuis causis cur, Reipublicae tempore, numerus catholicorum perpetuo deminuerit, fuit continua **vexatio** [1]), cui catholici fuerunt obnoxii. Jam inchoarunt persequi catholicos tum, quum hi nondum ullam dederant suspicionis ansam, sed una cum protestantibus pugnabant in exercitu et in castellorum moeniis contra Hispanos, et *pacificatione Gandavensi* (1576) catholici non minus quam acatholici spoponderant se certaturos contra hostem communem [2]). Deinceps, quum, perpetuo vel in minimis afflictati et vexati, quasi ad desperationem adducti essent, quoties vix quidquam persequentibus obluctabantur, toties novis decretis exagitati sunt [3]). Insatiabile odium in Romam causa fuit. Exercitia omnia religiosa interdicta. Graves imponebantur mulctae sacerdotibus et iis, qui permisissent fieri sacra in domibus aut horreis suis [4]). Clerici dignitate majores et religiosi peregrini finibus ejiciebantur, addita ut plurimum proscriptione bonorum. Gravissimum intulerunt Ecclesiae damnum decreta de instructione. Prohibitae scholae omnes catholicae, prohibiti libri catholici et officinae typographicae. Gravibus propositis poenis, vetitum est juvenes mitti in scholas exteras. Insuper gravissimum catholicis fuit, quod ab omni magistratu et munere publico arcerentur, quod haberentur per integra duo saecula inferiore loco et quasi minus idonei. In provinciis quidem Hollandica et Ultrajectina legitimum habebatur omne matrimonium, quod in curia urbana esset initum. Qui usus facultatem relinquebat catholicis occulte nuptias celebrandi coram sacerdote. In aliis contra provinciis, in Zelandia, Geldria, Groningana usque adeo dure praeceptum est, ut solum matrimonium, in ecclesia protestantium initum, pro justo haberetur. Catholici ergo, ut legitimarent prolem, aut iter in Hollandiam vel Ultra-

---

[1]) *Knuttel*, Toestand der Nederlandsche katholieken ten tijde der Republiek, 's Gravenhage 1892—1894. Cf. de Katholiek Dl. 101 (1892), p. 405 sqq.; Dl. 107 (1895), p. 216 sqq. (Brom). Studiën, Dl. 39 (1892), p. 161 sqq. (Allard).

[2]) Calvinistae „montraient, en ravageant les temples, en maltraitant les ecclésiastiques, en interdisant la messe, ne vouloir s'arrêter qu'à l'extirpation du papisme. La coalition croulait par sa base. La révolution (nationale) était devenue populaire et religieuse". *Groen van Prinsterer*, Archives, VI, Introd. XXIX.

[3]) „Si l'on ne peut se fier aux catholiques, c'est aux Réformés qu'en est la cause" ibd. p. 676.

[4]) Multae fuerunt 25, 30, 100, imo vero 1000 florenorum.

jectum aggredi cogebantur, ut nuptias in aula celebrarent, aut poterant, post nuptias coram parocho, *more politico* easdem inire coram praedicante[1]). Nec poterant pecunia redimi a vexatione. In reliquo autem cultu, fatendum severa decreta, quippe vulgo in gratiam praedicantium lata, saepius non esse cum eadem severitate exsecutioni mandata. Sumptuosa tamen valde fuit catholicis haec magistratuum moderatio. Redimenda fuit a sculteto (schout) loci, certo pretio menstruo, impunitas agendi sacra[2]). Quodsi parochia penuria premeretur, aut nollet suam pretio emere libertatem, tranquille et sine metu exercitia cultus haberi non poterant. Ita integra duo saecula tyrannidi sculte-torum fuerunt catholici obnoxii. Unde consecutum est, ut qui essent ferventes, ferventioribus in dies animis inhaeserint fidei, qui vero tepidiores, ut vexationibus liberarentur, a recta fide defecerint. Quorum numerus, praesertim in urbibus, ingens fuit. Monasteria et abbatiae, pridem creberrima, omnia sunt diruta. Postrema abolita sunt Ultrajecti monialium claustra, anno 1613, eorumque bona in publicum addicta.

Ecclesia autem catholica Neerlandica, re et facto, capite orbata fuit, sacerdotes multi animis fracti. Anno 1583 Sasboldus Vosmeer[3]) a Johanne Bruhesio sibi sumpsit munus vicarii generalis, conatusque est gregem disturbatum colligere. Eodem fere tempore Coloniae Agrippinae constitutus est *Nuntius Apostolicus*, cui ampla in his regionibus collata jurisdictio est, die 22 Febr. 1592. Is eodem anno constituit Sasboldum Vosmeer Vicarium Apostolicum, munitum jurisdictione „in Hollandia et Zelandia et reliquis Germaniae inferioris terris, quae auctore satana a catholica fide et obedientia regis sui legitimi defecerant" (3 Junii 1592). Anno 1596 nuntiatura Coloniensis in duas partes divisa est, quarum altera, pro rebus Neerlandicis, sedem haberet Bruxellis. Primus etiam gradus factus est ad instaurandum archiepiscopatum Ultrajectinum, cum crearetur Vosmeer Archiepiscopus Philippensis i. p. i.; qui titulus mutandus statuebatur in archiepiscopum Ultrajec-

---

[1]) Cf. de Katholiek, Jg. 1908, I, p. 246 et not. 1.

[2]) Scultetus Delphiorum undecim mensium spatio receperat florenos 1300. Accedebat recognitium pretium, quod, saepe et intra breve tempus aut mortuis aut abeuntibus sacerdotibus, grave admodum fuit. Vide catalogum apud *Knuttel*, II, p. 302 sqq.

[3]) *Thus*, Jaarboekje van Alb. Thijm, 1897, p. 3 sqq.

tinum, ubi primum archiduces id permitterent. Archiepiscopus Philippensis Coloniae sedit, donec obiit (1614). Cui successit Philippus Rovenius. Hac Vicariorum aetate iterum effloruit catholicismus. Multa, quae videbantur in perpetuum deperdita, recuperata sunt [1]). Ad quem successum multum contulerunt religiosi, qui tanquam missionarii circuibant, magno suo periculo catholicos in fide roborantes et in nonnullis locis residentias instituentes. Ingens adhibitus est labor a clericis, quum saecularibus tum regularibus. Quorum etsi numerus esset exiguus [2]), laborum fructus ingentes fuerunt. Catholicorum fervor revixit. Dicunt, primo tempore post sancitum duodecim annorum foedus (Bestand), fuisse novem millia, qui irent Silvam Ducis aut Antverpiam, Sacramentum Confirmationis suscepturi. Magnae utilitati fuerunt, saeculo XVII et postea, piae feminae, quae *pulsantes* vocabantur (quod circumeuntes pulsando januas signa dabant); quarum adeo increvit numerus, ut synodus reformatorum et nonnulla etiam civitatum gubernia eas metuere coeperint [3]). Instruebant in fide infantes, monebant fieri exercitia cultus, ornabant loca sacra et altaria, conficiebant linteamina altarium et ornamenta [4]). Ut fieri assolet inter infirmos mortales, etiam in his regionibus non fuit zelus semper ab invidia vacuus; quae res tamen impedimento non fuit, quin communi sollicitudine ac labore fides in Neerlandia salvata sit.

---

[1]) *Fruin*, Wederopluiking, loc. cit., p. 317 sqq. *Dr. G. Brom*, Briefwisseling der Vicarii Apostolici met den H. Stoel. Arch. v. d. Gesch. v. h. Aartsb. Utrecht. Dl. 32, p. 456 sqq.; Dl. 33, p. 1 sqq.; Dl. 34, p. 1 sqq.

[2]) Anno 1616 laborabant in missione illa sacerdotes saeculares fere 200, et Jesuitae 17, Franciscani 7. Ibd. Dl. XVII, p. 462.

[3]) Anno fere 1650, synodus earum numerum esse 20 millia putabat, qui numerus certe nimius est.

[4]) Cf. etiam Arch. Aartsb. Utrecht, Dl. XVIII, p. 27, 210; Dl. X, p. 125.

§ 150. Protestantismus in Europae partibus septemtrionalibus, orientalibus et meridionalibus.

Schäfer, Gesch. von Dänemark, Bd. IV—V, Gotha 1893—1902. *Karup*, Geschichte der kath. Kirche in Dänemark, Munster 1863. *Weidling*, Schwedens Geschichte im Zeitalter der Reform., Gotha 1882. *Krause*, Die Reformation und die Gegenreformation im ehemaligen Königreich Polen, Posen 1905 (2e Aufl.). *Szlávik*, Die Reformation in Ungarn, Halle 1884. Confutatio Lutheranismi Danici anno 1530 conscripta a Nic. Stagefyr seu Herborneo O. F. M., ed. *L. Schmitt* S. J., Ad Claras aquas (Quaracchi) 1902.

1°. In **Dania** Christiano II (1513—1523) regnum ademptum est, quod vellet introducere Lutheranismum. Qui ei successit, Fredericus I (1525—1533), secundiore fortuna usus est. Praecipuus haereticae doctrinae praedicator fuit **Joannes Tausen** [1]), qui anno 1527 obtinuit libertatem cultus et anno 1530 suam induxit **confessionem Havnicam.** Christianus III (1533—1559) totam terram Danicam protestantismo tradidit, **Bugenhagen** [2]) ecclesiam ordinante. Omnia jura publica catholicis adempta, nullum adipisci munus, nullam adire haereditatem iis licitum. Poena mortis proposita est sacerdoti fines Daniae adeunti. Ipso hoc tempore Christianus III protestantismum introduxit in **Norvegiam,** e qua pridem aufugere debuit, propter sua studia haeretica, Olafus archiepiscopus Nidrosiae (Drontheim). Persecutio catholicorum et pernicies mox secuta. **Islandia** [3]) diu restitit novae doctrinae; at, post martyrium Joannis Aresen episcopi, etiam ipsa protestantismo se dedit.

2°. Anno 1519 **Svecia,** depellere a se jugum Danicum conata, *caede* Stockholmiana poenam luit (1520). Christiano II autem, anno 1523, e Dania ejecto, populus Sveciorum regem elegit **Gustavum Wasa** [4]). Is, in civitate Lubeca protestantismo imbutus, confestim regnum suum haeresi tradidit. Per vim irrita facta est obluctatio. Praedicantium principes fuerunt fratres Olof et Laurentius Paterson. Principio cultum catholicum non aboleverunt, neque nomen episcopi. Quum anno 1550, qui Gustavo successerat, Erich XIV Calvinismum

---

[1]) *Schmitt*, Johann Tausen, der dänische Luther, Köln 1894.

[2]) *Hering*, J. Bugenhagen, Halle 1888.

[3]) *Baumgartner*, Stimm. a. M.—L., Bd. 29 (1885), p. 295 sqq.

[4]) *J. Martin*, Gustave Wasa et la réforme en Suède, Paris 1906.

inducere conaretur, regno dejectus et fugatus est. Cujus frater Joannes III (1568—1592) catholicam duxit principem Polonam, omnemque operam in eo collocavit ut regionem catholicae Ecclesiae restitueret. Quae, auxiliante legato Antonio Possevino S. J., inceperat[1]), irrita fecit regis frater Carolus. Qui etiam Poloniae regis, Sigismundi III, consiliis offecit eumque, ob catholicae fidei studia, regno Sveciorum dejiciendum curavit (1604). Spes omnis redintegrandi catholici cultus defecit. Imo vero, qui Carolo successit, filius ejus Gustavus Adolphus (1611—1632) praestantissimus Lutheranismi propugnator vocatus est. Cujus filia Christina Svecica regno cessit et ad cultum catholicae Ecclesiae se convertit[2]).

3°. In regnum **Poloniae** jam intrarant Lutheri discipuli. At Sigismundus I (1501—1548) praevertit ne diffunderentur. Non pari sollicitudine egit Sigismundus II (1548—1572), e qua incuria consequens fuit ut brevi sectae omnes habuerint suos in Polonia coetus. Lutherani, Calviniani, Zwingliani et Sociniani, anno 1570 congressi, inierunt *Consensum Sendomiriensem*, petieruntque anno 1573 libertatem cultus. Commotionis haereticae caput fuit Joannes de Lasco[3]). De catholica doctrina tuenda optime meruit celeberrimus **Stanislaus Hosius** cardinalis[4]). Qui conditum a se Braunsbergae lycaeum moderandum tradidit Jesuitis, quorum multi fuerunt in Polonia pro tuenda fide labores. At, semoto perversionis haereticae periculo, lites tamen diuturnae fuerunt, factaeque sunt una e praecipuis causis, cur Poloniae regnum interierit.

4°. In **Hungaria**[5]) Lutheranismus innotuit per studiosos Wittembergenses. Statim nobiles, bonorum Ecclesiae cupidi, haereticos foverunt. Praedicantium princeps **Matthaeus Devay**,

---

[1]) *H. Biaudet*, Le S. Siège et la Suède durant la seconde moitié du XVI siècle, Tom. I, Paris 1907 (1570—76). *Theiner*, Schweden und seine Stellung zum H. Stuhl unter Johann III, Sigismund III und Karl IX, 2 Theile, Augsburg 1838 sq.

[2]) *Friis*, Königin Christine von Schweden. Aus dem Dän. von *P. Klaiber*, Leipzig 1899. *Claretta*, La regina Christina di Svezia in Italia, Torino 1892.

[3]) *Pascal*, Jean de Lasco, évêque catholique, réformateur protestant, Paris 1894.

[4]) *Eichhorn*, Der ermländische Bischof und Kardinal Hosius, Mainz 1854, 2 Bde.

[5]) *Bod*, Hist. Hung. ecclesiastica, Tomi 3, Lugd. Batav. 1888—1890.

anno 1543 a Lutheranismo ad Calvinismum transgressus, anno 1545 synodum coegit praedicantium 29. Praevaluit sensim prae reliquis doctrina Calviniana et anno 1563 certa formula concepta est, *Confessione Hungarica*. Anno 1561 Jesuitae venerunt Tyrnavium. Acriter initio a protestantibus agitati, uberrimos tamen laborum fructus perceperunt. Anno 1583 celeberrimus ille e protestantismo conversus, **Petrus Pázmány**, Societatem ingressus est, qui primum missionarius, dein Hungariae primas et cardinalis, ingens catholicae fidei in his terris robur contulit[1]. Anno 1606 protestantibus cultus libertas concessa est. **Transsilvania** quoque Calvinismo se dedit et comitia 1556 omni cultui libertatem proclamarunt.

5°. In **Italia**[2] civitates ampliores mox haereticorum plenae fuerunt, qui tamen coire non sunt ausi, metu inquisitionis. Petrus Vermigli (Martyr) vixit in Helvetia, dein Oxoniae et Argentorati et obiit Tiguri. Bernardinus Ochino, Franciscanus primum, dein Capuccinus, orator disertus, defecit a fide, matrimonium iniit Genevae et factus est professor Oxoniae. Vergerio, nuntius pontificius primum, professor Tubinganus obiit (1565). Paulus Sarpi[3], ex ordine Servitarum, protestantismo tristissime favit, multaque intulit Venetiis damna catholicismo. Cujus amicus Antonius de Dominis, anno 1602 archiepiscopus Spalatrinus, nec Luthero nec Calvino deditus, tamen impugnavit Ecclesiam, ejus jurisdictionem, primatum, S. Missae sacrificium aliaque[4]. Notissimus autem ex his Italiae haereticis fuit **Giordano Bruno** († 1600)[5]. Anno 1540 Nolae natus, ingressus est ordinem Praedicatorum, sed mox egressus vitam egit vagus. Scriptis plurimis Bruno propugnavit pantheismum, insultans Ecclesiae, libidini deditus. Anno 1600, Romae in judicium inquisitionis vocatus, damnatus et igne necatus est[6]. Omnium maximo numero fuerunt

---

[1] *Schwicker*, Peter Pázmány, Kard.-Erzb. und Primas von Ungarn, und seine Zeit, Köln 1888.

[2] *Pietro Tacchi Venturi* S. J., Storia della Compagnia di Gesù in Italia, vol. I: Vita religiosa in Italia etc., Roma 1910.

[3] *Rein*, Paolo Sarpi und die Protestanten, Helsingfors 1904.

[4] Cf. ejus librum: De republica christiana, libri quatuor, Lond. 1617.

[5] *Louis*, Giordano Bruno, seine Weltanschauung und Lebensauffassung, Berlin 1900.

[6] Ejus opera edita sunt recentius a *Kuhlenbeck*, Jenae 1890 sqq.

asseclae **Fausti Socini** († 1604). Cujus avunculus Laelius Socinus († 1562) litterarum commercium habuit cum protestantibus in Germania, et reliquit scripta inedita, quae haereditate obtinuit Faustus. Qui, avunculi cogitata persequens, construxit protestantismum rationalisticum. Plurimum in Polonia versatus, *Unitarios* fere omnes ad **Socinianorum** traduxit sectam. Capitibus multis cum Luthero consentiebat, sed negabat gratiam et peccatum originale, in majus augebat rationis humanae vires, S. Scripturam solum fidei fontem habebat, eam tamen non tantum obscuram esse, sed nostrae intelligentiae vim fere fugere dicebat[1]). Posteriore tempore Sociniani abjecerunt quidquid supernaturale erat et purum rationalismum docuerunt. Multos habuit secta asseclas in Anglia et Hollandia, in quibus tamen regionibus licitum iis non fuit habere coetus; deinde in Helvetia, Borussia, Palatinatu et praesertim in Transsilvania[2]).

6⁰. Quae conamina adhibita sunt ut protestantismus etiam apud **Graecos schismaticos** penetraret, in vanum cesserunt omnia. Jam anno 1559 Melanchton ad patriarcham Constantinopolitanum Confessionem Augustanam misit, sed non recepit responsum. Sperantes meliora jam advenisse tempora, anno 1573 professores Tubingani, Crusius, Andreae aliique jungere societatem cum Constantinopolitanis sategerunt. Nec tum apostolatus iste fructum dedit. Jeremias II patriarcha sententias eorum redarguit petiitque ne amplius sibi de his rebus negotium facesserent. Nec feliciores fuerunt Calvinistae Hollandi. Sane Cyrillus Lukaris[3]), qui anno 1621 sedem patriarchalem Alexandrinam cum Constantinopolitana commutarat, aurem praebuit eorum sollicitationi, edixitque anno 1631 fidei confessionem, qua Calvini doctrinam praedestinationis et S. Eucharistiae exposuit. At audaciae poenas luit gravissimas. Synodus Constantinopolitana 1634 eum haeresis crimine damnavit et a sede dejecit. Post breve tempus callidus vir sedem perditam recuperavit, at episcoporum suorum fidem non recepit. Anno 1638, iterum dejectus et proditionis accusatus,

---

[1]) *Lecker*, Fauste Socin, Genève 1885.

[2]) Opera Laelii et Fausti Socini edita sunt ab *Oeder*, Francof. 1739.

[3]) *Pichler*, Cyrill Lukaris, München 1832.

jubente soldano Murat IV, necatus est. Synodi plures ejus haeresin rejecerunt et, ne in posterum oriretur iterum haeretica commotio, praescripserunt confessionem orthodoxam Petri Mogilas.

---

§ 151. Causae cur celeriter sit protestantismus diffusus.

Marx, Die Ursachen der schnellen Verbreitung der Reform., Mainz 1834. *Döllinger*, Die Reformation, ihre innere Entwicklung und ihre Wirkungen, 3 Bde, Regensburg 1846 sqq. *Janssen*, Gesch. des deutschen Volkes, I Bd. *Hergenröther-Kirsch*, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte, III Bd., Freiburg, p. 172 sqq. *Baudrillard*, L'Eglise catholique, la Renaissance, le Protestantisme, Paris 1904.

1°. Ex ipsa reformationis historia luce clarius patefit, cujus rei causa cum tanta celeritate sit ejus perfecta diffusio. Redigi ad tria capita potest: conditionem societatis christianae, ipsam haereticam doctrinam, modum denique quo haec populo proponebatur.

a. **Conditio** christianae societatis universa tristissima fuit. Residentia Pontificum Avenionensis, schisma diuturnum, per veterum scriptorum studia ad ethnica conformati animi, abusus multi qui irrepserant, aut quae pro abusu habebantur, haec omnia effecerant ut discordarent non solum populus cum clero, verum etiam principes christiani cum Summo Pontifice. Quae quidem discrepatio in nonnullis regionibus, per perpetuas querelas dictitatas in curiam Romanam, ad verum odium succreverat. Consequens fuit ut fremerent adversus antiqua, desiderarent nova, cuperent sibi pro lubitu cogitandi et agendi concedi potestatem, ut ad ingentem denique moverentur superbiam, quae sociam habere solet morum corruptelam. Quae pestis non solum populos infecerat, verum etiam clerum et ipsos nonnullos ordines religiosorum ad extremum exitii discrimen adduxerat. Voluptatum cupido multis postea haereticae factioni dedendi se causa fuit. Quae omnia eo facilius acciderunt, quod haeresum superiorum reliquiae in multis locis suapte natura reviviscerent, et clericorum inscitia haud minima esset in multis Germaniae partibus, in Gallia et Helvetia.

b. Talis hominum societas sine dubio fuit veluti probe aratus

ager reformationis **doctrinae.** Contenderunt itaque Lutherus, Calvinus, Zwinglius primum curiae Romanae odium stimulare, populumque a clericis, et principes a Roma dirimere, dein sensualitati servire, abrogandis jejuniis, abstinentiis, confessione et religiosorum votis[1]). Eodem spectabat doctrina justificationis per solam fidem, inquirendi libertas, certitudo salutis, praedestinatio, et caelibatus bonaque opera, aut nociva aut inutilia declarata.

c. Demum **modum proponendae doctrinae** usurparunt reformatores eum, ut nobiles principesque allicerent spe occupandi bona ecclesiarum opesque monasteriorum et abbatiarum[2]). Eaedem fere ubique populis struebantur illecebrae, quibus cupiditas exardesceret, et desiderio meliora obtinendi satis factum iri sperarent. Neque arrogantiam stimulare omiserunt: dabatur communio sub utraque specie; sacra fiebant sermone patrio, ac simplicissimis laicis dabatur licentia interpretandi scripturas, ut ipsi sibi inde salutis doctrinam eruerent. Principes dein facti quasi Papae (Summepiscopi) in suis finibus, in Lutheranismo praesertim. Causa tandem tam celeriter propagati protestantismi una, fere prae reliquis omnibus princeps, fuit regnantium tum principum tum magistratuum in civitatibus voluntas. Nusquam suo proprio arbitratu populus reformationi nomen dedit. Homines quidem nonnulli vani, exiguo numero, sollicitantibus sacerdotibus aut monachis apostatis, statim obsecuti sunt, at populus honestus per vim demum ubique compelli debuit. Ejiciendo sacerdotes, vetando exercitia cultus, opprimendo et postponendo in rebus omnibus eos, qui constantes manere in fide vellent, fere in omnibus regionibus, ubi nunc protestantismus praevalet, catholicismum violenter everterunt et exstirparunt. Quod eo facilius successit, quo erat

---

[1]) „Maxima horum pars visa est ea modo ex Evangelio petiisse, primum ut Antichristi Romani et pseudoepiscoporum tyrannidem a se depellerent, deinde ut jugum qualiscumque disciplinae, poenitentiae et religionis universae, quae in Papatu reliqua fuit, abjicerent, proque carnis suae arbitrio ac libidine instituerent agerentque omnia". *Mart. Bucer*, De regno Christi, Basil. 1557, p. 85 (*Döllinger*, Die Reform. II, p. 54).

[2]) „Nec pauci eorum qualemcumque Evangelii praedicationem eo tantum receperunt, ut in opes invaderent ecclesiasticas." ibd.

hinc inde populus moribus et rerum fidei incuria corruptior [1]. Necesse tamen in nonnullis regionibus aestimatum est ut initio usus catholicos non abolerent, quo facilius inscius populus deciperetur. Quare ingens discrimen est inter propagationem fidei catholicae primis Ecclesiae saeculis et diffusionem protestantismi. Ille succrevit martyriis, hic rerum temporalium cupiditate et principum tyrannide. Liberum cultus exercitium catholicis nullibi protestantes concesserunt, sed ex variis haeresibus ipsi quam vellent deligentes, hanc per vim omnibus imponebant [2]. Cujus regio ejus et religio.

---

§ 152. Interna protestantismi explicatio.

Döllinger, Die Reformation, ihre innere Entwicklung und ihre Wirkungen, 3 Bde. Regensburg 1846 sqq. *Janssen*, Gesch. d. deutschen Volkes, Bd. IV—V. *Kahnis*, Der innere Gang des deutschen Protest., 3e Aufl., 2 Bde, Leipzig 1874. *Dr. Th. van Oppenraaij*, La doctrine de la prédestination dans l'église réformée des Pays-Bas depuis l'origine jusqu'au synode national de Dordrecht (1618—1619), Louvain 1906. *Arnold*, Unparteyische Kirchen- und Ketzerhistorie, Frankfurt 1699, 2 Bde. *Nuyens*, De Nederlandsche Republiek gedurende het twaalfjarig Bestand, 1598—1625, Amsterdam 1905. *Blok*, Geschiedenis van het Nederl. Volk, praesertim Dl. IV, Groningen 1899. *Bossuet*, Histoire des Variations, 4 vols, Paris 1689. *Harnack*, Dogmengeschichte, III (3e Aufl.), Tübingen 1897. *Seeberg*, Lehrb. der Dogmengesch., II, Erlangen 1895.

1⁰. Repudiata Ecclesiae auctoritate et concessa inquirendi libertate, protestantismus ipse re et facto fontem aperuit **litium** posteriorum. Sociati inter se et uniti, dum demolirentur, ubi aedificandum fuit, confestim opiniones humanas variasque sententias haeretici prae se tulerunt. Ipsi praestantissimi protestantium theologi, communi pridem odio in res Romanas consociati, in inexplicabile certamen discesserunt. Nec servata est mutua verecundia, eo quod pessimae voluntatis probrum sibi invicem intulerunt. Neglecta christiana mansuetudine, dominabatur acer-

---

[1]) *Fruin*, Wederopluiking van het Katholicisme, in Verspreide Geschriften, III Dl., p. 259—260.

[2]) *Onno Klopp*, Studien über Katholicismus und Protestantismus und Gewissensfreiheit in Deutschland, Schaffhausen 1857.

rimum persequendi studium, quod tanquam armis utebatur legibus cruentis, vinculis et suppliciis.

2⁰. Jam pridem exarsit *a*. **certamen sacramentarium** inter Lutherum et Zwinglium. *b*. In comitiis Augustanis (1530) et etiam occasione *Interim* Lipsiaci, quaedam catholicis concesserat Melanchton. Eam ob causam a Lutheranis reprehensus, *adiaphora*[1]) haec dogmata vocavit. Unde ortum **certamen adiaphoristicum** multos annos acerrime tum concionibus tum scriptis libris actum est. *c*. Agricola[2]), amicus Lutheri et discipulus, suum ipse magistrum impugnavit excitavitque **certamen antinomisticum,** quod male ei cessit. Censuit Lutherus, legem Dei excitare in peccatore metum divini judicii, et Evangelium aliud nihil homini, sic metuenti, conferre praeter solamen et levamen. Agricola contra docebat, conversionem nasci ex Evangelio, et oriri ex amore, concitato praedicatione passionis et mortis Domini. Vehementia abreptus, Lutherus mentem Agricolae, antea amici, non amplius perspexit, eum falso *antinomismi* insimulavit, quasi, abrogata lege morum, omnia peccata licita dixisset. Numquam in gratiam Lutheri rediit, neque omnia retractando neque summa humilitate orando. *d*. Andreas Osiander[3]), professor Norimbergensis et Konigsbergensis, doluit de morum corruptione, exorta e dogmate Lutherano justificationis. Ipso auctore, justitia constat inhabitatione divina, quam meruit Christus et operatur in homine fides. Inde exarsit **certamen Osiandricum**[4]), prae controversiis omnibus acre et vehemens. Convitiis et libellis Lutherum obruerunt quum Osiander, tum Flaccus Illyricus[5]), quibus tamen etiam acrius in eum invexit Joachimus Morlinus praedicans Konigsbergensis. In vitae periculo versabatur Osiander et armatus concionabatur. Qui eum defendit, Funk, quod esset Osiandri assecla, capite plexus est, et doctrina Osiandri, anno 1567, Chemnitii *Corpore doctrinae Pruthenico* est damnata. *e*. Bona opera negaverat Lutherus esse necessaria. Inde morum corruptio. Quemadmodum pridem

---

1) *P. Eber*, Ein Stück Wittenberger Lebens, 1552—1569, Ansbach 1857.
2) *Kawerau*, J. Agricola, Berlin 1881.
3) *Möller*, Dr. Andreas Osiander, Elberfeld 1870.
4) Cf. Studien u. Kritiken, 1844. Altpreuss. Monatschr., 1902, p. 517 sqq.
5) Zeitschr. f. kath. Theol., 1888, p. 75 sqq.

Melanchton (1535), deinde *Interim* Augustanum et Lipsiacum eam doctrinam reprobaverant, ita etiam Georgius Major eam impugnavit dixitque bona opera esse necessaria. Contra quem incessit Amsdorf instituitque **certamen Majoristicum** (1551). Cum contumelia appellavit Georgium Antichristum atque eo usque processit ut bona opera saluti *nociva* diceret. Multos obtinuit asseclas. Major aufugere coactus est ac neque postquam retractavit inimicorum veniam recepit. Obiit anno 1574[1]. *f.* Lutherus et initio etiam Melanchton negarant, hominem, quum convertitur, cum Deo cooperari. Quum autem anno 1550 Joannes Pfeffinger humanam voluntatem cum Deo cooperari defendisset (Synergismus), acriter in contrarium certaverunt Amsdorf et Flaccus Illyricus. Quod **certamen synergisticum**[2] diuturnum fuit, praestantissimis theologis Lutheranis in utramque sententiam contendentibus, donec princeps elector Augustus Saxonicus partibus synergistarum se adjunxit. *g.* In Saxonia aliquamdiu multi Lutherani, duce Melanchton, inclinabantur in **crypto-calvinismum.** Defuncto duce (anno 1560), durissima passi sunt. Multi sunt in exsilium pulsi, alii in vincula conjecti. Per vim vicerunt Lutherani.

2°. Neque inter Calvinistas duravit animorum concordia. Multi refragabantur imprimis adversus praedestinationem et ecclesiae ordinem. Ita in Hollandia natum est **certamen Arminianum**[3]. Qui primi in Neerlandia pertinebant ad ecclesiam reformatorum, nullatenus absolutam praedestinationem, quod fuit Calvini dogma princeps, defenderunt. Econtra libri eorum dogmatici, quos receperant a coetu Calviniano Londiniensi, profitebantur praedestinationem conditionatam, gratiam divinam conferri omnibus hominibus, liberum esse humanum arbitrium sub actione gratiae, posse fidem et salutem aeternam deperdi. Non diu tamen haec doctrina stetit. Agentibus praedicantibus severioribus, excultis in

---

[1]) *Schmidt*, Justus Menius, Gotha 1867. Menius defendit Majorem et ideo suspensus est a munere suo.

[2]) *Fischer*, Melanchtons Lehre von der Bekehrung. Eine Studie zur Entwickung der Ansicht Melanchtons über Monergismus und Synergismus. Tübingen 1905.

[3]) Cf. supra § 149, No. 9 et praesertim *Dr. Th. van Oppenraaij*, op. cit.

universitatibus exteris, synodi introduxerunt symbolum Neerlandicum et catechismum Heidelbergensem[1]) (circiter 1568), quibus absolutae praedestinationis doctrina tradebatur. Tamen qui erant acutioris ingenii praedicantes decretis his non obsecundarunt. Praedestinationem conditionatam defenderunt in Frisia: Gellius Snecanus; Ultrajecti Hubertus Duifhuis[2]) cum suis, et paulo postea Gerardus Blockhoven; Lugduni Batavorum Caspar Coolhaes[3]); Goudae Hermanus Herberts; Hornae Cornelis Wiggertz; Harlemi Didericus Coornhert laicus. Qui omnes, nullo inter se communicato consilio, impugnabant doctrinam praedestinationis absolutae, atque ita struxerunt viam, qua inchoaret Arminius certamen adversus Gomarum. Vix Arminius renuntiatus professor theologiae (1603) fuit, cum in litem incidit cum Gomaro (1604), suo in eadem universitate Lugdunensi collega[4]). Defendebat Arminius praedestinationem conditionatam: „*Tantum autem interest inter consequentem et antecedentem voluntatem, ut quibus singularibus personis vitam vult antecedente voluntate, illis ipsis mortem velit consequenti et delectetur in perditione illorum; vero non eodem modo antecedenti et consequenti voluntati objiciuntur, illi ut peccatores, huic ut contumaciter in peccato contra sapientiae invitationem perseverantes . . . Est enim praedestinatio singularis personae ad salutem et ad mortem voluntatis Dei consequentis, quae objectum considerat cum omnibus suis conditionibus et circumstantiis, quae secundum praecedens aliud decretum ordinatae sunt, ut salutem et mortem praecedant*" [5]). Quae quidem doctrina etsi consona dici poterat cum quaestione XX et LIV catechismi Heidelbergensis, non poterat cum Art. XVI *Confessionis Belgicae*. Gomarus docebat praedestinationem ab-

---

[1]) *J. J. van Toorenenbergen*, De symbolische schriften der Nederlandsche hervormde kerk, in zuiveren, kritisch bewerkten text, Utrecht 1869. Confessio Belgica confecta est a solo *Guidone de Bray*; Cf. *v. Oppenraaij*, p. 23.

[2]) *Wiarda*, Huibert Duifhuis, de prediker van St. Jacob, Amsterdam 1858.

[3]) *Rogge*, Caspar Janszoon Coolhaes, de voorlooper van Arminius, Amsterdam 1858.

[4]) *Maronier*, Jacobus Arminius. Eene biographie, Amsterdam 1905.

[5]) Examen thesium *D. Fr. Gomari*, p. 15 et 45 (ed. anno 1645) apud *v. Oppenraaij*, p. 157.

solutam:" *Causa electionis propria extrema prima, sive efficiens impulsiva est Dei gratia, hoc est mera gratuita dilectio . . . Causa impulsiva antecedens reprobationis a gratia et gloria ad justam damnationem est solum liberum Dei placitum* [1]. Synodus Dordracena rejecit praedestinationem conditionatam et solam orthodoxam doctrinam esse decrevit praedestinationem absolutam ad mentem *infralapsariorum*, i. e. consequenter ad peccatum originale, adeo ut diceret Christum pro solis electis esse mortuum [2]), qui invincibili gratia propelluntur nequeuntque fidem amittere. Quae doctrina, pridem licita, deinceps inde obligatoria facta est. Sic vicit fatalismus, sed simul quasi lapidescere fecerunt theologiam protestantium Neerlandiae, cujus diuturnum torporem demum nostra aetate excutere coeperunt.

Pauco tempore post, turbae factae sunt in ecclesia reformata Neerlandica per certamen inter **Voetianos** et **Coccejanos** [3]). Usus ipse rerum, quum in Neerlandia tum alibi, docuerat S. Scripturam, individuae interpretationi relictam, non posse esse fidei regulam; quare paulatim iterum ad certam ecclesiae doctrinam firmandam devenerant. Cui rei vehementer se opposuit Joannes Coccejus [4]) (Koch), Bremensis, professor prius Franekeri (1636), postea Lugduni Batavorum (1650). Hoc autem praecipuum querebatur, notum illud *Bibliam esse verbum Dei* omni sensu destitui, si Biblia ecclesiae doctrinae subjiceretur. Stabat ipse soli bibliae, cui studendo incumbens, theologiam suam foederis invenit. Discrevit *foedus naturae* a *foedere gratiae.* Illud, quod etiam foedus operum vocavit, Coccejo auctore, obtinuit ante peccatum Adae; hoc vero, quod post Adae peccatum institutum est, triplicem habuit processum: ante legem, sub lege et post legem. Hanc theologiam impugnavit celeber-

---

[1]) Opp. Theol. *Gamari*, III, 34, 346; apud *v. Oppenraaij*, p. 157.

[2]) Verba tamen catechismi Heidelbergensis, Christum, pro peccatis *totius mundi* esse mortuum, non mutaverunt. *Totius mundi* significare censebant aliquos homines ex omni mundi parte, ex omni genere, omni ordine hominum, ex omni tempore. *v. Oppenraaij*, p. 261. *Dr. A. Kuyper*, E voto Dordraceno. Toelichting op den Heidelbergschen catechismus, Amsterdam 1892.

[3]) *Rauwenhoff*, Geschiedenis van het Protestantisme, Haarlem 1871, IIe gedeelte, p. 97 sqq.

[4]) Levens van Nederlandsche mannen en vrouwen, Dl. III, p. 35 sqq.

rimus Gisbertus Voetius[1]), professor in schola illustri Ultrajectina, suffragantibus praesertim Essenio, ejusdem scholae professore, et Maresio, professore Groningano. Pro Coccejo stabat ejus discipulus Momma. Additum ardori certaminis novum fomentum est, cum Coccejus defenderet usum sanctificandi diem Dominicum abstinendo ab omni opere servili, solo inniti tertio praecepto. Insimulabant eum esse sabbathi violatorem. Discordia mox ad populum penetravit. *Voetiani* modesti et rigidi, *Coccejani* solutiores in vestitu et corporis ornatu. Partes designabantur a nominibus utriusque professoris, quod tum praesertim in usum venit, quum partes studiis politicis miscerentur. In luctamine Senatus cum principibus e gente Arausicana, Coccejani steterunt cum Senatu, atque ideo non raro appellabantur nomine *factionis Loevenstenianae*. Annos amplius 18 duravit certamen multaque negotia facessivit classibus ecclesiasticis. Res composita tandem hac ratione est, ut per vices utriusque partis praedicantes nominarentur. Rem itaque minoris momenti habebant, quod per vices quae vera sunt et quae falsa populo praedicarentur.

In Anglia diuturni certaminis causa fuit ecclesiae ordinatio. Hierarchica institutio (High Church) odio esse debuit Calvinianis. Qui praeterea censebant nimias superesse in liturgia papismi reliquias. Facta acri controversia, in qua certabant etiam **Latitudinarii,** eadem fere atque Arminiani propugnantes, ecclesia Anglica discissa est in **Episcopales** et **Presbyterianos** seu puritanos. Paulo post tempore, orta tertia factio est eorum, qui vocabantur **Independentes,** vel *Brownistae,* ab eorum duce Roberto Brown. Quid sibi voluerint priores partes duae, ex ipsa appellatione satis patet; *Brownistae* vero studiis democraticis favebant, etiam presbyterorum ordinem respuentes et regimen ecclesiae mandantes conventui allegatorum e singulis coetibus [2]).

3°. Facile intelligitur, e variis certaminibus **sectas** varias

---

[1]) Tijdspiegel, II, p. 409. Levens van Ned. mannen en vrouwen, Dl. III, p. 54 sqq. Archief, *Kist en Rooyaards*, N. Arch. Dl. I, p. 35 sqq.

[2]) *Makower*, Die Verfassung der Kirche von England, Berlin 1894. *Drysdale*, History of the Presbyterians in England, London 1889. *Douglas Campbell*, The Puritanism in Holland, England and America, New-York 1892. *Fletscher*, Hist. of Independants in Engl. London 1862.

esse formatas. E quibus, numero infinitis, praeter jam relatas, aliae quaedam memorandae sunt. Praeter societates tres principaliores jam pridem ortum habuit secta **Antitrinitariorum,** qui sententiis rationalisticis inhaerentes negabant etiam S. Trinitatis doctrinam. Eorum plurimi in regionibus meridionalibus habitabant: Servede (Servet), Gentile, qui 1566 Bernae supplicio est traditus. Plenam doctrinae explicationem elaborarunt demum **Sociniani** [1]. Anabaptistae, deposita sua feritate, ad sectam consociati sunt a Mennone Simons[2]), a quo **Mennonitae** sunt vocati (1536). Discrepant a reliquis protestantibus eo, quod rejiciunt doctrinam solius fidei, baptismum infantium, praedestinationem absolutam, juramentum, jus gerendi belli, et solvendi matrimonium; tuentur autem internam hominis conversionem et retinent excommunicationem. Hoc ultimum caput ansam dedit litibus et schismati. Nec potuerunt detrectare certamen Arminianum, ita ut etiam ex hoc capite a se invicem discesserint doctrinae discrimine. Sedes Mennonitarum praecipua est in Neerlandia; diffusi tamen etiam alibi sunt, praesertim in America Septemtrionali. Longe ab iis discriminantur **Baptistae;** anno 1608 ex Independentibus in Anglia nati, exeunte saeculo XVII crebriores facti sunt. Hi rebaptizant et tuentur praedestinationem Calvinianam. Baptistae, qui post reformationem **sabbattarii** vocati sunt, eo quod sabbatum sanctificabant, paulatim etiam valde creverunt numero, praesertim in America septemtrionali, ubi sunt eorum coetus 130. In Hollandia numerosior coetus Harlemensis est[3]). **Mysticismi** sectatores omnem respuebant ecclesiae ordinationem, interna vitae probae pietate contenti. Primus hujus sectae fundator fuit Caspar Schwenkfeld[4]), qui repugnavit Lutheri opinioni de justificatione, de arbitrio, de coena Domini, qua solam imaginem passionis Christi haberi arbitrabatur. Baptismum inutilem aestimabat et corpus Christi materiam

---

[1]) Vide supra § 150, No. 5.

[2]) *A. M. Cramer*, Het leven en de verrichtingen van Menno Simons enz., Amsterdam 1837 et supra § 141 No. 4. Cf. *H. Schijn*, Historiae Menonitarum plenior deductio, Amstelodami 1729.

[3]) *G. Velthuizen*, De zevendedags-Baptisten, Baarn 1907 (in *Kerk en Secte*, ser. I, n. 3).

[4]) *Kadelbach*, Kaspar Schwenkfeld, Lauban 1861.

e Deo exortam et in resurrectione divinam factam. Ejus doctrinam postea uberius elaboravit Jacobus Böhme († 1624) multique valde receperunt. *Filii lucis*, vulgo **Quaker**[1]) (trementes) vocati, patrem habent J. G. Fox († 1691), sutorem. E luce interna, quae illuminat omnem hominem (Joan. I, 9), auctore ipso S. Spiritu, putant effluere in homine non solum omnem conversionem et pietatem, sed etiam fidei scientiam, ita ut Scriptura iis non sit unicus fidei fons. Negant sacramenta et sacerdotium. Peccatum originale dormire dicunt et solo peccato personali expergisci. Praedicantes non constituunt. In conventibus verba facit et orat quicumque se ad id repentina illustratione concitatum sentit. Quam illustrationem ii qui convenerunt praestolantur cum gemitu et ploratu. Quakerorum vivendi ratio tristis est et rigida. Abstinent omni ludo et laetitia, renuunt jurare aut fungi magistratu vel militia. Fere omnes eodem vestitu induti incedunt. Initio in Anglia duram subierunt persecutionem. Demum Robert Barclay et William Penn in melius eorum institutionem mutarunt. William Penn condidit statum Quakerianum, Pensilvaniam, cum capite Philadelphia (1682)[2]).

4°. **Pietismus**[3]) oppositus fuit morum dissolutioni, e protestantismo exortae. In Germania ejus fautores fuerunt J. Arndt, Joannes Gerhard, J. Val. Andrea, Joannes Meyfart aliique. In Hollandia etiam in usum venit, currente saeculo XVII. Promoverunt pietismum praesertim fratres Teelink: Gulielmus († 1629), qui habuit „exercitia" pietatis, et Ewaldus; dein professor Ultrajectinus Voetius († 1676), qui pro discipulis suis scripsit exercitia ad pietatem[4]). Jodocus de Lodenstein († 1677) nomen praeclari praedicatoris ascetici sibi comparavit, multos traxit, creberrimosque habuit conventus asceticos, quibus se adjunxit etiam Anna Maria Schuurman. Ipso illo tempore docebant praedicabantque

---

[1]) *Croesii*, Historia Quaekeriana, 3 vol., Amstelodami 1695.

[2]) *Weingarten*, Die Revolutionskirchen Englands, Leipzig 1868.

[3]) *Heppe*, Geschichte des Pietismus und der Mystik in der reform. Kirche, namentlich der Niederlande, Leiden 1879. *Alb. Ritschl*, Geschichte des Pietismus, Bonn 1880. *H. v. Berkum*, De Labadie en de Labadisten enz. Sneek 1851.

[4]) *H. Heppe*, Der Pietist G. Voetius zu Utrecht; (Theol. Studien u Kritiken, 1878. LI, p. 692).

Gulielmus a Brakel et Jacobus Koelman, quibus magna pars incolarum Neerlandiae attentos se praebuerunt auditores. Qui sectati fuerant praedicantem Francogallum, Joannem de Labadie, quem Geneva, anno 1666, Middelburgum accitum, post breve tempus, quia homo turbulentus erat, munere demoverant, eo Altonae mortuo (1674), in dies magis numero decreverunt. Quorum *Labadistarum*[1]) pars, anno 1675, Wieuwerdi in Frisia consedit, at sensim dilapsa est, praesertim quum, anno 1688, communitas bonorum esset abrogata. Mysticae quoque sectae *Fratrum angelorum*, *Hebraeorum* et *collegiantium*, Rijnsburgi et in nonnullis Hollandiae civitatibus, diuturnae non fuerunt. Nec *Hattemistae* duci suo Pontiano de Hattem superstites fuerunt diu[2]).

Verus pietismi auctor fuit Philippus Jacobus Spener († 1705), in Alsacia natus. Aliquamdiu Genevae moratus est cum Labadie, qui fanaticis studiis eum superabat. Factus dein ex ordine praedicans Argentorati, Francofurti, Dresdae, et Berolini, ibi demum „ecclesiunculas in ecclesia" instituit, exquisitum auditorium concionibus ad pietatem excitabat, quae dicebantur *collegia pietatis*, et interpretabatur S. Scripturam. Mox tamen, qui eum audiebant, cum pietismo miscuerunt fanatismum, spiritus superbos et malesanum rerum mundanarum odium. Acerrime praesertim professores Lipsiaci pietismum oppugnaverunt. Et quamquam Christianus Thomasius eum defendit, tamen *Collegium Philobiblicum*, quod Speneri asseclae Lipsiae condiderant, occlusum est.

5°. **Hernhutteros**[3]) instituit comes L. von Zinzendorf († 1760), qui in pago Silesiaco Herrnhut fratres Moravos et protestantes in coetum unum consociavit (1722). Inde ab anno 1727 separata fuit ecclesia, quam ordinavit Zinzendorf,

---

[1]) Het Labadisme. Stemm. voor waarheid en vrede, 1870, p. 279 sqq. Cf. Vragen van den dag, 1897, p. 81 sqq.

[2]) Cf. *Blok*, Gesch. v. h. Ned. Volk, V, 462. *v. Reitsma*, Gesch. v. d. Hervorming en de Herv. Kerk, 2e druk, p. 306 sq. Een echte collegiant, in *De Gids*, 1892, II, p. 526 sqq.

[3]) *J. Witkop*, De Evangelische broedergemeente der Hernhutters in oorsprong, aard en werking, Groningen 1841. *Müller*, Zinzendorf als Erneuerer der Brüderkirche, Leipzig 1900. Cf. *Bosch*, in Utr. Volksalmanak, 1853, p. 60 sqq. et *Kist*, in Kist en Moll, Arch. II, p. 79 sqq.

auxiliantibus Frederico de Watteville et Spangenberg. Hi viri tres pietismum colebant. Socios diviserunt ex aetate et conditione in: pueros, non nuptos, nuptos, viduos. Suum singuli hi chori habebant praefectum, suoque labore fabrili occupabantur. Maxime proprium hujus religionis est, ut „tenera animi misericordia debeant moveri in Jesum, ob passionem, vulnera et mortem". Hoc in scriptis et canticis principem semper locum obtinet. Anno 1741 foedus inierunt cum Salvatore. Sorte quaerebant quid vellet, in electionibus, matrimoniis aliisque gravioribus negotiis. Sorte etiam designabatur, quid esset e Scriptura legendum. Accumbebant agapis ante Coenam Dominicam. Diffusi autem Herhutteri sunt in Germaniam aliasque Europae terras, et vel in ipsam Africam, Americam et Asiam. Coetus omnes subjecti manebant senioribus Hernhutteris; singuli autem coetus suam habebant hierarchiam, episcopum, presbyteros, diaconos etc., qui tamen omnes in rebus omnibus coetui parebant.

6⁰. Hernhutteris propinqui et aliquamdiu cum iis conjuncti fuerunt **Methodistae** [1]), instituti a Johanne Wesley, studioso Oxoniensi (1729). Sibi sociavit alios nonnullos studiosos ad studium commune, communia pietatis exercitia. Mox visitandis pauperibus et aegrotis incubuerunt, singulis hebdomadis coenae Domini accumbentes, S. Scripturam et scripta Tauleri et Thomae Kempensis lectitantes. Per contemptum vocabantur Methodistae, homines nimirum qui novam vitae methodum invenissent; quam accurate tenebant. Joannes et Carolus Wesley et Georgius Whitefield principem regiminis locum occuparunt. Initio non recesserunt ab Articulis 39 ecclesiae Anglicae. Cum autem sensim magis magisque eorum in agendo fanatismus innotesceret, atque ideo clerici Anglici ab iis secederent, ipse Wesley munus eorum sibi sumpsit et vel sacerdotes consecravit. Laici praedicabant et traxerunt multos. Docebant, hominem subito justificari per fidem, reddi sanctitatem originalem eo modo, qui etiam corpore sentiatur, ejusmodi hominem dignum esse salute aeterna et peccare

---

[1]) *Atkinson*, The beginnings of the Wesleyan movement in America, London 1896. *Jackson*, Gesch. vom Anfang, Fortgang und gegenwärtigen Zustand der Methodisten, aus dem Englischen von *Kuntze*, Berlin 1840.

deinceps non posse. Wesley et Whitefield contendebant se ab ipso Spiritu S. gubernari atque ideo praedicando convulsiones, supplicationes et gemitus, quin etiam exstases, movere apud audientes. Sic gratiam penetrare dicebant in hominem. Quae arrogantia effecit ut Hernhutteri ab iis recesserint (1740). Anno deinde proximo, Methodistae ipsi divisi sunt in *Wesleyanos* et *Whitefieldianos* et, post *Whitefieldii* mortem, in varias sectas minores (1770). Ad tuendam severam disciplinam, coetus distinguebantur in ordines, quos laici regebant. Synodus, singulis vel quaternis annis coacta, supremo gubernio fungitur. Numerosiores sunt Methodistae in Anglia et America, ubi ad ducenties centena millia computantur.

7°. Numero inferiores sunt **Swedenborgiani**[1]), qui constituunt ecclesiam „novae Hierosolymae". Eorum pater vocatur Emmanuel de Swedenborg. Videbatur sibi videre apparitiones et vocari ad internam Scripturae intelligentiam. Operibus suis, quae numero multa sunt[2]), docuit theosophiam rationalistico-mysticam. Innititur Lutheri doctrinae. At huic fundamento superaedificatum doctrinae aedificium vix non continet nisi naturalia. Rejicit ipsam carnis resurrectionem. Exercitia cultus constant sermone, cantu et S. Scripturae lectione. Quater in anno celebrant coenam Dominicam. Crebriores Swedenborgiani sunt in Anglia et America et praesertim in Svecia.

---

[1]) *Tafel*, Swedenborg und seine Gegner, Tübingen 1841. Tüb. Quartalschr., 1830, p. 648 sqq. *Görres*, Swedenborg und sein Verhältniss zur Kirche, Strassb. 1827.

[2]) Praesertim: Vera christiana religio, London 1771. De coelo et inferno, London 1758.

CAPUT TERTIUM.

Catholica Ecclesia et recta reformatio.

§ 153—§ 157.

§ 153. **Paparum actio reformatoria.**

A. von Reumont, Gesch. der Stadt Rom., III Bd., Berlin 1868—1870. *Ranke*, Die Römischen Päpste in den letzten vier Jahrhunderten, 3 Bde., X Aufl., Leipzig 1900. *Hefele-Hergenröther*, Conciliengesch., IX Bd., Freiburg 1890. *Ciacconius*, Vitae et res gestae Pontificum Romanorum, ed. *Oldoini*, Tom. III, Romae 1677. *Palatius*, Gesta Pontif. Rom. Tom. IV, Venetiis 1688. *Lavisse et Rambaud*, Histoire générale, Tom. IV—V, Paris 1894 sq. *Schwane*, Dogmengeschichte der neueren Zeit, Freiburg 1890. *Paulsen*, Geschichte des gelehrten Unterrichts, 2 Aufl., II Bd., Leipzig 1896. *Tacchi Venturi S. J.* Storia della comp. di Gesù in Italia, Tom. I, Roma 1910.

1⁰. Abreptis ab Ecclesia integris provinciis terrisque per turbas haereticas, a Luthero, Zwinglio, Calvino et sectis innumeris concitatas, in partibus reliquis inchoata est, tamdiu exspectata, reformatio in capite et membris. Quam exitio proximam putarant, ad vitam novam expergefacta est Ecclesia, et quae, e sententia inimicorum ejus, interitum maturare debuerunt, effecerunt ut uberrimo flore novaretur. Paparum conditio, ante reformationem alte depressa, erecta est ad summae dignitatis fastigium. Recuperarunt Papae amplitudinem suam et auctoritatem. Ab iis quasi e fonte effluxit ingenua reformatio. Stiparunt se corona venerabilium virorum, vitae sanctitate et naturae dotibus praestantium, qui magno successu haereses confutarunt, abusus exstirparunt et reformationem perfecerunt ac firmarunt.

2⁰. Adriano VI[1]) spatium defuit ad perficienda, quae

[1]) Cf. supra, § 138, n. 9 et *Pastor* Geschichte der Päpste, IV, 2, Freiburg 1907, p. 1—157.

optima mente conceperat. Indulgentias concedendas temperavit, parcus fuit et severus. Quae agendi severitas multos in eum concitavit adversarios, qui laetabantur in morte ejus, eo quod non cognovissent qualis revera esset[1]). Calamitose nimis regnavit Clemens VII[2]) quam ut potuerit fieri efficax reformator. Bis occupata Roma et expilata (Sacco di Roma 1527), debuit castello S. Angeli se occludere. Quae in rebus publicis gerendis conceperat consilia frustrata sunt: Italia facta non est sui juris. Ipso regnante, protestantismus firmatus est, Anglia ab Ecclesia sejuncta; longius progredientibus Turcis, Hungaria deperdita. Quarum rerum omnium in culpa multa fuit Clementis animi varietas, fortitudinis defectus, et in rebus publicis ab Habsburgicis aversus animus. **Paulus III**[3]) (1534—1549) demum solidam reformationem ecclesiasticam aggressus est. Non eum fugit esse regendi artis partem haud exiguam eligere sibi viros praestantiores in adjutorium. Quare cardinalium dignitate ornavit Casparum Contarini, Jacobum Sadoletum, Reginaldum Pole, Hieronymum Aleandrum, Joannem Petrum Caraffa, Marcellum Cervini, Joannem Morone aliosque. Quorum nonnullis mandavit ut, simul cum aliis quibusdam viris, gravia quaedam reformationis decreta conciperent atque elucubrarent (1537)[4]). Exemplum universitatum Lovaniensis et Parisiensis secutus, *Indicem* librorum prohibitorum conficiendum curavit[5]), novavit institutionem inquisitionis Romanae (1542) et cardinalem eximium Caraffa ei praefecit. Ordines religiosos, a celeberrimis fundatoribus (Ignatio, Hieronymo Aemiliano, Angela Merici) institutos, confirmavit ac, superatis fortissima constantia omnimodis difficultatibus, coegit concilium Tridentinum.

---

[1]) In summa porta domus medici ejus scriptum est: *Liberatori patriae S. P. Q. R. Schmidlin*, Gesch. der deutschen Nationalkirche in Rom, Santa Maria dell' anima, Freiburg 1906.

[2]) Vide supra, § 138, n. 10 et *Pastor*, op. cit., IV, 2, p. 158 sqq.

[3]) *Pastor*, Paulus III, Gesch. der Päpste, Tom. V, Freiburg 1909. *Quirini*, Imago optimi pontificis expressa in gestis Pauli III, Brixiae 1745. *Capasso*, La politica di papa Paolo III e l'Italia, Camerino 1901. Tempore juventutis suae Paulus III in vita agenda concesserat liberioribus aetatis principiis.

[4]) Consilium delectorum cardinalium et aliorum praelat. de emendanda Ecclesia, apud *Le Plat*, monum. ad hist. conc. Trid. etc., II, 596 sqq.

[5]) *Hilgers*, Der Index der verbotenen Bücher, Freiburg 1904.

Haud diu regnantibus **Julio III** (1550—1555), qui Angliam Ecclesiae restitutam vidit [1]), et **Marcello II** (1555), concilii sessiones paucae tantum sunt habitae. Cardinalis Caraffa, **Paulus IV** [2]) (1556—1559), successit, annos natus 79, sed corpore et animo strenuus. Jam ante electionem dux fuerat princeps omnium rerum ad rectam reformationem spectantium, institueratque ordinem Theatinorum. Factus Pontifex, instituit numerosam congregationem, ad universam reformationem elaborandam. Fuit congregatio in partes tres distincta, in quibus singulis operam impendebant cardinales 8, praelati 15 et viri docti 50. Severissime egit in haereses [3]). Qua severitate invisos sibi fecit animos. Nec minus ei detrimento fuit aversio ab Habsburgicis, quae eum ad minus rectam rerum publicarum agendarum rationem induxit. Anno 1559, infidos suos nepotes expulit Roma, quorum duo post ejus mortem supplicio sunt traditi [4]). Qui ei successit, **Pius IV** (1559—1565), multo leniore fuit animo, amicus Habsburgicorum. Feliciter absolvit concilium Tridentinum, instituit *Congregationem interpretum Concilii Tridentini*, emendatius edidit *Indicem*, et celeberrimum nepotem suum, Carolum Borromaeum, cardinalem fecit. Romae condidit Pius seminarium, quod administrandum dedit Jesuitis. Anno 1565 in caput ejus conjuratio facta est. Cujus rei causa fuisse alia non videtur quam fanatismus [5]).

3⁰. Pio defuncto, divina Providentia dedit Ecclesiae suae ex ordine Papas tres praestantissimos: unum Sanctum, qui mores emendavit, alterum doctum, qui literarum ecclesiasticarum studia alte efflorescere fecit, tertium denique gubernatorem fortissimum, qui curiam Romanam temperando novavit. **S. Pius V** [6]) (1566—1572), ordinis Praedicatorum, omnibus

---

[1]) *Zimmermann S. J.*, Maria die Katholische, Freiburg 1890.

[2]) *Bromato*, Storia di Paolo IV, 2 vol. Ravenna 1748. *Jenkins*, The story of the Caraffa, the Pontificate of Paul IV, London 1887. *Boralevi*, I primi mesi del pontificato di Paolo IV, Livorno 1888.

[3]) Constit. *Cum quorumdam*, Bull. Rom. IV, I, 322. Constit. *Cum ex Apost. officio*, *Raynaldus*, ann. 1559, n. 14.

[4]) Revue Bénédictine, Tom. XXII (1905); Tom. XXIV (1907), 224 sqq. La disgrâce et le procès des Caraffa, d'après des documents inédits.

[5]) Hist. Jahrb., Bd. VI (1885), p. 3 sqq.; p. 161 sqq. *Ranke*, I, 228—229.

[6]) Acta SS. Boll. I Tom. Maji, p. 616 sqq. *Falloux*, Histoire de S. Pie V, 2 vols, Angers 1846. *Joyau*, S. Pie V, pape du rosaire, Lyon 1891. Analect. Boll., 1888, p. 45 sqq. Revue des quest. hist. XXXI (1882), 551 sqq.

fuit exemplo, non solum vitae austerae simplicitate, sed etiam pietate eximia. Morum corruptelam, diei Dominicae violationem et blasphemiam severis decretis prohibuit. Emendavit judicia, et singulis mensibus, ultima feria IV, sessione publica omnes recepit, qui gravabantur de latis a judicibus sententiis. Pro clero editus est, anno 1566, *Catechismus Romanus*, et anno 1568 emendatum breviarium Romanum. Omne aliud breviarium, non ab Apostolica sede approbatum aut recentius 200 annis, deinceps prohibitum est. Anno 1570 dein editum est emendatum *Missale Romanum*[1]). Bullam *In coena Domini*, inde ab anno 1364 singulis annis in Coena Domini promulgari solitam, qua censurae Papae reservatae referuntur, severius enuntiatam edidit Pius V. Elisabetham, Angliae reginam, excommunicavit et jure regnandi privatam declaravit (1570). Multum oppugnandis Turcis laboravit. Icto foedere cum Hispania et Venetis, bellum gerendum dedit Don Juan Austriaco, qui celebrem illam apud Lepanto victoriam reportavit (6 Octobri 1571). Sicut sancte vixerat, ita sancte mortuus est Pius V, 1 Majo 1571, et a Clemente XI (1712) inter sanctos relatus. Qui ei successit, **Gregorius XIII** (1572—1585)[2]), vir fuit juris scientia celeber. In eo praecipuam suam operam collocavit ut eruditio ecclesiastica et recta catholica scientia promoveretur. *Collegium Romanum*, quod ab eo nomen duxit *Universitatis Gregorianae*, copiose muneribus donavit; copiosius *Collegium Germanicum*[3]), quod, conditum a S. Ignatio, tanto Ecclesiae in Germania emolumento fuit. Huic addidit collegium Hungaricum. Ejusdem generis instituta condenda curavit pro Anglis, Hibernis, Maronitis et Armenis. Praeterea, auxiliante Gregorio, nata sunt collegia et seminaria haud minus quam 23, e. c. Braunsbergae, Dillingae, Fuldae, Pragae et Vindobonae. Ipso regnante, editum est recognitum *Corpus juris*, in quo retractando ipse, cardinalis,

---

[1]) *Weale et Misset*, Analecta liturgica, 3 vol., Paris. 1888—1901. Cf. Tüb. Quartalschr., 1884, p. 450 sqq. *Bäumer*, Gesch. des Breviers, Freiburg 1895, p. 410 sqq., aut versione gallica a Dom Biron, Paris 1905.

[2]) *Ciappi*, Compendio delle attioni e vita di Gregorio XIII, Roma 1591.

[3]) *Steinhuber*, Geschichte des Colleg. Germ. Hungaricum in Rom, 2e Aufl., 2 Bde, Freiburg 1906.

allaboraverat; editum quoque et emendatum *Martyrologium Romanum*. Gratiam ei debent populi cultiores omnes, quod refecit fastos, qui ab ipso nomen habent. Quum ea res, concepta et concinnata a Lilio viro perspicaci, Christophoro Clavio S. J. et Gulielmo Sirleto cardinali, a catholicorum principum aulis esset approbata, Gregorius fastos promulgavit, et post diem 4m Oct. 1582 statim numeravit 15m[1]). Cui emendationi restiterunt usque ad fere exiens saeculum XVIII protestantes et resistunt etiam nunc Russi et Graeci[2]). Legationem stabilem instituit Gregorius Coloniae Agrippinae[3]). Pauco tempore ante mortem, ad se admisit principes Japonenses tres catholicos. Obiit anno 1585. **Sixtus V** (1585—1590), ordinis S. Francisci, vir fuit humillimo loco natus, sed natura ad gubernandum instructus[4]). Primum, debellando praedones et latrones, dominium papale tutum reddidit et gubernandi ordinem novavit. Multam operam collocavit Romae ornandae, obeliscos erexit 4 et tholum S. Petri exaedificavit. Duxit celeberrimam *Aquam felicem*, struxit *Viam felicem*, et aedificavit *Borgo felicem*, et multa alia; nihilominus singulis annis ducatorum decies centena millia reposuit in castello S. Angeli. Praecipuus laborum fructus fuit ordinatio curiae Romanae: statuit ut essent cardinales 70, quorum episcopi 6, presbyteri 50 et diaconi 14; instituit congregationes *Rituum*, *Consistorii* et *Regularium*, et circumscripsit jurisdictionem congregationis interpretum Concilii Tridentini. Cum Francia moderamine usus est Sixtus. Neque Hispania nec Liga ei spem adimere valuit, fore ut Henricus IV converteretur[5]). Pauco tempore antequam moreretur, nova Vulgatae editio, cui perficiendae ipse allaboraverat (1590), jam typis fuit mandata, nondum tamen

---

[1]) Annus bissextilis statutus quaternis annis; ex annis saecularibus vero quartus quisque, nempe is cujus numerus quadripartiri potest: 1600, 2000, 2400 etc. Constit. *Inter gravissimas*, 13 Febr. 1582.

[2]) *F. Kaltenbrunner*, Vorgesch. der Greg. Kalenderreform, Wien 1876. Die Polemik über die Greg. Kalenderreform, Wien 1878.

[3]) *Pieper*, Zur Entstehungsgesch. der ständigen Nuntiaturen, Freiburg 1894. Cf. *Maere*, Revue d'hist. ecclés. 1906, Tom. 7.

[4]) *A. v. Hübner*, Sixte-Quint, 3 vol., Paris 1870. *Cugnoni*, Memorie autografe di papa Sisto V (Arch. della Soc. Rom. di Storie patrie 1882).

[5]) *Segretain*, Sixte-Quint et Henri IV, Paris 1861.

est edita, quia correctione egebat[1]). Vir celeberrimus tantum annos quinque gubernavit, defunctus 1590.

4⁰. Qui successerunt Papae tres, brevissimum spatium regnarunt: **Urbanus VII** (1590) dies 17, **Gregorius XIV** (1590—1591) menses 10, **Innocentius IX** (1591) menses duos. Die 30 Januario 1592 electus est **Clemens VIII** (1592—1605)[2]). Stetit, sicut qui praecesserant Papae duo, a partibus Ligae Francogallicae; tamen laetum se praebuit, cum Henricus IV, ad Ecclesiam catholicam 1593 reverteretur eumque absolvit 17 Sept. 1595. Cardinales fecit, celeberrimos doctrina viros, Toletum, Bellarminum et Baronium. Praescripsit *Congregationes de auxiliis* et breviarium emendavit[3]). Anno 1592 edita est authentica Vulgata, qua etiamnum utimur. Jubilaeo anni 1600, vidit Clemens peregrinantes Romam advectos ad ter decies centena millia. **Leo XI** (1605) paucos tantum dies regnavit. **Paulus V** (1605—1621)[4]) in certamen incidit cum republica Venetorum. Ea enim decimas exigebat de bonis ecclesiasticis violabatque *privilegium fori;* quare Papa frustra iterato monitos interdicto punivit. Qui, poena mortis proposita, vetuerunt quemquam Papae parere. Clericorum major pars Dogo obsecuti sunt, praeter Capuccinos, Theatinos, Minimos et Jesuitas; qui ultimi statim expulsi sunt. Paolo Sarpi defendit rempublicam, Bellarminus, Baronius et Fagnanus steterunt a partibus Papae. Intervenit ad pacem componendam praevenitque bellum Henricus IV, Franciae rex. Anno 1607 sancita est conventio; attamen Jesuitis demum 1657 redire permissum[5]). Paulus V emendandae Ecclesiae perpetuo allaboravit. Scientiarum et artium studia magnopere promovit. **Gregorius XV** (1621—1623) non diu, sed saluberrime gubernavit. Anno 1621 edixit bullas *Aeterni Patris* et *Romanum Pontificem*, quibus electionis pontificiae ordinem formamque constituit, quae etiam nunc viget. Anno 1622 instituit

---

[1]) *Kaulen*, Gesch. der Vulgata, Mainz 1868. Hist. Pol. Blätter, 1894, II, 31 sqq.

[2]) *Wadding*, Vita Clementis VIII, Romae 1723. *H. de l'Epinois*, La Ligue et les Papes, p. 513—668, Paris 1886.

[3]) Zeitschr. f. Kath. Theol., 1884, p. 289 sqq.

[4]) *Bzovius*, Vita Pauli V, Romae 1625.

[5]) *Gadaleta*, Paolo V e l'interdetto di Venezia, P. I, Trani 1900.

Congregationem de propaganda fide[1]) et S. Ignatium, S. Franciscum Xaverium, S. Theresiam inter sanctos retulit. Sollicitus praesertim de salute Ecclesiae in Germania, praesidium praebuit Ferdinando II. Magnam partem bibliothecae Palatinae (Heidelbergensis) dono accepit. Nec irrita fuerunt, quae egit pro Anglia et Francia. Principes catholici omnes fiduciam in eo collocarant, multumque laboravit ad propagandam fidem, „infinitam, inquit Ranke, et solis terrarum finibus circumscriptam actionem" exserens[2]). **Urbanus VIII** (1626—1644)[3]), calamitoso belli triginta annorum tempore, adversarius fuit, in rebus publicis capessendis, prudentiae Hispanico-Habsburgicae, fortasse metuens ne nimium Habsburgici crescerent potestate. Fabella tamen est, eum favisse Gustavo Adolpho[4]). *Congregationem de propaganda fide* promovere studens, pro ea aedificavit *Collegium Urbanum*. Recognoscendam curavit bullam *In coena Domini*, eamque edixit ea forma, qua, quoad rerum summam non mutata, pro lege valuit, donec anno 1869 edita est bulla *Apostolicae Sedis*. Multis decretis et constitutionibus[5]) singillatim ordinavit cultum beatorum. Cardinalibus dedit titulum *Eminentiae*.

5°. His maxime temporibus acta causa est Galileo Galilei[6]). Universi ratio Ptolemaei, quam viri docti omnes receperant, SS. Patres et scholastici tenuerant, usque ad currentem Saeculum XVII universe in scholis tradebatur. Ideo Copernici ratio non solum habebatur adversa philosophiae Aristoteleae, sed neque probabatur viris harum

---

[1]) *O. Mejer*, die Propaganda 2 Bde, Göttingen 1852.

[2]) „Eine unermessliche weltumfassende Thätigkeit", Die Römischen Päpste, II, 327.

[3]) *Hergenröther*, Katholische Kirche und christlicher Staat, p. 711 sqq.

[4]) Hist. Pol. Blätter, Bd. 94, p. 471. Hist. Jahrb., Bd. XVI (1895), p. 336 sqq.

[5]) Vide Constitutiones *Sanctissimus* (1625), *Postmodum vero* (1625), *Coelestis Jerusalem* (1634), *Sacrosancti* (1641), Bull. Rom. V, 5, 318, 387; VI, 1, 412; VI, 2, 321.

[6]) *Schanz*, Hist. Jahrb., 1883, p. 163 sqq. *Grisar S. J.*, Galileistudien, Regensburg 1882. *Funk*, Abh. u. Unters., II (1899), p. 444 sqq. *Bricarelli S. J.*, Civ. Cat., ser. XVIII, Tom. IX (1903), 641 sqq. *Sortais S. J.*, Galilée et les congr. Rom. Etudes (1904), Tom. 100, p. 48 sqq. *Vacandard*, Etudes de critique et d'hist. Paris 1905. Opera di G. Galilei, Tom. I—XIX, Firenze 1890—1907. *A. Müller S. J.*, Galileo und das kopernikanische Weltsystem, et: Der Galilei-Process, Freiburg 1909.

rerum peritis, Tycho de Brahe, Alexandro Tassoni, Christophoro Scheiner, Antonio Delphino et Justo Lipsio. Universe censebant, quum protestantes tum catholici, illam ordinis mundi explicandi rationem S. Scripturae repugnare. Respuit eam Melanchton; et Lutherus scripsit, stultum Copernicum velle totam astronomiam invertere; sed Scripturam dicere, Josue solem stare jussisse, non terram. Propter hanc novam interpretandi universi rationem nolebant a literali Scripturae commentandae methodo recedere, idque eo minus, quod protestantes jam in multis sensum literalem corrumpere solebant. Ineunte autem saeculo XVII, prodiit Galilei, philosophus et mathematicus ducis Cosimo Florentini, defenditque systema Copernici, non tanquam probabilem hypothesin, sed tanquam thesin certam invictamque. Ita scripsit inter alia in *epistulis* suis *de maculis solaribus* (1613). Quae attulit argumenta, teste astronomo celeberrimo P. Secchi S. J., ad probandum satis non erant, nec poterat Galilei quae objiciebantur refutare. Examinata doctrina est et, die 5 Martio 1616, a Congregatione Indicis, tanquam S. Scripturae repugnans, damnata[1]). Frustra tentatum ut a sententia decederet vetuit congregatio scriptis aut verbo doctrinam docere aut defendere. Quod promisit Galilei. Anno proxime sequenti, etiam Copernici liber *de revolutionibus coelestibus* in *Indicem* est relatus. Quo decreto, ad universitates omnes misso, dicebatur Copernici „*falsa doctrina Pythagorica, divinae omnino adversans*". Paucis autem annis post (1620), facultas facta est systematis Copernici hypothetice tenendi. At anno 1632 Galilei, editis *Dialogis*, fidem promissam mutavit ac propterea ad S. Officium adductus, non tortus, sed ejurare coactus, tanquam de haeresi suspectus ad vincula damnatus est; quae poena commutata est in occlusionem in palatio allegati Florentini. Ibi vixit scientiarum studiis incumbens et literarum commercio utens cum amicis. Obiit Galilei in pace cum Ecclesia, in prae-

---

[1]) Sententia; *Sol est centrum mundi et omnino immobilis motu locali* damnata est tanquam *Formaliter haeretica, quatenus contradicit expresse sententiis s. scripturae in multis locis secundum proprietatem verborum et secundum communem expositionem et sensum s. patrum et theologorum doctorum.* Sententia autem: *Terra non est centrum mundi nec immobilis, sed secundum se totam movetur et motu diurno,* damnata tanquam *erronia in fide.*

dio suo prope Florentiam (1642). Nec decretum Congregationis Indicis (1616) nec damnatio S. Officii (1633) repugnant infallibili Ecclesiae magisterio. Non fuerunt, etsi edita cum *Approbatione simplice* Pontificia, nisi decreta disciplinaria congregationum.

6°. Urbano VIII successit **Innocentius X** (1644—1655)[1]), qui studiis suis ad Habsburgicos se applicuit. Intendit actionem in nepotes praedecessoris sui, at ipse teneri se sivit imperio fratriae suae, Donnae Olimpiae Maidalchini, unde in familia lites sunt exortae. Ceteroquin fuit Papa culpa vacuus, laboriosus valde, protector debilium et eorum qui injuste exagitabantur. Solus Innocentius X reclamavit adversus leges injustas pacis Monasteriensis. **Alexandro VII** (1655—1667) regnante, Francogalli jam coeperunt exsurgere adversus Pontificem Romanum; quae lites compositae sunt pace Pisana (1664). Scientiarum fuit studiosissimus fuitque stipatus celeberrimis viris doctis, Bona, Pallavicini, Holstenio et Leone Allacci. Christinae Sveciae[2]), Oeniponte Ecclesiae redditae et Romae habitanti, Alexander stipem annuam concessit.

---

§ 154. Concilium Tridentinum, oecumenicum XIX.

Druffel-Brandi, Monumenta Tridentina I—V, München 1884—1899. Concilium Tridentinum. Diariorum, actorum, epistularum, tractatuum nova collectio, ed. Societas Goerresiana, Tom. I: Diariorum pars I, ed. *Merkle;* Tom. IV: Actorum pars 1, ed. *Ehses*, Friburgi 1901—1904. Cf. Hist. Jahrb., 1895, p. 749 sqq.; 1904, p. 485 sqq. Röm. Quartalschr., 1897, p. 333 sqq. Revue d'hist. ecclésiast., 1904, p. 755 sqq. *Hefele-Hergenröther*, Conciliengesch., Bd. IX. *Paolo Sarpi*, Istoria del Concilio di Trento, Londra 1619; trad. franç. *Le Courrayer*, Amsterdam 1736—1751. Cf. Hist. Jahrb., 1905—1906. *Sforza Pallavicini*, Istoria del S. Concilio di Trento, ed. *Zaccaria*, 4 vol., Roma 1833. *Prat S. J.* Hist. du Concile de Trente, Bruxelles 1854, 3 vols. *Vermeulen*, Die Verlegung des Konzils von Trient, Regensburg 1890. *Idem*, Das XIX allgemeine Konzil in Bologna, Regensburg 1892. *Carcereri*, Storia esterna del concilio di Bologna, Montevarchi 1902.

---

[1]) *Ciampi*, Innocenzo X Pamfili e la sua corte, Roma 1878.

[2]) *Schauerte*, Christina v. Schweden, Freiburg 1880.

1°. Fuit **concilium Tridentinum** omnium conciliorum gravissimum, non solum ob celeberrimas definitiones dogmaticas, verum etiam propter reformationis decreta, quae tantam habuerunt efficaciam, ut magno auxilio fuerint praeclaris illis Pontificibus, qui salutarem emendationem procurare contenderunt. In comitiis Norimbergensibus (1522—1523) jam auditi sunt, qui cuperent cogi synodum generalem. Adrianus VI, morte praereptus, efficere nihil potuit. Clemens VII initio synodum esse opportunam negavit. Timuit enim ne ad normam synodorum Pisanae, Constantiensis et Basileensis ageretur. Nimirum in comitiis Norimbergensibus postularant haeretici „synodum liberam", qua episcopi fide data Summo Pontifici solverentur atque etiam laicis esset jus suffragii. Dein ad solam Scripturam provocabant protestantes, auctoritatemque synodorum omnium superiorum rejecerant. Neque ita diu post Lutherus omnem etiam detrectavit synodum futuram, cujus decretis obligaretur se submittere (1533). Attamen, quum in comitiis Augustanis (1530) instanter iterum peterent ut cogeretur synodus, Clemens VII sententiam mutavit ac confestim agere coepit[1]). At, odio motus in imperatorem, rex Franciae irrita cuncta incepta fecit. Intentius reluctatum est, quum, foedere Smalcaldico viribus aucto, haberi omnino synodum respuerent (1535). Attamen Paulus III, qui id sibi praecipuum efficiendum proposuerat[2]), anno 1537 synodum convocavit, Mantuae habendam. At imperatoris bellum cum Francia interposuit moram. Facta pace Crispitiaci (1544), superatisque multis obstaculis, tandem vicit Papa. Die 13 Decembri 1545, Tridenti sessio prima habita est. Bis intermissa et iterato molestiis politicis vexata, demum 4 Decembri 1563 terminari feliciter synodus potuit.

2°. Constituta est **synodi ordinatio**[3]): ut ne, sicut factum fuerat Constantiae, sententiae ferrentur per *nationes*, sed *viritim*, utque jus suffragii haberent cardinales, episcopi, ordinum religiosorum magistri generales et abbates; sed ut hi trini unum suffragium ederent. Etsi episcoporum absentium procuratores

---

[1]) *Pastor*, Gesch. der Päpste, IV, 2, p. 394 sqq.; p. 582—584.
[2]) Röm. Quartalschr., 1901, p. 153 sqq.; p. 397 sqq.
[3]) *Friedrich*, Geschäftsordnung des Konzils von Trient, Wien 1871.

jure suffragii non gauderent, tamen Paulus III, propter temporum angustias, Germaniae episcoporum procuratores excepit (1545); quod privilegium postea Pius IV abolevit (1562). Libertate edicendi sententiam et suffragium ferendi abunde usi sunt patres, quod disputationes ipsae et suffragia testantur[1]). Legati definiebant quid a synodo tractaretur. Quae concepta prius fuerant in congregationibus praeparatoriis theologorum et canonistarum, agebantur deinde in synodo universa. Ecclesiae Germanicae sollicitus, imperator proposuit ut prius ederentur decreta reformationis, quibus tempora egebant, deinde sancirentur definitiones dogmaticae. Praetulit vero Papa ut prius firmaretur fides. Demum decretum est ut singulis sessionibus ageretur quum de dogmate tum de reformatione, de hac per *capita*, de illo per *capita* et *canones*.

3⁰. Concilii historia commode in tria tempora dividi potest. **Primum tempus** (1545—1547) numeravit initio congregatos 33, qui tamen numerus brevi succrevit. Sessionibus *prioribus tribus* potissimum exacta sunt superius relata. Sessione *quarta* (8 Aprili 1846) numerus congregatorum satis amplus habebatur ut ad graviora definienda accederetur: canon antiquus S. Scripturae confirmatus est, decretumque traditionem esse fidei fontem pariter ac Scripturam, Vulgatam esse editionem authenticam, regulam interpretationis S. Scripturae esse sensum communem Patrum[2]). Sessione *quinta* (17 Junio 1546) definita est doctrina de peccato originali et damnatae sunt quaedam protestantium sententiae[3]). Sessione *sexta* (13 Januario 1547), cui intererant, praeter theologos, patres 64, celeberrimum editum est decretum de justificatione. Sessione *septima* actum de sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione (3 Martii 1547). Decreta autem reformationis, sessionibus illis septem edita, praecipua fuerunt: de docenda S. Scriptura in ecclesiis cathe-

---

[1]) *Seeberg*, Zeitschr. f. kirchl. Wissenschaft, 1889.

[2]) *Alzog*, Explicatio cath. systematis de interpretatione lit. sacr. Monasterii 1835.

[3]) Hic propositum fuit: „de B. V. S. Synodus nihil definire intendit, *quamvis pie credatur* ipsam absque peccato originali conceptam fuisse." Multi assentiti sunt, pauci tantum proposita oppugnarunt, putantes suam sententiam sic indirecte declarari *impiam*. Hinc recepta forma est: „Declarat tamen etc.", qua patres occulte Immaculatam Conceptionem affirmaverunt.

dralibus et collegialibus, de officio praedicandi, de residentia parochorum et episcoporum, de beneficiis et de abusibus in vita clericorum[1]). Ineunte Martio, prorupit morbus pestilens. Ob dissensionem exortam inter Papam et imperatorem et morbi metum, aufugientibus pluribus episcopis, sessione *octava* (11 Martio 1547), quod jamdiu animo conceperant, patres decreverunt ut Bononiam transferretur concilium. Sed qui imperatori favebant praelati, Tridenti manserunt, propterea quod, cessante morbo, imperator reclamaret de translato concilio vetaretque episcopos Bononiam petere. Papa in hac re episcopis non mandavit quid facerent. Bononiae autem multa valde tractaverunt congregationes praeparatoriae, quibus ex omni terrarum parte interfuerunt theologi 60—70, inter quos etiam B. Petrus Canisius. Sessiones interea habebantur *nona* et *decima*, quibus statutum est ut differrentur decreta graviora. Actum negotium est inter Papam et imperatorem, donec ille, mense Sept. 1549, intermittendum concilium decrevit. **Alterum tempus** (1551—1552) inchoavit regnante Julio III (1550—1555), qui effecit ut iterum congrederentur patres Tridenti. Sessione *undecima* ob exiguum congressorum numerum procrastinata disceptatio est et sessione *duodecima* in diem 11 Octobrem dilata sunt decreta. Interea tamen multum laborarunt et deliberarunt praesertim Papae theologi, P. Laynez S. J. en P. Salmeron S. J.[2]). Laborum fructus fuit, Sessione *decimatertia* (11 Oct. 1551) editum decretum de S. Eucharistia. Sessione *decimaquarta* (25 Nov. 1551) lata sunt decreta de poenitentia et extrema Unctione. Sessione *decimaquinta* (25 Jan. 1552) praesidium promissum protestantibus, qui vellent concilio adesse. Sessione *decimasexta* (22 Aprili 1552) altera decreta est intermissio, propterea quod, Mauritio Saxonico viam proditionis ingresso, patres tuti Tridenti non essent. Statutum est ut concilium intermitteretur duos annos. Duravit tamen interruptio annos *decem*. Cujus rei causae variae fuerunt. Dissensio imprimis principum christianorum. Exigua deinde fuit concilii auctoritas in Ger-

---

[1] *Marchese*, La riforma dell clero secondo il concilio di Trento (Ricerche stor.-crit. Torino 1883).

[2]) Disputationes Tridentinae, ed. *Grisar*, Oeniponte 1886. Zeitschr. für kath. Theol., 1881, p. 672 sqq.; 1882, p. 39 sqq.

mania. Timebant catholici decretorum reformationis effectus. Marcellus II maturius obiit. Paulus IV repugnabat imperatori, quo non opitulante, concilium congredi non poterat. Demum Pius IV (1559—1565) iterum convocavit synodum[1]). **Hoc tertio tempore** (1562—1563), adhuc sessiones novem valde salutares fuerunt. Inceptum est concilium sessione *decima septima* (18 Jan. 1562) et datum iterum praesidium protestantibus sessione *duodevigesima* (25 Febr. 1562); at sessionibus *undevigesima* (4 Majo 1562) et *vigesima* (4 Junio 1562), propter molestias principum, decreta ferri non potuerunt. Sessione autem *vigesima prima* (16 Julio 1562) definita doctrina est de S. Communione, sessione *vigesima secunda* (17 Sept. 1562) actum de S. Sacrificio Missae et decretum est ut concedere usum calicis relinqueretur Papae. Inter hanc et proxime sequentem sessionem habita est celeberrima disputatio de relatione inter episcopatum et primatum, i. e. utrum episcopi jurisdictionem accipiant a Papa an a Christo ipso. Priorem sententiam defenderunt Italici, alteram Hispani. Praeclara oratione conatus est P. Laynez S. J. demonstrare *potestatem ordinis* omnibus episcopis *proxime dari a Deo*, *potestatem jurisdictionis* Petro quidem et successoribus ejus *proxime a Deo* esse datam, similiter reliquis apostolis, sed per modum privilegii; aliis autem episcopis *proxime seu immediate a Summo pontifice* dari, *mediate a Deo*. Non tamen consenserunt patres, quare res definita non est[2]). Sessione *vigesima tertia* (15 Julio 1563) concilium definivit Ecclesiae doctrinam de Sacramento ordinis; dubium autem, de quo dictum est, vitavit definiendo, hierarchiam *divina ordinatione* esse institutam[3]). Sessione *vigesima quarta* (11 Nov. 1563) definita est doctrina de matrimonio, statutumque, in posterum matrimonium validum non futurum nisi initum *coram parocho et duobus vel tribus testibus*[4]). Ultima sessione, quae fuit *vigesima quinta* (3 et 4 Dec. 1563), statutum

---

[1]) Bulla: *Ad Ecclesiae regimen*, *Raynaldus* a. an. 1560, n. 68 sqq.

[2]) Civiltà Catt. VI, 12 (1867), p. 273 sqq. *Grisar*, Zeitschr. f. Kath. Theol., 1884, p. 453 sqq. Stimm. a. M.-L., 1872.

[3]) Sess. XXIII, can. VI. Huic sessioni interfuerunt cardinales 4, patriarchae 3, archiepiscopi 25, episcopi 193, abbates 3, magistri ordinum generales 7, universi patres 235.

[4]) Cap. I *Tametsi*. Cf. *Leinz*, Der Ehevorschrift des Konzils von Trient. Ausdehnung und heutige Geltung, Freiburg 1888.

est de purgatorio, de cultu Sanctorum et indulgentiis. Praeter jam memorata decreta reformationis, alia quoque gravissimi momenti edita sunt, de episcoporum aliorumque officiis (XXIII, 2), de erigendis seminariis (XXIII, 18), de habendis synodis dioecesanis et provincialibus (XXIV, 2), de dioecesium visitatione (XXI, 8), de amovendo *cumulo beneficiorum* (XXIV, 17), de abrogandis *provisionibus* et *exspectantiis* (XXIV, 19), de regularibus (XXV), de examine comparativo pro occupandis parochiis (XXIV).

4⁰. Ipso die 4 Dec. 1563, patres 252 subscripserunt concilii decretis. Magni ponderis confectum opus Pius IV, primum in consistorio (30 Dec.), deinde per bullam 26 Jan. 1564, confirmavit [1]). Pro **exsequendis decretis reformationis** idem Papa *Congregationem Concilii* instituit (1564) [2]). Ut satisfieret desiderio patrum concilii, edita mox est *Professio fidei Tridentina* [3]), *Catechismus Romanus seu Tridentinus* (1566), *Index librorum prohibitorum* (1564) [4]), *breviarium* emendatum (1568), *Missale emendatum* (1570) et *Vulgatae* emendata editio (1590—1592). Lusitania, Italia et Polonia decreta mox receperunt. Maximilianus II aliique principes Germaniae catholici ipsi quoque reformationem instituendam curarunt. Albertus V Bavarus interdixit omnes libros impugnantes catholicam fidem, praecepitque ut professores universitatum pronuntiarent *professionem fidei Tridentinam*. Suo etiam quisque modo ad promovendam reformationem laborarunt dux Cliviae-Juliaci-Montensis, collegiales Fuldenses (Balthasar a Dernbach), episcopi Herbipolensis (Julius Echter a Mespelbrunn), Augustanus, Monasteriensis, Paderbornensis, Salisburgensis, Bambergensis, Trevirensis. Ferdinandus archidux protestantismum ejecit e Stiria, Carinthia et Krainia et pristinum cultum instauravit. Philippus II rex in terris suis, Hispania, Neapoli et Neerlandia, decreta concilii pro lege valere voluit, addita clausula: *servatis regni juribus*. Francia, sollicita tueri sua, quae putabat esse, privilegia Gallicana, sola decreta dogmatica recepit. At multum episcopi per seipsos et in synodis, et alii sancti viri laborarunt

---

[1]) Bulla *Benedictus Deus*, Vide post edita Acta.
[2]) Archiv f. kath. Kirchenrecht, Bd. 80 (1900), 3 sqq.
[3]) *Denzinger*, ed. IX. p. 233 sqq.; ed. X, n. 994 sqq.
[4]) *Hilgers*, Der Index etc. Freiburg 1904.

ne decreta reformationis essent irrita. Inter quos eminuit S. Carolus Borromaeus[1]), qui statim Mediolani seminarium instituit et clerum populumque ad vitam vere catholicam agendam excitavit. Apud Genevenses uberrime laboravit S. Franciscus Salesius[2]), apud Francogallos S. Vincentius a Paulo, exemplo suo ad generosam caritatem excitans. In Italia eminuerunt episcopus Veronensis Joannes Giberti, S. Cajetanus, S. Ignatius de Loyola, S. Philippus Nerius. In Hispania egregie promoverunt vitam vere catholicam Philippus II, archiepiscopus Bragensis, S. Bartholomaeus de Martyribus, Ludovicus de Granada, S. Thomas de Villanova, S. Petrus de Alcantara, S. Joannes de Deo, S. Theresia, S. Joannes a Cruce. Demum ordines et congregationes religiosae magnum contulerunt ad vitam catholice informandam adjumentum.

---

§ 155. Societas Jesu.

Historiae Societatis Jesu, edd. *N. Orlandini, Fr. Sacchino, Jos. Juventius, Jul. Cordara*, partes 6, Tomis 8, Romae 1615—1759. *Bartoli*, Dell' Istoria della Gompagnia di Giesù, 4 Tom. Roma 1663—1677. *Crétineau-Joly*, Histoire religieuse, politique et littéraire de la Compagnie de Jésus, 5 vols, Paris 1844 ss. 3e éd. 6 vols. 1859. *Buss*, Die Gesellschaft Jesu, Mainz 1853. *Duhr*, Jesuitenfabeln. Ein Beitrag zur Culturgeschichte, 4 Aufl., Freiburg 1904. *Alexandre Brou*, Les Jésuites et la Légende, 2 vols, Paris 1906—1907. Monumenta historica Soc. Jesu, Matriti (inde ab anno 1894 singulis mensibus unus fasciculus). Cartas de S. Ignacio de Loyola, 6 vols, Madrid 1874—1889. *W. v. Nieuwenhoff*, Leven van den H. Ignatius v. Loyola, 2 Dln, Amsterdam 1892—1893. *Astrain*, Hist. de la Comp. de Jesús en la Asistencia de Espana, Tom. I: S. Ignacio de Loyola etc., Madrid 1902 ss. *Delbrel*, Les Jésuites et la pédagogie au XVI siècle, Paris 1894. *Duhr*, Monumenta Germaniae paedagogica, Tom. II, V, IX, XVI, Berlin 1887—1894. *De Backer*, Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus, Tom. 3, Paris 1869—1876. Nouv. éd. (Carlos Sommervogel) 9 vols, Paris 1890 ss. *Heimbucher*, Orden und Kongregationen, Paderborn 1896—1897, II Bd., p. 34 sqq. (ubi uberrimam invenies literaturam). Cf. Analecta Boll. XXVII, p. 392 ss.; The Month, July, 1909, p. 1 ss.

---

[1]) *Sylvain*, Vie de S. Charles Borromée, 3 vols, Lille 1884.

[2]) *Hamon*, Vie de S. François de Sales, Paris 1858. Oeuvres, éd. complète, Paris 1893 sqq.

1⁰. Prae reliquis ordinibus religiosis omnibus sine dubio plurimum ad rectam reformationem contulit **Societas Jesu.** Ejus fundator fuit **S. Ignatius de Loyola,** natus 1491 [1]) Guipuscoae in Hispania. Ministravit, puer nobilis, in aula Ferdinandi regis Aragoniae, dein ordinum ductor in exercitu Caroli V, pro quo strenue ac fortiter, equitum scilicet more, castellum Pampelonense defendit contra Francogallos. Acceptis gravibus vulneribus duobus quum lecto teneretur, legendis vitis Sanctorum (Vida de los Santos) incepit perspicere quam sit vanus rerum mundanarum fastus, et sensim evectus est ad vitam austeram asceticam. Suspendit ensem suum equestrem ad altare B. M. V. Montisserrati et scripsit *Exercitia Spiritualia* [2]), quae ipse Manresae fecerat. Ex his exercitiis spiritualibus postea efformata sunt in Ignatio conceptus, character et ordinatio Societatis Jesu. Quum non posset in terra sancta satisfacere desiderio, quo flagrabat, salutis animarum, redux literarum studiis incubuit, Barcelonae primum (1524), dein in universitatibus Complutensi (1526) et Salmanticensi (1527). Parisiis (1528—1535) Ignatius dignitatem *magistri* comparavit **et primos socios** sibi junxit, quos per exercitia spiritualia inflammavit ad eadem, quibus ipse ardebat, desideranda: Petrum Fabrum [3]) (Lefèvre) Sabaudum, Franciscum Xaverium [4]), virum nobilem Navarrensem, eximiis naturae dotibus ornatum, Jacobum Laynez [5]), Hispanum, virum non minus egregie instructum, Alphonsum Salmeron [6]), qui postea fuit celeber exegeta, Toletanum; Nicolaum

---

[1]) *J. C. Alberdingk Thijm*, Studiën, Dl. 42, p. 165 sqq.; Dl. 43, p. 267 sqq.

[2]) *Watrigant S. J.*, Genèse des Exercices de S. Ignace de Loyola. Reproduction avec pièces et notes complémentaires, Amiens 1897. Exercitia spiritualia S. P. Ignatii de Loyola cum versione literali ex autographo Hispanico, notis illustrata juxta Romanam ed. sextam, Roehampton 1881. *Diertins*, Historia exercit. spirit. S. P. Ignatii de Loyola, Friburgi 1896. *Watrigant S. J.*, Collection de la Bibl. des Exercices. Etudes et documents, Enghien Praesertim No. 6: *Debuchy S. J.*, Introduction à l'étude des exercices spirit. Enghien 1906. *Idem*, La „méditation fondamentale" avant S. Ignace. Etude hist. et critique, Enghien 1907.

[3]) *Boero S. J.*, Vita del P. Pietro Fabro, Monza 1874. *Cornely*, P. Faber, ed. Scheid, Freiburg 1900.

[4]) *W. van Nieuwenhoff*, Leven v. d. H. Franciscus Xaverius, Amsterdam 1895.

[5]) *Boero*, Vita del servo di Dio P. Giacomo Lainez, Firenze 1880.

[6]) *Boero*, Vita del servo di Dio P. Alfonso Salmerone, Firenze 1880.

Bobadillam[1]), jam tum philosophiae Vallisoleti magistrum; Simonem Rodriguez de Azevedo[2]), Lusitanum. Cum his, die 15 Augusto 1534, in ecclesia Montis Martyrum prope a Lutetia Parisiorum, Ignatius vovit paupertatem et castitatem, et dicaturos sese curandis infirmis Hierosolymae et convertendis Turcis, aut, si iter Hierosolymitanum non pateret, oblaturos Papae operam suam. Sic prima aedificii fundamenta posita. Anno 1537, convenerunt cum reliquis Venetias Claudius Jajus[3]), Sabaudus, Joannes Codurius e Delphinatu, Paschasius Broetus[4]) et alii tres, quos Ignatius secum ex Hispania duxerat. Quum via in terram sanctam non pateret, altera pars voti fuit solvenda. Quamobrem Ignatius cum Fabro et Laynez adierunt Romam (1538), Paulo III Papae expondituri Societatis summam.

2⁰. Quae Summa fuit *Formula Instituti*, quam accurate examinatam et diu agitatam, die 27 Septembri 1540, idem Papa probavit[5]). Qua probatione Papa non Institutum solum firmavit, sed etiam ejus esse nomen Societatis Jesu, quod jam saepius tum improbarant multi. Addidit tamen Papa numerum sociorum non amplius 60 augendum, quae clausula jam 1543 ab eodem Papa rescissa est[6]). Die 4 Aprili 1541 primi socii, ex communi consensu, Ignatium *generalem* elegerunt eique conficiendas constitutiones mandaverunt. Quas dum elaborabat vir sanctus, ordo perpetuo accrescebat. Franciscus Xaverius, profectus ad Indos et Japones, hominum multa centena milia ad fidem convertit. Faber jussu Papae laboravit in Germania. Laynez Venetiis collegii fundamenta jecit. Rodriguez provinciam florentem et collegium Conimbricense condidit in Lusitania. In Hispania alte effloruit societas, praesertim quum Gandiae dux, S. Franciscus Borgia, ei nomen dedisset. Socii juvenes studiis incumbebant Parisiis et Lovanii. Multa patres Societatis contulerunt Ecclesiae adjumenta per *exercitia*

---

[1]) *Boero*, Vita del servo di Dio P. Nicolà Bobadiglia, Firenze 1879.

[2]) *Boero*, Vita del servo di Dio Simone Rodriguez, Firenze 1880.

[3]) *Boero*, Vita del servo di Dio, P. Claudio Jaio, Firenze 1878.

[4]) *Boero*, Vita del servo di Dio P. Pascasio Broet, Firenze 1877.

[5]) Bull. Rom. Tom. IV, p. 185 sqq. Constit. *Regimini militantis Ecclesiae*. Inst. Soc. Jesu, Tomi 3, Florentiae 1886—1891, Tom. I, p. 1 sqq.

[6]) Ibid.. I, 8 sq.

spiritualia, quae, anno 1548 pontificia approbatione firmata, fuerunt causa celerrimi Societatis incrementi. E vivis cedente S. Ignatio, 31 Julio 1556, jam fuit Societas in provincias 13 dispertita, fueruntque ejus socii 1000, collegiis aliisque domibus 100 distributi. Cum Jacobus Laynez (1556—1565) generalis secundus eligeretur, prima *congregatio generalis* probavit *constitutiones* S. Ignatii. Quibus inducendis et in usum traducendis operam suam collocarunt generales tertius Franciscus Borgia (1565—1572) et quartus Everardus Mercurianus (1572—1580). Unus e celeberrimis generalibus fuit Claudius Aquaviva (1580—1615), Italus, qui *Rationem studiorum* in societate complevit[1]). Leges praeceptaque Societatis continentur *Bullis* Paparum, *Examine generali*, *Constitutionibus* et *Declarationibus* S. Ignatii, *Decretis congregationum generalium* 25, *Ordinationibus* et *Instructionibus* generalium[2]). Leges occultas Societas non habet. *Monita secreta* commentitia sunt, conficta ab Hieronymo Zahorowsky, antea socio, qui odio motus Societatem calumniatus est[3]).

3⁰. **Finis** Societatis est ,,non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere." Propriae saluti incumbere debent socii per meditationem quotidianam, duplex quotidie conscientiae examen, per *exercitia spiritualia* bis in vita integre (dies 30) facienda et singulis annis forma breviori (dies 8 vel 10) resumenda, per servandas regulas et vota solvenda. Praecipuam vim posuit fundator in voto obedientiae[4]). Posse autem socium obedientia obligari ad peccatum, per calumniam insulsam

---

[1]) Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticorum Soc. Jes. etc., ed *Duhr* (Mon. Germ. paed. Berlin 1887—1894).

[2]) Institutum Soc. Jes., Pragae 1757, Tomi 2; Romae 1869, Tomi 3; Florentiae 1892—1893, Tomi 3.

[3]) Monita privata s. secreta Soc. Jesu, Notobrigae (Krakau) 1612 etc. Zeitschr. f. Kath. Theologie, Tom. 14, p. 398 sqq. *Bernard*, Les instructions secrètes des Jésuites, Paris 1903. *Brou*, l. c. p. 280 sqq.

[4]) ,,Et sibi quisque persuadeat, quod qui sub obedientia vivunt, se ferri ac regi a divina Providentia, per superiores suos, sinere debent, perinde ac si cadaver essent, quod quoquoversus ferri et quacumque ratione tractari se sinit: vel similiter atque senis baculus, qui ubicumque et quacumque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit". Const. P. VI, Cap. I, § 1.

dixerunt Societatis adversarii, verba quaedam e Constitutionibus, centies explicata, centies iterum perperam interpretantes[1]). Demum debet unusquisque socius omnino abhorrere ab omnibus quae mundus amat et amplectitur, gratis dare quae gratis accepit, dignitatem ecclesiasticam recusare, nisi jubeat is, qui potest sub peccato obligare, Summus Pontifex. Saluti proximorum incumbendum est explicanda doctrina christiana, docendo in collegiis et universitatibus, moderandis congregationibus, praedicando, confessiones audiendo et operando in missionibus pro fidelibus et infidelibus. Operam deinde dabant studiis theologiae dogmaticae et moralis, juris canonici, S. Scripturae, scientiarum omnium naturalium, paedagogiae, literarum humaniorum, geographiae, ethnologiae, linguarum etc. ita ut mox fuerint Societatis, in singulis harum scientiarum argumentis, viri eximie docti, utque superioris instructionis moderamen per universam Europam catholicam paulatim factum sit, magnam partem, Societatis officium. Unde Societas, quae non est instituta adversaria protestantismi[2]), tamen ejus pervagationi se objecit, eumque retudit expulitque e multis locis quae jam occupaverat.

4°. Ad hunc obtinendum scopum suam dedit fundator Societati **ordinationem,** qua est *ordo clericorum regularium.* Novitii admittuntur facto accurato examine. Excluduntur, qui prius alii ordini nomen dederunt. Exercentur novitii annos duos rebus spiritualibus, quo exacto biennio, nuncupant *vota simplicia perpetua*, quae subsequens matrimonium irritum

---

[1]) Constit. P. VI, C. V, S. Ignatius dicit constitutiones sub peccato non obligare: „Visum est nobis in Domino, excepto expresso voto, quo Societas Summo Pontifici, pro tempore existenti, tenetur, ac tribus aliis essentialibus Paupertatis, Castitatis et Obedientiae, nullas Constitutiones, Declarationes, vel ordinem ullum vivendi, posse *obligationem ad peccatum* mortale vel veniale inducere; nisi superior ea in nomine Domini Nostri Jesu Christi, vel in virtute obedientiae juberet" ... Verba: *obligationem ad peccatum*, significant *obligationem sub peccato*, ut patet non solum ex inscriptione et contentu, sed etiam e regula S. Dominici, e S. Thoma (II, 2, q. 186, a. 9) et e tertia regula S. Francisci (cap. 20).

[2]) Patet hoc quum e Paparum bullis, tum e constitutionibus vitaque S. Ignatii. *Duhr*, Jesuitenfabeln, 3 Aufl., Freiburg 1899, p. 1 sqq. *Gothein*, Ignatius von Loyola und die Gegenreformation, Halle 1895. Cf. Der Katholik, 1899, I, p. 36 sqq. Hist. Jahrb., 1896, p. 561 sqq. Stimm. a. M.-L. Bd. 49, p. 527 sqq.

faciunt. *Scholastici*, quorum collegia dotata esse possunt, solent annos 9 incumbere scientiarum studio: annos duos linguis Latinae, Graecae etc., annos tres philosophiae et scientiis mathematicis et naturalibus; his peractis, annos aliquot docent pueros in collegiis Societatis, dein dant annos quatuor theologiae aut, ad ulteriorem scientiam comparandam, sex vel plures. Absolutis studiis, sacerdotio muniti agunt annum *tertium* probationis, quem impendunt exercitiis asceticis et partim etiam curandis infirmis, operando in missionibus aliisque ejusmodi laboribus. Tandem admittuntur ad gradum. *Coadjutores formati*, qui sunt aut laici *coadjutores temporales*, aut sacerdotes *coadjutores spirituales*, emittunt *vota simplicia publica*. *Professi*, praeter tria *vota solemnia*, nuncupant *quartum solemne*, quo obligantur ad capessendas, nihil contradicendo et non petito viatico, missiones quascumque Papa iis imposuerit. Collegiis praeest *rector*, residentiis et missionum domibus *superior*. Provinciam gubernat *praepositus provincialis*, totum ordinem *praepositus generalis*, quem eligit ad vitam congregatio generalis. Is sibi adjutorio habet assistentes quinque (Italiae, Germaniae, Galliae, Hispaniae et Angliae), quos etiam eligit congregatio generalis. Insuper generali, sicut reliquis omnibus superioribus, est *admonitor*. Generalis nominat provinciales, praepositos domorum professarum et rectores.

5⁰. Quae quidem institutionis ratio jam inde a primordiis Societati fuit gravium certaminum causa. Nonnullis ex antiquiore religiosorum ordine viris, scandalo fuit nomen Societatis Jesu, metuebantque mala obventura eo quod chorum Societas non haberet. Vehementiam controversiae sedaverunt prius Papae; at magis in ancipiti res posita est cum postea Papae ipsi institutum, a praedecessoribus eorum approbatum, mutare coeperunt. Paulus IV introduci chorum jussit, et gubernationem generalis ad annos tres redegit. Qui autem ei successit, haec jussa rescidit. Pius V iterum induxit chorum, voluitque omnes, antequam sacerdotio munirentur, tria vota solemnia facere. Quo mortuo (1572), Gregorius XIII ea indicta revocavit [1]). Quae sibi proposuerat Sixtus V, ut nomen Societatis aliaque quaedam immutaret, ad exsecutionem perducta non sunt. Gregorius XIV autem approbavit *Consti-*

---

[1]) Constit. *Ex Sedis Apostolicae* 28 Febr. 1573.

tutiones, sicuti eas scripserat Ignatius[1]). Die 1 Januario 1646 Innocentius X praecepit ut singulis novem annis cogeretur congregatio generalis, quae novos eligeret assistentes, neve ullus superior, praeter generalem et magistrum novitiorum, diutius quam tres annos regeret. Prius mandatum abrogavit Benedictus XIV[2]), posterius Alexander VII[3]).

Fuerunt etiam in ipsa Societate socii, qui voluerint immutare Constitutiones. Defuncto S. Francisco Borgia, auctore Gregorio XIII praecipuo Societatis benefactore, qui mala futura timebat, si perpetuo Hispani constituerentur generales, Everardus Mercurianus electus est. Orta inde commotio apud Hispanos aliquos erupit, quum, mortuo Mercuriano, Claudius Aquaviva Italus electus est. In congregatione procuratorum (1587) postularunt *procuratores Hispani*, ut pro Hispania constitueretur *commissarius generalis*, qui subjectus esset generali Romae. Cui postulationi suffragabatur Philippus II, resistebat Sixtus V. Gregorius XIV autem confirmavit iterum Societatis institutum, respuitque nonnullorum consilia, qui jus admittendi socios et nuncupandi superiores generali adimere et capitulo ordinis mandare conabantur[4]). Paulus V quoque genuinum S. Ignatii institutum iterum tuitus est (1606)[5]). Tempore congregationis generalis sextae (1608) concordia composita. Quum vita fungeretur Claudius Aquaviva, excreverat feliciter Societas ad socios 13112 (1615).

6⁰. Quod autem Societas usque in hodierna tempora fuerit **persecutioni** obnoxia, hujus rei causae fuerunt ipsi ejus labores et praesertim constans ejus ardor defendendae Ecclesiae contra protestantismum. Jam anno 1540 Petrus Faber[6]) venit in Germaniam et Petrum Canisium socium sibi adjunxit. Jajus laborabat in Bavaria, Bobadilla Vindobonae. Domus et collegia fundata sunt Vindobonae (1552), Coloniae

---

[1]) Constit. *Ecclesiae catholicae* 28 Jun. 1591.

[2]) Constit. *Devotam majori* 17 Dec. 1746.

[3]) Constit. *Debitum pastoralis officii* 1 Jan. 1663.

[4]) Constit. *Ecclesiae cath.* 28 Jun. 1591.

[5]) Constit. *Quantum religio*, 4 Sept. 1606.

[6]) *Duhr*, Hist. Jahrb. der Görresges., 1897, p. 792 sqq. *Duhr*, Gesch. der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge, Freiburg 1907 sqq.

et Ingolstadii (1556), Monachii (1559), Treviris (1561), Moguntiae (1562), Augustae Vindelicorum et Dillingae (1563), Braunsbergae (1564), Herbipoli et Spirae (1567), Ellwangeni et Paderbornae (1585), Aschaffenburgi et Monasterii (1588), Hallae et Oeniponte (1589), Bambergae (1595). Salutaria innumera sic effecta sunt, non quidem ipsa impugnata haeresi, sed instaurata vita christiana per exercitia spiritualia, in scholis, gymnasiis et universitatibus, quibus etiam protestantes filios suos instruendos obtulerunt. Fuerunt qui dicerent Jesuitas „magicis artibus" uti, ut scholares allicerent.

Horum laborum omnium dux et moderator fuit **B. Canisius** [1]), qui provincialis fuit annos 13 et officiis magistri, praedicatoris in cathedrali, scriptoris aliisque cum strenuo labore functus est. Immortalem sibi gloriam comparavit triplici suo catechismo (majore, minore, minimo) qui formis et sermonibus variis 400^{es} editus est [2]). Hic liber praesertim movit protestantium iram, qui pedetentim Jesuitas inter gravissimos sibi adversarios numerare coeperunt. In Gallia quoque Societas in se concitavit odium Gallicanorum, Jansenistarum et Encyclopaedistarum, eo quod mores catholicos sollicite instauraret, juvenes instrueret et praesertim quod Papam defenderet. In Anglia et Scotia Jesuitae, sanguinis sui pretio, catholicis solamen et vires addiderunt. Nec minus in Hollandia, proposita exsilii et mortis poena, fortiter pro fide tuenda laboraverunt. Quod protestantium et Jansenistarum odium nostra aetate nondum resedit. Ubicumque protestantismus viguit aut Papatus adversarii dominati sunt, odium in Jesuitas efferbuit [3]). In partibus Europae meridionalibus paulo postea inciderunt in luctamen cum religionis contemptoribus. Saeculis XVI, XVII et XVIII quasi imbre

---

[1]) B. P. Canisii Epistulae et Acta, ed. *Braunsberger*, Friburgi 1896. *Riess*, Leben etc., Freiburg 1865. *Kröss*, Leben etc., Wien 1898.

[2]) Summa doctrinae christianae. Ed. 1 anno 1554. De reliquis edit. vide *de Backer-Sommervogel*, in voc. Canisius.

[3]) Accusata etiam Societas est, quod faverit doctrinae de caede tyrannorum. Diu ante ortam Societatem catholici et protestantes, ipse etiam Lutherus, eam doctrinam defenderunt, etiam Jesuitae aliqui, inter quos e. c. Mariana. At jam anno 1606 Claudius Aquaviva graviter vetuit hanc a sociis defendi. Cf. Geschiedvervalsching etc. Utrecht 1887, p. 734 sq. *De Ravignan*, De l'existence et de l'Institut des Jésuites (Neerlandice, Arnhem 1844).

obruti sunt libellorum, infamationis et calumniarum. Insimulati sunt in culpa fuisse conspirationis pulveris pyrii (1605), internecionis Gulielmi Arausicani (1584), attentatae caedis Mauritii (1598) et Henrici IV regis Franciae (1595), revocationis edicti Nannetensis, belli triginta annorum etc.[1]). Quarum calumniarum causa, testibus Ranke, Paulsen et Naumann (Pilatus), haec fuit, quod, fortiter impugnatus a Jesuitis, protestantismus ab ulteriore dilatatione desistere sit coactus, catholicismus vero, pristina virtute recuperata, ad superandum protestantismum esset paratus.

---

§ 156. Reliqui ordines et congregationes.

Heimbucher, Orden und Kongregationen der kath. Kirche, 2 Bde, Paderborn 1896—1897, 2e Aufl., 1907. *Hélyot*, Histoire des ordres religieux etc., Tom. VII, p. 164 sqq. *Henrion*, Histoire des ordres religieux, Bruxelles 1838, p. 139 sqq. *Boverius*, Annales ordinis Minorum S. Francisci qui Capucini nuncupantur, Tomi 2, Lugduni 1632 sqq. cum continuationibus pluribus. *Hubert*, Der h. Hieronymus Aemiliani, Mainz 1895. *R. de Maulde la Clavière*, St. Gaëtan, Paris 1902 (Les Saints). *Dubois*, Le bienheureux A. M. Zaccaria, fondateur des Barnabites, Tournai 1896. *Postel*, Histoire de Ste Angèle de Merici et de tout l'ordre des Ursulines, 2 vols, Paris 1878. *Saglier*, Leben des h. Joannes von Gott, Regensburg 1881. *Zimmermann*, Der h. Camillus de Lellis, Freiburg 1887. *Capecelatro*, La vita di San Philippo Neri, 2 vol., Napoli 1879. *D'Estienne d'Orves*, S Philippe de Néri, Paris 1900. *Chavin de Malan*, Hist. de dom Mabillon et de la congrégation de St. Maur, Paris 1843. *Clarus*, Leben der ersten Mütter und Schwestern des Ordens von der Heimsuchung, 2 Bde, Schaffhausen 1861. Chronique de l'ordre des Carmélites de la Réforme de Ste Thérèse depuis leur introduction en France, Poitiers 1887.

1°. In locis multis, antiquioribus ordinibus clades haud exiguas intulerant reformationis turbae; at novi ordines, excitati a Deo ad refocillandos animos catholicorum, moribus instaurandis incubuerunt. Ad **clericos instruendos** et populum **missionibus** excolendum egregie laboraverunt:

a. **Theatini,** instituti anno 1524 a S. Cajetano, e nobili

---

[1]) Geschiedvervalsching, p. 715 sqq. *Duhr*, Jesuitenfabeln, 3 Aufl., Freiburg 1899. *Alexandre Brou*, Les Jésuites et la Légende, 2 vols, Paris 1906—1907. *Pilatus* (*Dr. Naumann*) Der Jesuitismus, Regensburg 1905.

gente Thienaea, et a Petro Caraffa, futuro Paulo IV Papa. Sunt autem *clerici regulares* et vocantur a nomine dioecesis Theatinae, cujus Caraffa fuit episcopus. Voto obligabantur ut nec reditus possiderent nec, quantum fieri posset, vitae subsidia a fidelibus peterent, sed solis eleemosynis sponte oblatis viverent. Occupabantur praedicando, confessiones audiendo etc. Videbatur esse ordo „seminarium episcoporum". Accrevit celeriter, praesertim tum quum Caraffa electus esset Papa, diffususque est per Italiam, Franciam, Austriam et Germaniam. Ursula Benincasa († 1618) familiam ejus muliebrem instituit [1]). Nostra aetate supersunt ordinis domus 10, cum sociis fere 100.

b. Ordinis S. Francisci reformatio una e solidissimis fuit **Capucinorum,** qui postea sui juris facti sunt. Ortum habent a Beat. Matthaeo Bassiano [2]), qui consentiente Clemente VII instruere reformationem coepit (1525—1528) [3]). Prima ordinis monasteria fundata sunt Monte Melonensi. Primordiis, domus omnes, quae reformationi accederent, fuerunt sub obedientia magistri generalis Conventualium, qui integrum fere saeculum supremus moderator mansit. Anno 1529 primum convenit capitulum generale, quo electus *vicarius generalis* est Matthaeus Bassianus, et constitutiones confectae, quae, saepius retractatae, approbatae sunt ab Urbano VIII. Harum summa est regula S. Francisci, secundum interpretationem Nicolai III († 1280) et Clementis V († 1314), nulla tamen admissa dispensatione papali [4]). Urgebant praesertim et diligentissime commendabant simplicitatem vitae et paupertatem, ut nec singuli religiosi, nec monasteria, nec ordo ipse universus ullius rei dominium possiderent. Gestabant cucullum oblongum eminueruntque modestia et vitae asceticae asperitate. Quibus egregiis virtutibus, tempore tribulationum, ordo ab exitio servatus est. Fundator ejus primusque *vicarius generalis*, Matthaeus Bassianus destitit ab opere suo et, anno 1537, rediit ad Observantes. Qui una cum eo ordinem fundaverat, alter *vicarius generalis*, Ludovicus Fossombrone defecit a vocatione.

---

[1]) *J. B. Bagatta*, Vita della Venerabile Ursula Benincasa, Roma 1696.
[2]) Acta SS. Boll. I Tom. August., p. 198 sqq.
[3]) Constit. *Religionis*, Bull. Rom. IV, I, 73.
[4]) Ordinationes et Decisiones Capit. general. Capucinorum, Romae 1851.

Quum tertius *vicarius generalis*, Bernardinus Ochino[1]), ad Calvinismum transfugisset, polygamiam defenderet et Papatum impugnaret, Paulus III, ordinem dirimere in animo habens, vetuit eos praedicare. Quo gravissimo experimento probatus, ordo brevi late diffusus est. Uno vix saeculo post fundatum ordinem, ejus fuerunt monasteria 1500, provinciis 50 dispertita. Jurisdictione generalis Conventualium exemit ordinem Paulus V, voluitque eum esse sui juris suumque proprium habere generalem. Magnum ordo contulit Ecclesiae emolumentum curandis animis, dandis missionibus inter fideles et infideles, moderando tertio ordine et etiam scientiis operam dando[2]). Anno 1894 ejus erant socii 8183.

Anno 1538 nata est familia muliebris Capucinarum, quae regulam servant St^{ae} Clarae.

S. Antonius Maria Zaccaria († 1539)[3]), cum Bartholomaeo Ferrari et Jacobo Antonio Morigera, condiderunt **Barnabitarum** ordinem *clericorum regularium*, qui etiam *Paulani* vocantur (1530). Scopus fuit morum emendatio, instructione et dandis missionibus obtinenda[4]). Confirmati a Clemente VII, anno 1533, et a Paulo III, anno 1535, Barnabitae brevi per Italiam, Franciam, Hispaniam et Austriam, sunt dilatati et eruditione et instructione eminuerunt. Supersunt nostra aetate eorum domus fere 30.

c. S. Philippus Nerius († 1595) condidit **Oratorianos**[5]). Consecratus sacerdos Romae, socius fuit societatis cujusdam presbyterorum vitam communem agentium, qui vocabantur a S. Hieronymo. Saepius convocabat sacerdotes et *clericos* ad exercitia spiritualia et colloquia. In his nonnumquam cum cantu musico narranda quaedam e S. Scriptura curavit atque

---

[1]) *K. Benrath*, Bernardino Ochino von Siena, Leipzig 1875, 2e Aufl., Braunschweig 1892.

[2]) *Dionysius a Genua*, Bibliotheca Scriptorum ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, Genuae 1680. Cf. *Hurter*, Nomenclat. literarius, Tom. I—II.

[3]) Lebensbeschreibung des hl. A. M. Zaccaria, Stifters der Barnabiten, Fulda 1900.

[4]) Constitutiones Clericorum regularium s. Pauli decollati, Mediolani 1617. *Ungarelli*, Bibl. script. e congr. cler. reg. S. Pauli, Bernae 1836.

[5]) *Marciano*, Memorie istoriche della Congreg. dell' Oratorio, 5 vol., Napoli 1693—1702.

ita principia posuit *Oratorii musici* (Giov. Animuccia et Palestrina)[1]). Quum consilium nonnulli cepissent agendi vitam communem orationis et curae animarum, ducente S. Philippo, oborta est congregatio Oratorianorum, quae, anno 1575 certa ordinatione instructa, a Gregorio XIII anno 1583 approbata, a Paulo V, probatis constitutionibus, solemniter est firmata. Summa regulae haec est. Sui juris sunt singulae domus. Vota non nuncupantur. Singulis domibus praeest superior, qui a solo episcopo pendet. Fuit aliquamdiu generalis Philippus Nerius, at postea id munus amplius non fuit. Diffusum Oratorium est per Germaniam et Austriam, postea per Angliam, Mexicum, Taprobanem etc. Multa bona perfecerunt Oratoria multosque pepererunt viros doctrina et fama celeberrimos (Baronium, Raynaldum, Morinum, Gallandum aliosque). In Francia Oratorianos[2]) instituit Petrus de Bérulle († 1629)[3]), anno 1611 primam societatem sacerdotum saecularium congregans, cujus approbationem obtinuit anno 1613. Discrepavit hoc oratorium ab oratoriis Italorum in eo, quod praesidebat generalis, qui sedem habebat Lutetiae Parisiorum. Tristissime autem accidit ut praeclarae institutionis gloria studiis Jansenisticis sit offusa. Sainte-Marthe generalis (1672—1696) non occultavit sua in Jansenismum studia. Qui ei successit, De la Tour (1696—1733), dux fuit certaminis adversus bullam *Unigenitus*. Quo tempore Lavalette generalis (1734—1772) erat oratorii, congregatio generalis tandem bullam recepit, haud paucis obsistere pergentibus. Ceteroquin etiam Gallicum Oratorium de studiis praesertim ecclesiasticis bene meruit. Aetatis suae flore Oratorium Italicum numerabat domus 150, quorum hodie supersunt amplius 50; Gallicum vero, tempore solutionis (1792), constabat domibus 70. Novi oratorii (Gratry † 1872) nonnullae tantum domus sunt (1852).

d. Pro missionibus ad populum **Lazaristae**[4]) instituti sunt

---

[1]) *Hilgers*, Der h. Philipp. Neri, der Apostel Roms im 16 Jahrh., Stimm. a. M.-L., 1894.

[2]) *A. Perraud*, L'Oratoire de France au XVII et au XVIII siècle, 2e éd., Paris 1866. *Batterel*, Mémoires domestiques pour servir à l'hist. de l'Oratoire, 4 vols, Paris 1902—1906.

[3]) *Tabaraud*, Hist. de Pierre de Bérulle, Paris 1817. *Houssaye*, Vie du Cardinal de Bérulle, 3 vols, Paris 1872.

[4]) Mémoires de la Congregation de la Mission, 9 vols, Paris 1863.

a S. Vincentio a Paulo[1]), qui, anno octavo post conditam congregationem, ejus obtinuit approbationem ab Urbano VIII (1632). Proprium eorum nomen est *sacerdotes missionis*. Inde vero ab anno 1632, quum Parisiis collegium *Si Lazari* occupassent, nomen iis vulgo Lazaristarum est inditum. Quo tempore e vivis cessit sanctus fundator (1660), socios numerabat congregatio 600 et magno Ecclesiae emolumento fuit, quum in Francia tum alibi. Saeculo praesertim XVIII valde excrevit, at revolutione exstincta est in Francia. Fuerunt ibi ejus eo tempore domus 60, in aliis regionibus fere 120. Non nuncupant superiori sua vota simplicia Lazaristae, nec libere reditibus suis uti possunt, servant tamen bonorum suorum dominium. Per quartum votum spondent se totam vitam dandis populo missionibus impensuros.

Anno 1642 Joannes Jacobus Olier († 1657)[2]) instituit **Sulpitianos,** seu congregationem Si Sulpitii, quae regendis seminariis dedita, saeculo amplius integro sacerdotes magno numero formaverat, quum revolutio ejus Seminaria 15 occlusit sociosque, qui erant numero fere 200, dispersit. Anno 1816 ad idem opus iterum admissa, famam pristinam et existimationem tuita est. Etiamnum vitam communem socii agunt, voto nullo ligati, gubernant plura seminaria in Francia, in finibus Canadensibus et Statibus Foederatis Americae, et eorum haud pauci scientiarum eruditione eminuerunt.

e. Sacerdotum saecularium congregationem aliam constituerunt oblati S. Ambrosii, postea **oblati S. Caroli Borromaei**[3]) vocati a nomine fundatoris (1578). Solebant curae animarum incumbere. Congregatio, cujus numquam fuerunt valde frequentes socii, anno 1844 dissoluta, post annos 4 redintegrata est. Postea nonnullae in Anglia ejus fuerunt domus. Suadebatur sociis ut voverent paupertatem, jubebantur autem voto spondere perseverantiam in congregatione.

---

[1]) *Maynard*, St. Vincent de Paul, sa vie, son temps, ses oeuvres, son influence, 4 vols, Paris 1860. *E. de Broglie*, Saint Vincent de Paul, Paris 1897.

[2]) *Faillon*, Vie de M. Olier, 3 vols, 4e éd., Paris 1823. *Letourneau*, La mission de J. J. Olier et la fondation des grands séminaires en France, Paris 1906. *L. Bertrand*, Bibliographie sulpicienne, ou hist. littéraire de la Compagnie de Saint-Sulpice, Paris 1900.

[3]) *R. Rossi*, De origine et progressu congregationis oblatorum SS. Ambrosii et Caroli, Mediolani 1739.

f. Praestantior omnium certe est congregatio Sanctissimi Redemptoris, vulgo **Redemptoristarum** [1]) dicta, condita a S. Alphonso Maria de Liguori [2]). In Italia meridionali, anno 1732 Scalae instituit domum missionariorum pro populo, et 1735 alteram Ciorani, ut neglectorum pauperum animis auxilia salutis praeberet. Utens consiliis Thomae Falcojensis, e congregatione *piorum operariorum*, futuri episcopi Castellamarensis, elaboravit statutum Alphonsus [3]), cujus approbationem accepit, anno 1749, a Benedicto XIV. Anno 1762 renuntiatus episcopus St^{ae} Agathae Gothorum, gubernare congregationem perrexit. Sub vitae finem gravissime Alphonso et congregationi accidit, ut a regni administro Tanucci repulsam tulerit manendi et laborandi in finibus Neapolitanis, eo quod congregatio eadem esset ac Jesuitarum. Quod quidem facile, sed incassum, refutavit Alphonsus. At qui successit administer Sambuca, amicus congregationum, votis Alphonsi satisfecit (1779). Tum tamen inopportune socii aliqui petierunt ut regulae approbatione regia firmarentur. Quare, addito *regolamento*, Sambuca institutum nonnihil immutavit. Socii in finibus Neapolitanis degentes id cum apposita conditione acceperunt, qui vero in terris pontificiis laborabant omnino respuerunt. Unde non potuit in congregatione non nasci scissio, quam non vidit Alphonsus ablatam. Obiit anno 1787, in ea parte congregationis, quam Papa non legitimam habebat, cui tamen anno 1791 Pius VI facultatem fecit redeundi ad pristinam unitatem. Alphonsus anno 1871 est *doctor Ecclesiae* declaratus. Congregationis deinde perficiendae et dilatandae auctores fuerunt Clemens Maria Hofbauer († 1820), anno 1909 a Pio X sanctorum numero

---

[1]) *F. Ratte,* Der hl. Alphonsus und der Redemptoristen-orden, Luxemburg 1887.

[2]) *Tannoza,* Mémoires, 3 vol., Naples 1793—1802. *Dilgskron,* C. SS. R., Leben des hl. Bischofs und Kirchenlehrers Alphonsus Maria de Liguori, 2 Bde, Regensburg 1887. *Berthe,* Vie de S. Alphonse de Liguori, 2 vol., Paris 1900. *Kronenburg,* De h. Alphonsus de Liguori (naar het Fransch), 2 Dl., Leiden 1901. *Capecelatro,* S. Alphonse de Liguori, trad. fr. *Le Monnier,* 2 vol., Bruges 1895.

[3]) Statutum et constitutiones edita sunt Monachii 1863.

additus, et P. Jos. Const. Passerat. Vita defungente S. Alphonso, Congregationis socii fuerunt fere 200, domibus 10 dispertiti. At, saeculo currente XIX, diffusa est per universum terrarum orbem et nostra aetate provinciis 12 partitos socios numerat fere 3000. Quorum non solum missionibus ad populum uberrimi sunt salutis collecti fructus, sed praestans etiam fuit in literis et scientiis labor. Exempla enim S. fundatoris secuti, plurimi eorum scientia ecclesiastica colenda eminuerunt. Praeter tria religionis vota nuncupant Redemptoristae votum quartum perseverandi, quo simul obligantur ne ambiant dignitatem, beneficium aut munus ecclesiasticum, neve id suscipiant nisi jussi a Papa vel a generali (Rectore majore). Huic in regendo assistunt consiliarii sex, a capitulo generali electi. Rector major nominat provinciales, rectores et magistros novitiorum, eique incumbit singulis annis per seipsum vel per allegatos singulas domus visitare[1]).

Jam anno 1730 Scalae instituta est congregatio **Redemptoristinarum,** quam S. Alphonsus intulit S^am^ Agatham (1766). Hodie sunt earum monasteria 14. Vitam agunt contemplativam[2]).

Pro missionibus S. Paulus a Cruce, anno 1725, condidit congregationem **Passionistarum**[3]), quibus simul injunxit piam passionis dominicae memoriam promovendam. Domus matrix Romae est, ad St. Joannem et Paulum. Late diffusa congregatio non est. Hodie ejus sunt domus 30, provinciis 8 discretae. Regula primum a Benedicto XIV, dein, crebris factis mutationibus et mitigationibus, anno 1769 a Clemente XIV et 1785 a Pio VI confirmata est. Passionistae sandaliis incedunt, gestantque in pectoris parte sinistra depictam imaginem SS^i^ Cordis cum instrumentis passionis, cui subscriptum nomen „Jesus".

2^0. Ad emendandam et perficiendam **instructionem juvenum** multae sunt congregationes institutae:

---

1) De discrimine inter Redemptoristas et Jesuitas vide *Heimbucher*, 1e Aufl., II, 304—305.

2) *Dumortier*, Les premières Rédemptoristines, Lille 1884.

3) *Mitterrutzner*, Der hl. Paul vom Kreuz, Innsbruck 1860. *Pius a Spiritu Sancto*, The life of St. Paul of the Cross, Founder of the Passionists, Dublin 1868. *Louis de Jésus Ag.*, Saint Paul de la Croix, 4e éd., Paris 1888.

a. S. Hieronymus Aemiliani[1]) († 1537) fundavit *clericorum regularium* ordinem **Sommaschorum**[2]). Initio solis orphanis educandis, curandis pauperibus et aegrotis intenti, postea etiam pueros instruendos sumpserunt. A Paulo III firmati et a Pio V ad ordinis religiosi dignitatem evecti, cum regula S. Augustini, diffusi sunt per Italiam, Franciam, Austriam et Helvetiam. Hodie supersunt in Italia domus 20.

b. Anno 1592, auctore Caesare de Bus[3]) et aliquibus ejus familiaribus, orta est in Francia congregatio **Patrum doctrinariorum** (Pères doctrinaires, Prêtres séculiers de la doctrine chrétienne), quam probavit anno 1597 Clemens VIII. Paulo ante, similem congregationem instituerat in Italia (1586) Cusani. Anno 1747 utramque ad unam sociavit Benedictus XIV, cui nomen dedit *Doctrinariorum* (Doctrinaires, Dottrinarii), discriminans eam provinciis quatuor (Romana, Parisiensi, Avenionensi, Tolosana), quibus postea adjunctae Neapolitana et Piemontana. Sedem habebat magister generalis Parisiis. Revolutione pars Gallica exstincta est, Italica hodie superest languens[4]).

c. S. Joannes Baptista de la Salle[5]) fundator est congregationis, cui nomen **Fratrum scholarum christianarum**[6]) (Frères des écoles chrétiennes), quam probavit anno 1724 Benedictus XIII. Defuncto fundatore, anno 1719, etiam extra Franciae fines permanavit congregatio. Tempore revolutionis periclitata, sed non exstincta, diffundi perrexit. Paucis annis abhinc, ejus erant domus 1300, quarum socii fere 12000, ut fuerit omnium maxima virorum congregatio. Domus matrix Parisiis est (rue Oudinot). Praeter vota tria faciunt fratres

---

[1]) Acta St. Boll., Tom. II Febr., p. 217 sqq. *Hubert*, Der hl. Hieronymus Aemiliani, Mainz 1895.

[2]) Constitutiones Clericorum reg. congreg. Sommaschorum et doctr. christ. in Gallia, Venet. 1624.

[3]) *Beauvais*, Vie du P. César de Bus, Paris 1645.

[4]) Constitutiones saecularium presbyt. doctr. christ., Romae 1857.

[5]) *Blain*, La vie du vénérable serviteur de Dieu J. B. de la Salle, Versailles 1887. *Guibert*, Le B. Jean-Baptiste de la Salle, Paris 1900.

[6]) Die christlichen Schulbrüder, gegründet von de la Salle, 2 Bde, Augsburg 1844. Annales de l'Institut des Frères des écoles chrétiennes (1679—1725), 2 vol., Paris 1883. *A. Deloire*, Saint Jean-Baptiste de la Salle (1651—1719), 3e éd., Paris 1906.

quartum, quo obligantur ad instructionem dandam gratuitam. Praeest congregationi Superior Generalis, ad vitam electus, cui auxiliantur assistentes 12. Singulis annis visitantur domus; instructio fit ad propriam rationem, quam excogitavit fundator et descripsit in libello „institutio scholarum christianarum"[1]).

d. **Piaristae**[2]) originem habuerunt Romae a S. Josepho Calasanza[3]), anno 1597. Initio fuit sacerdotum saecularium congregatio, sed Paulus V anno 1617 voluit esse congregationem regularium, quae esset sui juris; quin 1621 ei contulit dignitatem ordinis, deditque omnia privilegia ordinum mendicantium. Dicuntur *Regulares pauperes Matris Dei scholarum piarum.* Ex Italia manavit ordo per Bohemiam, Germaniam et Hungariam (1634). At gravi tempestate fuit tentatus. Unus e sociis, Marius Sazzi, invidia motus, sanctum generalem semovendum et visitationem instituendam curavit. *Visitator*[4]) sanctum virum defendit, ordo tamen redactus est ad conditionem congregationis presbyterorum saecularium. At, qui ordini favebant, Alexander VII et Clemens IX, pristinam ei dignitatem reddiderunt, quam usque in nostra tempora retinuit. Multa salutaria in populo scholis suis ordo perfecit. Supersunt provinciae quatuor, quae tamen languent. Tribus votis addunt quartum: „*Curae circum puerorum eruditionem secundum formam Brevis Pauli V*".

e. Ex institutionibus muliebribus, **Ursulinarum**[5]) ordo primo loco collocandus est. Fundatrix S. Angela de Merici[6]) est, quae anno 1535, Brixiae piam societatem instituit, „quae exerceret caritatem christianam curandis aegrotis et erudiendis puellis et simul propriae saluti et sanctitati incumberet". Societati patronam dedit S. Ursulam. Ex regula, approbata a Pontifice anno 1544, vivebant sorores non com-

---

[1]) Conduite des Ecoles chrétiennes, par *J. B. de la Salle*, Avignon 1720.

[2]) *Seyfert*, Ordensregeln der Piaristen oder der Väter der frommen Schulen, Halle 1783—1784.

[3]) *Hubert* Der hl. Joseph Calasanza, Stifter der frommen Schulen, Mainz 1886.

[4]) *Boëro S. J.*, Sentimenti e fatti del P. Pietrasanta, Roma 1847.

[5]) *St.-Foix*, Annales de l'ordre de Ste Ursule, Clermont-Ferrand 1858. *Postel*, Histoire de Sainte Angèle Merici et de tout l'ordre des Ursulines, 2 vol., Paris 1878.

[6]) Geschichte der hl. Angela und des von ihr gestifteten Ordens, Innsbruck 1893.

muniter, sed apud parentes aut alibi. Suadebatur iis ut servarent castitatem, paupertatem et obedientiam tanquam consilia evangelica. Induebantur vestitu saeculari nigro cum velo translucido. Superiorissa generalis eligebatur ad vitam, dabanturque ei assistentes quatuor. Superiorissas locales vocabat fundatrix *colonellas*. Hae Ursulinae valde accreverunt per Italiam, auctore praesertim S. Carolo Borromaeo. Quum etiam in Franciam transiissent, mox, auctore Caesare de Bus, vitam communem inierunt. Prima domus fundata Insulis Venetis (Isle de Venise), altera Aquis Sextiis et plures aliae. Inde venerunt (1608) Parisios[1]), ubi P. Gontery S. J. cum aliis patribus, principio sumpto a regula S. Augustini, constitutiones composuerunt[2]). Obtenta facultate Pauli V, hae sorores, die 13 Junio 1612, nuncuparunt tria vota *solemnia* et quartum „de instruendis puellis". Quod fuit initium congregationis Parisiensis, quae postea numeravit domus 84. Congregatio Lugdunensis (1610) numeravit fere 100, Tolosana (1615) 26, Burdigalensis 89 etc. E Francia hae Ursulinae *regulares* manarunt per Neerlandiam et Germaniam. Prima erecta domus est Coloniae 1639. Florentissima sua aetate, Ursulinarum ordo numeravit congregationes 20 et sociarum 15 ad 20 millia. Non regularium, i. e. quae vitam communem non agebant, quaeque praesertim in Italia et Helvetia puellarum instructioni incumbebant, numerus fere fuit aequalis. Revolutione fere totus ordo exstinctus est. Anno 1805, nova instituta est congregatio Chavagnes. Hodie utriusque generis Ursulinarum numerus est fere 4500, domibus 240 distinctus.

f. **Ordo Visitationis** natus est anno 1610, auctore S. Francisco Salesio[3]) et S. Joanna Francisca de Chantal[4]). Quae fuit primordiis simplex congregatio, factus est,

---

[1]) *Dupanloup*, Die sel. Maria von der Menschwerdung in der Welt Frau von Acarie, Köln 1860. *H. de Leymont*, Madame de Sainte Beuve et les Ursulines de Paris 1562—1630, Lyon 1889.

[2]) Constitutions des Religieuses de S^e^ Ursule de la congrégation de Paris, Paris 1640. Règlements des Religienses Ursulines de la congrégation de Paris, Paris 1676. Directoire des novices, Paris 1664.

[3]) *A. de Margerie*, St. François de Sales, 5 éd., Paris 1901.

[4]) *Bougaud*, Hist. de Ste Chantal et des origines de la Visitation, 13e éd., 2 vol., Paris 1899.

anno 1618, ordo cum clausura, sub regula S. Augustini. Institutionis etiam finis mutatus est, quum, pro curatione aegrotorum, instructionem puellarum assumeret (1638—1639). Ingens fuit in dilatando ordine sanctae superiorissae Joannae Franciscae assiduitas et sagacia. Vita defungente S. Francisco Salesio, ordinis erant monasteria 13, quorum numerus, inter vivos degente Joanna Francisca, ad 87 excrevit. Effloruit postea ad 200, quorum hodie 120 supersunt. Visitationis domus singulae sui juris sunt, etsi domus princeps Anneciana majore dignitatis amplitudine gaudet. Domibus singulis constituit episcopus „patrem spiritualem", qui a consiliis est et visitator, nisi ipse episcopus hoc officio fungatur. Celeberrima e sororibus Visitationis est Beat. Margareta M. Alacoque, quae, annos nata 24, ordinem Paredii ingressa, anno 1690 defuncta est, anno 1864 inter beatas virgines relata[1]).

g. Ad instruendas puellas, anno 1609, Maria Ward[2]) monasterium condidit Audomaropoli (St. Omer). Dabant sibi sorores nomen Jesuitissarum, et diffusae sunt brevi per Angliam, Germaniam et Italiam. Maria adiit Romam, confirmationem sui instituti petitura. At eo erant delatae querelae, propterea quod, non petita venia Ecclesiae, monasteria haec fuerant instituta. Urbanus VIII anno 1630 congregationem dissolvit. Tum sorores aliquot convenerunt Monachii[3]), sub jurisdictione episcopi, factis votis simplicibus, vitam communem agentes. Constitutiones earum et regulae 81 magnam partem, mutatis mutandis, mutuatae sunt e regulis Societatis Jesu et approbatae sunt a Clemente XI (1703). Etiamnunc satis numerosa congregatio est, in Bavaria praesertim, ubi, dispertitae domibus 74, sorores 1500 instruendis puellis operam dant.

h. S. Petrus Fourier[4]), una cum Alice le Clerc[5]),

---

[1]) *A. Hamon*, Vie de la bienh. Marguerite M. d'après les manuscrits etc., Paris 1907.

[2]) *Mary Chambers*, Leben der Maria Ward, ed. *P. Coleridge S. J.*, 2 Bde, Regensburg 1888—1889.

[3]) *Leitner*, Gesch. der englischen Fräulein und ihrer Institute seit ihrer Gründung bis auf unsere Zeit, aus Quellen dargestellt, Regensburg 1869.

[4]) *Rogie*. Hist. du B. P. Fourier, 3 vol., Verdun 1887. *Don Vullemin*, Saint Pierre Fourier, Paris 1897. *Pingaud*, Saint Pierre Fourier, 4e éd. Paris 1902.

[5]) Alice le Clerc, dite en religion Mère Thérèse de Jésus, 2 vol., Liège 1889.

instituit Portu suavi (Possy) congregationem **Canonissarum B. Virginis**, quae etiam finem sibi proposuit instruendi puellas, atque anno 1615 a Paulo V approbatione firmata est. Celeris fuit ejus propagatio, ita ut anno 1681 numeraverit domus fere 80 et, erumpente revolutione, ad 90 usque, quarum incolae erant sorores 4000. Etiamnum congregationis sunt in Europa domus 80, in America 70. Optime meruerunt sorores de instructione christiana. Petrum fundatorem Leo XIII in canonem sanctorum retulit.

3°. Ad **curandos aegrotos.**

a. S. Camillus de Lellis [1]) instituit anno 1584 **Camillianos** [2]), seu *clericos regulares ministrantes infirmis*. Ea societas a Sixto V firmata (1586), a Gregorio XIV ad dignitatem ordinis evecta est (1591). S. Camillus ipse († 1614) provincias 5 erexit. Inde ab anno 1677 diffusus ordo est per Lusitaniam, Hispaniam et Americam. Nostro tempore non amplius gaudet prosperitate. Ex Hispania pulsus, magno adhibito labore, tandem ante annos aliquot iterum eo intravit. In Italia ejus domus 30 difficile aluntur. In Francia sunt domus 4, in Neerlandia 2.

b. **Sorores caritatis** [3]) (Soeurs, Filles de la charité) patrem habent S. Vincentium a Paulo, qui anno circiter 1620 cum Mad. le Gras [4]) fundavit congregationem ad curandos pauperes et aegrotos. Ipse Vincentius regulam composuit, anno 1668 a Papa approbatam. Anno 1721 fuerunt congregationis domus jam 300, anno 1790 ad 500. Hodie ejus in Europa sunt sorores 30.000, estque prae ceteris omnibus undique per terrarum orbem dispersa. Domus in variis regionibus praecipuae fere non pendent a domo Pariensi (Rue du Bac) suntque singulae sui juris. Patrem tamen omnes S. Vincentium venerantur. Pauperibus et infirmis ministrant, hinc inde tamen etiam instructione puellarum occupantur.

---

[1]) *W. Bäumker*, Der hl. Camillus von Lellis und sein Orden, Frankf. Zeitgem. Br. 1887, Bd. IX, 2. *Zimmermann*, Der hl. Camillus de Lellis, Freiburg 1887.

[2]) *Solfi*, Comp. historico della rel. de Chierici Regolari Ministri de gli infermi, Mondovi 1689.

[3]) *Fleischman*. Die barmherzigen Schwestern, eine Darstellung ihrer Gründung, Verbreitung, Einrichtung und Wirksamkeit, Mainz 1842.

[4]) *Richemont*, Hist. de Mad. le Gras, 4e éd., Paris 1894.

c. Solis curandis aegrotis incumbunt **Fratres S. Joannis de Deo**[1]), qui anno circiter 1540 nati sunt Granatae in Hispania. Pius V congregationi dedit nomen et honorem ordinis religiosi et regulam Augustinianorum. Urbanus VIII addidit privilegia mendicantium (1624). Dilatatus ordo est per universam Europam, et etiamnunc ejus sunt domus 120, provinciis 11 partitae. Generalis degit Romae (Calybita), ubi fratres vulgo appellantur *fate bene Fratelli* vel *Benfratelli*.

d. Memorari hic etiam debent **Sorores caritatis S. Caroli Borromaei,** quae, currente saeculo XVII, Nanceii institutae, nostra aetate florent magna prosperitate, praesertim in Germania[2]).

4°. His aliisque societatibus, magna sollicitudine et industria reformandis emendandisque moribus incumbentibus, **antiquiores ordines** ad eadem conamina propellebantur.

a. Ordo **Carmelitarum**[3]), medio saeculo XVI, peperit S. Theresiam[4]). Quae primum monasterium monialium reformatum condidit Abulae (1563). Deinceps plura alia sunt nata. In reformandis monasteriis virorum, auxilio ei fuit S. Joannes a Cruce[5]). Jam anno 1580 potuit constitui provincia monasteriorum reformatorum. Defuncta S. Theresia (1582), opus inchoatum perfecit S. Joannes a Cruce, eo successu ut anno 1588 *Carmelitis discalceatis* datus sit *vicarius generalis* et 1593 *generalis*. Nostra aetate distinctus ordo est provinciis 8, non tamen valde frequentatis. Extra provincias praeterea plures sunt ejus prioratus et monasteria.

b. Secundo loco memorandae sunt **reformationes Benedictinorum**[6]). Posteaquam Concilium Tridentinum redintegraverat decretum Lateranensis IV statueratque ut monasteria omnia

---

[1]) *Saglier*, Leben des hl. Joannes von Gott, Regensburg 1881. Acta SS. Boll., Tom. I Mart., p. 809 sqq. Constituzioni dell' ordine del devoto Giovanni di Dio, Roma 1589.

[2]) *Hohn*, Die barmh. Schwestern v. hl. Karl Borr., (1652—1900), Trier 1900.

[3]) *Van der Moere*, Acta SS. Boll., Tom. VII Oct., p. 109—790.

[4]) *Graham*, Santa Teresa, being some account of her life and times, together with some pages from the history of the last great reform in the religious orders, 2 vol., London 1894. Chroniques de l'ordre des Carmélites de la réforme de Sainte Thérèse depuis leur introduction en France, Poitiers 1887 ss.

[5]) *Lechner*, Der hl. Joannes v. Kreuz, 3 Bde, Regensburg 1858.

[6]) *Heimbucher*, II Aufl., I Bd., Paderborn 1907, p. 298 sqq.

exempta in *congregationes* coirent, utque intra annum et deinceps singulis trienniis capitulum generale haberetur et sollicite singula monasteria visitarentur[1]), evenit in ordine Benedictinorum ut oriretur ingens ad perfectiora studium. Jam anno 1564 convenit *congregatio Suevica*, quam approbavit anno 1603 Clemens VIII. Exeunte saeculo XVI et ineunte XVII, aliae congregationes 14 natae sunt[2]). Magni momenti fuit, instituta (1600) prope Verodunum, **congregatio Sanctorum Veneti et Hidulphi,** quam anno 1604 approbatione firmavit Clemens VIII, deditque ei privilegia congregationis Montis Cassini. Monasteria 40 ei se brevi adjunxerunt. Fundator, nomine Didier, obiit 1623; sed ejus congregatio, donec 1892 exstincta est, famam scientiae et accuratae disciplinae claustralis retinuit. Etiam magis innotuit celebris **congregatio S. Mauri** [3]), in quam anno 1618 monasteria Benedictinorum Francogallorum magno numero coierunt. Primum impulsum dederat jam relatus Didier abbas. Excrevit celeriter congregatio ejusque fuerunt, aetate florentissima, monasteria 191, quorum nullum monachos infra 9 numerabat. Tabuit autem causa Gallicanismi et Jansenismi, qui invaserunt monasteria, et exstincta est revolutione. Superior generalis cum sociis 41 mortis supplicio peremti. At hujus congregationis fama superest operibus multis celeberrimorum virorum, Coustant, Montfaucon, Garnier, D'Achéry, Mabillon aliorumque.

Aliam Benedictinam congregationem inierunt **Mechitaristae** [4]), nati anno 1701 Constantinopoli. Habent nomen a fundatore Mechitar[5]) Armeno († 1749), qui populi sui penuriae scienti-

---

[1]) Sess. 25, cap. 8 de ref.

[2]) Vide praesertim Revue Bénéd., Tom. X—XIV et XVI et Studien u. Mittheil. aus dem Bened. und Cisterc. Orden, Bd. VII, IX, X, XIX, XXII, XXIII et XV.

[3]) *Besse*, Les fondateurs de la congrég. de St. Maur. Revue des sciences ecclés., 1902, II, 143 sqq. *De Broglie*, Mabillon et la Société de l'abbaye de St. Germain des Prés (1664—1707), Paris 1888. *Bäumer*, Dom Mabillon und die Mauriner Kongregation, Hist. Pol. Bl., Bd. 105—106. Cf. Studien etc. et Revue Bénéd. *Chavin de Malan*, Hist. de Dom Mabillon et de la congrégation de Saint-Maur. Paris 1843.

[4]) *Hennemann*, Das Kloster der armen Mönche auf S. Lazzaro, Venedig 1872—1881. *Scherer*, Die Mechitaristen in Wien, 5e Aufl., Wien 1892.

[5]) Vita del servo di Dio Mechitar, Venezia 1901.

ficae mederi tentavit. Constat congregatio sociis circiter 150, provinciis duabus, Veneta et Vindobonensi, distinctis. Famam sibi compararunt abbatiae Vindobonensis et S[i] Lazari (San Lazzaro), ob instituta studia historiae Armenae et literarum.

c. Neque minus salutaris coepit in **Cisterciensium** ordine reformatio. Prima patrem habet Joannem de la Barrière († 1600), qui in suo monasterio Beat. Mariae Fuliensis instituit congregationem **Fuliensium** [1]) (*Feuillants*) (1580). Sixtus V anno 1589 eam confirmavit, statuitque ut, quae ad eam accederent monasteria, a Cisterciensi abbatia non penderent. Currente saeculo XVII, altera *Fuliensium* congregatio nata est in Italia. Quae accrevit ad monasteria 43. Franco-Gallicae congregationis fuerunt domus 31. Nullum ex iis superfuit revolutioni et bellis Napoleonticis in Italia.

Secundiora sortiti sunt **Trappistae** [2]), etiamnunc florentes. Appellantur hoc nomine *Cistercienses*, reformati a De Rancé [3]) in monasterio La Trappe (1664). Eorum vitae ratio est, quae primitus fuit Cistercii, constatque diuturno silentio, abstinentia, manuum labore et choro. Vitam probaverunt Innocentius XI (1678) et Clemens XI (1705) [4]). Passu valde tardo processit haec reformatio. Post revolutionem tandem effloruit in aetatem prosperam. Sunt ejus hodie in Europa religiosi fere 2500, monasteriis 44 dispertiti, et domus 14 in missionibus exteris. Congregationes omnes, inde ab anno 1892, in unum ordinem sunt colligatae, cui nomen: *Ordo Cisterciensium reformatorum seu strictioris observantiae.* Praeest abbas generalis, vivuntque ex constitutionibus retractatis.

---

[1]) *Bazy*, Vie de Jean de la Barrière, Toulouse-Paris 1885. Constitutiones congreg. B. M. Fuliensis Romae, 1595.

[2]) La Trappe, origine, esprit, organisation actuelle, par un Trappiste de Sept-Fons, Paris 1870. *Heimbucher*, I[2], 460.

[3]) *Dubois*, Hist. de l'abbé de Rancé et de sa réforme etc. 2 vol., Paris 1869. De Rancé scripserat: unicam scientiam Trappistarum futuram ut cognoscerent Dominum Jesum crucifixum. His se opposuit Mabillon, praesertim in opere suo praeclaro: Tractatus de studiis monachorum, Parisiis 1691. De Rancé huic scripsit Responsum, Parisiis 1692. Postea in partem controversiae vocati sunt Ruinart, Massuet, Sainte Marthe; Tillemont ejusque frater et De Vert stabant a partibus de Rancé. Cf. *Didio*, La querelle de Mabillon et l'abbé de Rancé (Revue des sciences ecclés., 1892). Hodie etiam Trappistae parent decreto Pii X, de quadriennio studiis theologicis impendendo.

[4]) Règlements généraux de l'abbaye de la Trappe, 2 vol., Paris 1701.

Jam vivo de Rancé, reformatus ordo habebat familiam muliebrem (1689), cujus hodie sunt sociae 900.

---

§ 157. **Missiones exterae.**

Hahn, Geschichte der kath. Missionen seit Christi Geburt bis auf unsere Zeit, 5 Bde, Köln 1857—1865. *Henrion*, Histoire générale des Missions catholiques, 2 Tom., 4 vol., Paris 1846—1847. *Marshal*, Les Missions chrétiennes, trad. franç. *De Waziers*, 2 vol., Paris 1865. *Civezza*, Storia universale delle missioni francescane, 9 vol., Firenze 1883—1896. *Werner*, Katholischer Missionsatlas, 2 Aufl., Freiburg 1885. *Karl Streit*, Katholischer Missionsatlas enthaltend die gesammten Missionsgebiete des Erdkreises, Steyl (Holl. Limburg) 1906. *Piolet S. J.*, Les Missions, Paris 1900 sqq., 6 vol., 4⁰. *Joly*, Le christianisme en extrême Orient I. Les missions catholiques de l'Inde, de l'Indo-Chine, de la Chine, de la Corée, Paris 1907. *Idem* Le christ. etc., II. Mission calholique du Japon, Paris 1907.

1⁰. Inventa a Christophoro Columbo [1]) **terra Americana,** Builum Benedictinum, *vicarium apostolicum*, in novas terras misit Papa. Qui comes ejus fuit, Perez de Marchana, primum sacellum aedificavit in Hispaniola (San Domingo). Hieronymitae quoque et praesertim Franciscani magna industria, etsi primordiis non cum multo successu, ibidem laborarunt (1502). Anno 1510 in Hispaniola Dominicani fundarant missionem, anno proxime sequente in dioeceses duas divisam. Quae maxime conversioni incolarum obstabant, negotiationem mancipiorum et Europaeorum avaritiam, omni ope missionarii impugnaverunt. In quo labore eminuerunt Dominicani Petrus de Corduba et Antonius de Montesino. Quum autem sensim desisterent ab Indis in servitutem redigendis Europaei, coeperunt invehere servos Aethiopes. Utrique indignitati obstitit celeberrimus Chiapatanus (Mexico) episcopus, Bartholomaeus de las Casas O. P. (1474—1566) [2]), qui omni qua potuit ope

---

[1]) *Gaffarel*, Histoire de la découverte de l'Amérique depuis les origines jusqu'à la mort de Christophe Colomb, 2 vol., Paris 1892.

[2]) *Baumstark*, Barth. de las Casas, Bischof von Chiapa, Freiburg 1879. *A. Helps* The life of Las Casas, London 1883. *A. Gutieney*, Fray Bartolomé de las Casas, Madrid 1878. *A. M. Falié*, Vida y escritos de Fray Bartolomé de las Casas, 9 vol., Madrid 1879. Las Casas, Historia de las Indias, 5 vol., Madrid 1875. *Mandonnet*, Les Dominicains et la découverte de l'Amérique, Paris 1893.

conatus est victorum crudelitatem moderari. Non sunt conversi multi, propterea quod Indi, detestando saevos Europaeos, non potuerunt non odisse eorum sacra. Optime de his regionibus meruerunt Dominicani, qui non solum in pluribus insulis (San Domingo, Porto-Rico, Cuba) et in multis terrae Americanae partibus (Venezuela, Mexico, Florida) primi fidem Indis praedicarunt, sed etiam, resistendo crudelitati mercatorum et defendendis humanitatis juribus, viam aperuerunt, qua posterioris temporis missionarii incedentes facilius Indos ad fidem adducerent. Plures eorum crudeliter ab Indis necati sunt, resistendo mercatoribus, qui per fraudem comprehensos incolas in servitutem abducebant.

2°. Excreverunt in immensum missiones, quum ordines recentiores antiquioribus auxilio venerunt. Quae Ecclesia per pseudo-reformationem perdiderat in Europa, cum usura ei reddita sunt in novis illis terrarum partibus. Ex ordinibus saeculi XVI prae ceteris missionarii Societatis Jesu eminuerunt. Multum etiam labori incubuerunt Capucini, etiam Lazaristae S. Vincentii a Paulo (1624). Egregie meruit de missionibus, anno 1622, Gregorius XV, instituenda *Congregatione de propaganda fide*[1], cui dedit anno 1627 Urbanus VIII seminarium proprium (*Collegium Urbanum*) propriamque pro missionariis officinam typographicam. Parisiis nata est, anno 1663, *Societas Missionum exterarum* (*Société des Missions étrangères*)[2], cujus socii, sparso etiam sanguine, missionariorum labores foecundarunt[3]. Anno 1703 Parisiis quoque erectum est *Seminarium S. Spiritus* (Séminaire du Saint-Esprit), et alibi aliae multae societates ortae sunt, quae, quamquam non pari numero sociorum, pari tamen zelo et industria collaborarunt ut fidem per ethnicas illas nationes propagarent[4].

Evangelizantibus aliis ordinibus, praesertim Dominicanis,

---

[1]) *O. Mejer*, Die Propaganda, 2 Bde, Göttingen 1852.

[2]) *A. Launay*, Histoire générale de la Société des Missions étrangères, 3 vol., Paris 1895. *Idem*, Les bienheureux de la société des Missions étrangères, Paris 1900.

[3]) La salle des Martyrs du séminaire des Missions étrangères, Paris 1865. Fere 80 eorum martyres occubuerunt.

[4]) Missiones catholicae ritus latini descriptae, Romae 1886 sqq., ubi collegia recensentur.

praeter insulas multas, etiam Venezuelanam (1512), Mexicanam (1526, Thomas Ortiz) et alias Americae, praesertim mediae, terras (Guatemala, Dominicus de Betanza, Columbia, Thomas de Toro († 1536) etc.), multisque nascentibus episcopatibus, quorum episcopi plurimi Dominicani fuerunt, anno 1549 Jesuitae in partem laborum pro *America* praesertim *meridionali* advenerunt. Duce P. Emmanuele de Nobrega, horum missionarii sex, in Brasiliam ingressi, sederunt Bahiae, quae post biennium, incolarum parte ad fidem conversa, facta est sedes episcopalis, cui praepositus est vir egregius Sardinha. Eminuerunt prae ceteris Jos. Anchieta, Ant. Pireo, Lorenzana, Montoya et Diaz Tano[1]). P. Azevedo cum sociis 39, in itinere, martyrio coronati sunt (1570). Illustres fuerunt labores sancti episcopi Turibii Limani[2]), qui anno 1582 cum aliis episcopis sex synodum provincialem habuit.

Fines *Peruanos* intrarant (circa 1530), cum Pizarro, Dominicani Pedrazza aliique, qui, strenue laborantes multosque ad fidem adducentes, florentissimam ibidem missionem fundarunt. Anno 1550 Dominicanorum in ista regione fuerunt monasteria 18, domus minores 10 et una universitas Limana, instituta auctore P. Thoma de S. Martino. Floruerunt ibi, praeter jam relatum Turibium episcopum, Patres Bartholomaeus Vargas, Dominicus de S. Thoma aliique. Floruit etiam, tertii ordinis S. Dominici, S. Rosa Limana († 1617). Exeunte saeculo XVI, inchoarunt Jesuitae collegia in civitatibus Cusco et Paz. E Franciscanis, prae ceteris eminuit S. Franciscus Solano († 1610).

Occupati a Belalcazaro territorii *Quitensis* (Ecuador), anno 1534, primus apostolus fuit Alphonsus de Montenegro O. P. Qui cum sociis suis annuntiato Evangelio, usque ad recens conditam civitatem Guayaquil, etiam trans montes Cordilleras convertendis ferocibus Jivaris incubuerunt. Multas perpessi sunt angustias missionarii, quum ob iteratas montium eruptiones, tum ab avaritia saeva Europaeorum et a ferocia

---

[1]) Materiaes e Archègas para a hist. e geogr. do Brasil, Tom. I—II, Rio de Janeiro 1886.

[2]) *Bérengier*, Vie de S. Turibe, archev. de Lima, Poitiers 1872.

indigenorum, quos exasperarant tyranni Hispani. Prudens tamen eorum constantia obstacula cuncta superavit, fidemque tam altas fecit agere radices, ut ad hodierna tempora duraverit.

Nec minores aerumnas subierunt Patres Dominicani in finibus *Chilensibus*, occupatis a Petro de Valdivia, qui condidit civitates Santiago (1541), Conception (1550) et Valdiviam. Aerumnarum causa praecipua fuit Araucanorum et Promacanorum ferocia, qui, moti odio in Hispanos, multos saepe trucidarunt. Anno 1593 venerunt Jesuitae, opus convertendi feros indigenas perfecturi. Penetrarunt etiam ad Cordillerorum tribus. Multi eorum saeve necati sunt. Sed identidem novi missionarii, in locum occisorum suffecti, tandem vicerunt. Instituerunt collegia et seminaria in civitatibus Lima et Mejico et mirabili splendore vitam christianam efflorescere fecerunt. Anno 1610 fuerunt in America meridionali archiepiscopatus 5, episcopatus 27 et monasteria 400.

Territorium *Granatense novum* (Columbia) excoluerant, inde ab anno 1525, Dominicani aliique religiosi. Anno 1562 Cartagenam appulit S. Ludovicus Bertrandus O. P.[1]), praeclarissimus omnium hujus regionis apostolus, alter Franciscus Xaverius appellatus. Summo labore, multisque expositus periculis, terras omnes circumjacentes variasque ferocium indigenarum tribus obiens, ad 150.000 ethnicos baptizavit, donec anno 1569 in Hispaniam rediit. In laborum partem venerunt Jesuitae. Sandoval S. J. annis septem baptizavit ibidem Aethiopum 30.000. Prae aliis omnibus hunc apostolatum obiit S. Petrus Claver S. J.[2]) († 1654), quem Summus Pontifex declaravit patronum omnium ad Nigritas missionum.

Terra *Guyanensis* fidem recepit a Capucinis et Jesuitis (1643). At quum Hollandi Calvinistae terram occupassent, lenta et difficilis fuit fidei diffusio. Praeclarissimus missionarius fuit P. Crevilly S. J. († 1718). Reductiones Kuruenses celeberrimae fuerunt. Interierunt autem omnes, mota tempestate persecutionis in Societatem (1762)[3]).

---

[1]) *Wilberforce*, Vie de saint Louis Bertrand, trad. franç. *Folghera*, Paris 1898.
[2]) *Solá*, Vida de san Pedro Claver, Barcelona 1888.
[3]) Mission de Cayenne et de la Guyane Française, Paris 1857, (ubi invenitur magni ponderis relatio P. Delleprat S. J. anni 1655).

Inter celeberrimas missiones numerandae sunt *reductiones Paraguanae*. Prima fidei semina ibi sparsit P. Ludovicus Bolaños Franciscanus. Pauco tempore post advenerunt Jesuitae. Quorum generalis Aquaviva censuit reductiones faciendas esse. Prima instituta est 1609 nomine *Lauretanae*. Creverunt sensim numero ad 33, quarum aliquae in finibus Uruguanis. Supputabantur, florentissima aetate, incolae 150.000. Regis imperio subjectae, regebantur a missionariis. Ad annum usque 1764, Jesuitae 29 in finibus Paraguanis pro praedicanda fide necati sunt. Saluberrimum opus dirutum est, quum Jesuitae 1767 in Europam pellerentur. Novorum missionariorum labores successum non habuerunt [1]).

Respublica *Argentiniana*, exeunte saeculo XVII, fidem recepit a Dominicanis, qui, pluribus aedificatis monasteriis, (Buenos-Ayres, Cordoba, Tucuman etc.) diuturnam uberemque operam incolarum saluti impenderunt.

Californiae [2]) incolarum ferocia diuturna posuit obstacula. Anno demum 1697, Jesuitae aliique collegerunt fructus uberiores. Ibi quoque in reductiones collecti sunt incolae. Quarum anno 1717 fuerunt 17. Inde ab anno 1744, una quotannis reductio addebatur.

Primus in territorio *Canadensi* [3]) Evangelium praedicavit P. Massé. At Anglorum incursiones, annis 1613 et 1628, incepta omnia irrita fecerunt. Occupata vero terra a Francogallis, anno 1632 missio redintegrata est. Multorum missionariorum sanguinis pretio stetit hujus regionis conversio. Celeberrimi missionarii, Patres S. J., Jogues (1646), Daniel (1648), Brébeuf (1649), Lallemant (1649) crudeliter trucidati sunt. Quorum tamen sanguis semen fuit christianorum. Etenim praesertim post annum 1670 florentes conversorum coetus nati sunt. Invectum tamen vinum e frumento adustum, attulit grave obstaculum. Nec minora hostilis Anglorum agendi ratio. Suppressio tamen Societatis (1773) gravissima fuit missioni clades.

---

[1]) *Cardiel S. J.*, Obra inedita. Declaracion de la verdad, Buenos-Aires 1900 (ed. *Hernandez S. J.*). *De Lambel*, Le Paraguay, Tours 1878. De ordinatione reductionum vide praesertim P. Florian Bauke, ein Jesuit in Paraguay, Gütersloh 1893.

[2]) *Clinch Brian*, Hist. of California and its missions, 2 vol., S. Francisco 1904.

[3]) *De Rochemonteix*, Les Jésuites et la Nouvelle France au 17e siècle, 3 vol., Paris 1895. Cf. Zeitschr. f. kath. Theol., 1897, p. 264 sqq.

Louisiana insulaeque *Mississippi* inventa sunt (1673) a P. Marquette S. J. In qua regione inchoata est missio anno 1699, duodeviginti annis post condita New-Orleans (1717). Multas Jesuitae stationes disposuerunt, sed laborum successibus impedimento fuerunt bella et invecta vina e frumento.

Vastae regionis, qua hodie continetur respublica *civitatum Unitarum*, primae fidem receperunt eae partes, quae vocantur *Maryland* et *Pensylvania*. Jam anno 1643, cum colonis Anglicis venerunt Jesuitae. Sed retardabatur valde eorum salubris actio persecutione Anglica. Quum, anno 1783, provinciae 13, libertatem sibi vindicarent, vix fuerunt ibi catholici 25 ad 30 millia.

2°. **Asia** [1]. Jam inde ab exeunte saeculo XIII, aliqui missionarii Franciscani et Dominicani conati sunt **Indos** [2] ad fidem perducere. Praedicarunt in finibus *Meliapour* et *Malabar*. Plures eorum martyrii palmam receperunt. At novo ardore suscepta est missio ineunte saeculo XVI. Novo enim itinere ad Indos invento, fere statim cum exploratoribus Hispanis et Lusitanis profecti sunt missionarii. Anno 1503, cum Alphonso Albuquerque advenerunt Dominicani de Sousa aliique, qui primi fuerunt apostoli in Kotsjin, Ormuz (1507) et Goa (1510). Anno 1534, erectus est episcopatus Goanensis, cujus fines patebant a Sina ad promontorium Bonae Spei. Cui vastae dioecesi institutum est anno 1541 seminarium. At tum demum uberrime florescere coepit missio, quum anno 1542 eo appulit **S. Franciscus Xaverius** S. J. [3]. Qui, mensibus sex impensis ut Goanorum mores emendaret, dein, vastissimam oram Piscatoriam obiens, anno uno et dimidio (1542—1544) immensam multitudem, integros pagos unum post alterum baptizavit, ita ut fessum brachium erectum tenere non posset. Sex mensium spatio in Travancore sacella aedificavit 45 (1544), dein praedicavit in Meliapour,

---

[1]) Lettres édifiantes et curieuses écrites des Missions étrangères, Lyon 1819. Mémoires des Indes, Tom. 6—8. Mémoires de la Chine, Tom. 9—14.

[2]) De his missionibus et earum literatura vide opus praemio ornatum *Müllbauer*, Gesch. der kath. Missionen in Ost-Indien, München 1851.

[3]) *W. v. Nieuwenhoff*, Leven en brieven van den h. Franciscus Xaverius, Apostel van Indië en Japan, Amsterdam 1895. *Cros*, Vie de Saint François Xavier, 2 vol., Paris 1900.

Malacca, in insulis Archipelagi Moluccani, ad promontorium Comorinum, in insula Taprobane, et Bassein, ac praedicando et patratis sine numero miraculis, millenos incolas Ecclesiae generavit. Xaverii socii, quae ipse in Indiis inchoarat, persecuti sunt. P. Casparus Barzaeus[1]), oriundus e Zelandiae oppido Gusa, insulam urbemque Ormuz convertit operatusque dein est Goae. Plures e Societate Jesu, profuso pro fide sanguine, martyres occubuerunt (Criminale, Ribera, Mendez, beati R. Aquaviva, Pacheco, Berna, Francisco et Aranha[2]). Jam anno 1557 Goano archiepiscopatui additae erant sedes episcopales suffraganeae Malacca et Kotsjin. In provincia Goanensi, societatis Jesu erant stationes 15, missionarii 280 (1619). Franciscani quoque et Dominicani cum uberrimo fructu convertendis his populis laborabant. Cujus rei testes fuerunt erecti episcopatus Macaensis (1576), Cranganorensis (1600), Meliapourensis (1606). Madurensis missio erecta et ad magnam perfectionem exculta est a P. Roberto de Nobili[3]). Per *systema*, quod vocabatur *accommodationis*[4]), sustulit obstacula, quae perpetuo conversioni objiciebantur, a discrimine ordinum (castae) quibus incolae erant distincti. Notavit ordines esse institutiones sociales, a moribus christianis non alienas. Prudentia usus, vitabat agere quae Hinduenses detestabantur. Alii multi missionarii in his ab ipso dissenserunt. At Bellarminus, Claudius Aquaviva generalis et praesertim Gregorius XV (constitutione *Romanae sedis*) ejus agendi modum probaverunt. Plures annos continuos laboribus institit de Nobili ac Brahmanorum fere centies mille Ecclesiae aggregavit. Defunctus anno 1656, reliquit opera majora et minora novem, conscripta sermone Sanscritico classico et Tamulico. Postea de *ritibus Malabaricis*, quos de Nobili ad *systema accommodationis* adegerat, gravis oborta est controversia. Auctore Tournon, legato a *latere*, misso a Clemente XI (1706), et P. Norberto (Platel), reprobati sunt ritus, eamque sententiam, provocantibus

---

[1]) *W. van Nieuwenhoff*, Caspar Berse, Rotterdam 1870.

[2]) De Zal. Rud. Aquaviva, miss. der Soc. van Jezus en zijne gezellen, martelaars, door *H. T.* S. J., Brugge 1893.

[3]) Die kath. Missionen, 1875.

[4]) *Müllbauer*, op. cit., p. 171 sqq.

ad S. Sedem missionariis, confirmavit Clemens XI (1715)[1]) et Benedictus XIV (1744)[2]), ita ut, revocata constitutione Gregorii XV, *ritus Malabarici* partim sint damnati et interdicti. Quae controversia sententiaque, simul cum incursionibus Hollandicis et Anglicis, magna missioni nocumenta pepererunt. Postea multos baptismate regeneravit beat. Joannes de Britto[3]) († 1693). Provincia Malabarica Soc. Jesu anno 1619 jam numerabat domus 14, missionarios 150. S. Franciscus Xaverius praedicavit etiam in insulis *Archipelagi Indici* (Amboina, Ceram, Ternate, Moro) (1546—1547). Qui ei successerunt, ad alias quoque insulas fidem intulerunt, ita ut anno circiter 1596 fuerint in insulis istis Soendanis catholicorum 25 ad 30 milia. At Lusitanis victis a Calvinistis Hollandicis, prosperitate perpetua crescens missio diruta est. Pulsis e finibus missionariis, plurimi christiani deportati sunt in Malaccam et insulam Taprobanem.

Japones[4]) quoque a S. Francisco Xaverio fidem receperunt. Mense Augusto 1549 appulit Kagosimam et, acriter resistentibus bonziis, tamen plurimos millenos a Confucio et Boudha ad Christum traduxit, in provinciis Amanchuchi et Bungo. Fuerunt etiam e principibus, qui Christo nomen dederint. Post Franciscum, P. de Torres aliique subeuntes continuarunt opus conversionis effeceruntque ut Japoniae una fuerit e florentissimis missionibus. Anno 1579, jam ejus fuerunt 150 milia catholicorum. Principes tres, anno 1585, legationem obierunt Romam[5]). Quin spes vera affulsit fore ut summus princeps Nobunanga converteretur. At dejectus est regno a Taicosama, anno 1587. Inter missionarios eminuerunt

---

[1]) Bulla *Ex illa die.*

[2]) Constit. *Omnium sollicitudinum.* Cf. *Müllbauer*, p. 262 sqq.

[3]) *Gourdin S. J.*, Voyages et missions du Père A. de Rhodes S. J., en la Chine et autres royaumes de l'Orient, Lille 1884.

[4]) *Dahlmann*, Stimm. a. M.-L., 1906, Heft 8. *Crasset*, Histoire de l'Eglise du Japon, Paris 1715. *Charlevoix*, Hist. de l'établissement, des progrès et de la décadence du christianisme dans l'empire du Japon, Rouen 1715. *Haas*, Gesch. des Christentums in Japan, Berlin 1902, sqq. De miraculis S. Francisci Xaverii, Cf. Anal. Boll., 1897, p. 52 sqq. P. Tacchi Venturi S. J. Il carattere dei Giapponesi secondo i missionari del secolo XVI. Civ. Catt. 1906 Tom. I.

[5]) *Boncompagni-Ludovisi*, Le prime due ambasciate dei Giapponesi in Roma (1585, 1615), Roma 1904.

de Torres († 1570), Vilela († 1570) et Valignani († 1606). Erumpente prima persecutione, 25 Julio 1587, in Japonia erant ecclesiae fere 300 et christianorum numerabantur amplius 200 milia. Primo edito decreto, multi martyres occubuerunt et ecclesiae 70 dirutae sunt. Interposita mora, redintegrata est persecutio, anno 1597. Prioris persecutionis causa fuit Taicosamae voluptas ejusque metus ne exteri dominarentur; altera autem persecutio mota est ex eo, quod missionarii nonnulli Franciscani imprudenter egissent et mercatores Calviniani Hollandici tyrannum ad saeviendum in catholicos concitarent. Celeberrimi martyres Japonenses, Franciscani 23 et Jesuitae 3, prope Nangasaki crucibus suffixi necatique sunt[1]). Multo tamen saevior fuit persecutio tertia (1612—1622). Milleni mortem pro fide servanda obierunt. Celebriores referuntur Petrus de Assumptione Franciscanus, J. B. Tavora Jesuita, Alphonsus Navarete Dominicanus, Ferdinandus de S. Joseph Augustinianus, uno die capite plexi; Zuniga Franciscanus, Flores Dominicanus, igne cremati mense Augusto 1622. Die 10 Sept. 1622, Dominicani Franciscus de Morales, Alphonsus de Meria aliique, Franciscani Petrus d'Avila, Richardus de S[a]. Anna aliique, Jesuitae praeter alios beati Carolus Spinola et Sebastianus Kimura aliique fideles, universi martyres 250, vario mortis genere necati sunt, inter quos infantes 33 igne exusti.

Perpetuo tamen crescebat fidelium numerus fuitque, anno circiter 1625, sexcentorum milium. Anno 1637 interdictum est omnibus exteris, ne fines Japonicos intrarent. In terra Arimensi adeo sunt fideles angustiis pressi, ut Simabarae structis munimentis se defenderent. Mutua dederunt Japonensibus bellica tormenta sua Hollandi, ut, immissis globis, fideles oppugnarentur. Dedecus intulerunt Hollandi famae suae, quod in investigandis fidelibus opitulati sunt; quod, ne aditus ad Japoniam sibi occluderetur, abstinuerunt a sanctificando die Dominico, ab exercitiis religiosae pietatis in navibus suis, imo vero ab usu chronologiae christianae. Dum in tertia persecutione, e solis Jesuitis, 80 martyres obierunt, Hollandi intererant solemniis *Jesumi* (i. e. conculcandae crucis), quam fieri Japones jusserant ut probarent suspectos de christianismo. Utrum mercatores Hollandi ipsi

---

[1]) *Rump*, Die Japanischen Martyrer, Münster 1862.

quoque crucem conculcarint, satis in comperto non est. Interfuisse solemniis, constat. Quum ageretur de faciendo foedere (1855—1856), tum primum Hollandi postularunt ut haec caeremonia, christiano animo alienissima, abrogaretur[1]. Severissimae leges tamen efficere non valuerunt ut fides penitus evanesceret. Anno 1856 inveniebantur in vincula conjecti Nangasakii 70. Anno demum 1873 leges infensae abrogatae sunt.

Propterea quod e Japonensibus nonnulli fidei resisterent eo, quod et Sinenses quoque cultui Confucii et Boedhae inhaererent, S. Franciscus Xaverius in fines **Sinae**[2] intrare conatus est. At obiit in insula Sancian (2 Dec. 1552), ex adverso *imperii caelestis*. Post annos 30 demum successit Matthaeo Ricci S. J.[3] cum legatis in imperium Sinense introire. Literatorum vestitu, incredibilibus superatis periculis et aerumnis, iter in Pekinensem civitatem confecit. Ut posset populo praedicare, intravit aulam, nomine tituloque mathematici et philosophi. Principes tres et mandarinos multos Ecclesiae adjunxit, eorumque magno praesidio missio usa est. Anno 1605 fuit Pekini congregatio B. Mariae V. Vita defungente Patre Ricci (1610), in sola provincia Keang—Nan numerabantur ecclesiae 30; sex annis post distinguebantur provinciis quinque ecclesiae 300. Inter successores Ricci prae ceteris eminuit vir scientiis eximie eruditus, Pater Adam Schall[4], qui collectam in scientiis mathematicis famam propagandae verae fidei servire fecit. Aedificatis ecclesiis et multis infidelibus conversis, obiit anno 1666. Qui ei successit in collegio mathematicorum aulae, P. Ferdinandus Verbiest[5], magnam sibi auctoritatem

---

[1]) *Van Haren*, Recherches historiques sur l'état de la religion chrétienne au Japon relativement à la nation hollandaise, Paris 1778. *Baron de Hübner*, Promenade autour du monde, 2 vol., Paris 1888, Tom. II, p 110 sqq., p. 135. *Kaempfer*, De beschrijving van Japan, Amsterdam 1733, bl. 238 sq.

[2]) *Bartoli*, Della Cina, vol. I—IV, Torino 1825 sqq. *Launay*, Histoire des missions de la Chine, Paris 1903. *F. M. Gentili*, Memorie di un missionario dominicano nella Cina, 3 vol., Roma 1887. *André-Marie*, Missions dominicaines dans l'extrême Orient, 2 vol., Lyon-Paris 1865.

[3]) *Ch. de Sainte-Foy*, Vie du R. P. Ricci, apôtre de la Chine, Paris 1859.

[4]) *Duhr*, Neue Documente zur Gesch. des P. Adam Schall (Zeitschr. f. kath. Theol., 1901, p. 330 sqq.).

[5]) *Rabbaey*, Zendeling en sterrekundige, of Ferd. Verbiest S. J., van Pithem, Brugge 1903.

gratiamque consecutus est, invento tormento bellico habili valde, atque ideo magnae utilitatis ad opprimendos seditiosos. Tum temporis impedimenta non objiciebantur fidei diffundendae. Mortuo P. Verbiest (1688), erexit Alexander VII episcopatus Pekinensem et Nankinensem, suffraganeos Goanensis.

At, inde ab anno 1625, Dominicani Hispani ex insulis *Philippinis* et Franciscani in imperio Sinensi missionibus operam dabant. Post breve tempus accusarunt Jesuitas, de nimia indulgentia in tolerando Sinensium cultu majorum defunctorum[1]). Unde orta controversia de *ritibus Sinicis.* Patres Moralez et Diaz Dominicani profecti sunt Romam, de negotio ad S. Sedem relaturi. Innocentius X edixit (1645), ne permitterentur ritus. Petierunt Jesuitae ut nova institueretur disquisitio, cujus exitus fuit decretum S. Inquisitionis, approbatum ab Alexandro VII (1656), quo aliqui e ritibus permittebantur, alii damnabantur. Paucis annis post, negotio iterum tractato, Vicarius Apostolicus Fokiennensis, Maigrot (e Societate missionum exterarum) obtinuit a *legato a latere* de Tournon decretum, quo decisiones superiores iterabantur (1707). Quod decretum confirmavit Clemens XI (bulla: *Ex illa die* 1715) et rem universam diremit Benedictus XIV, constitutionibus 1742 et 1744, quae etiam nunc pro lege valent[2]).

Anno 1722, imperio potiti sunt principes christianismo infensi. Vehemens excitata persecutio annos decem duravit. Magno numero principes et mandarini, non minus quam homines vulgares, laeto animo sanguinem pro Christo profuderunt. Tyranni assecuti sunt quae volebant; amplius enim dimidio saeculo fideles manserunt pastoribus destituti.

In insula **Taprobane** (Ceylon) missio diuturna non fuit. Incepta anno 1546, duos post annos jam numerabat fidelium 12 milia. Anno 1602, Franciscanis auxilio venerunt Jesuitae. Multi

---

[1]) *Brucker*, art. Chinois Rites) in Dict. de Théol. cath. *Hergenröther-Kirsch*, IV Aufl. Freiburg 1907, Tom. III, p. 426 scribit: ,,Bereits seit 1631 waren auch Missionäre anderer Orden in China thätig, von denen es vielen an Klugheit gebrach; fast schien es als seien sie gekommen, zu ernten, wo sie nicht gesäht hatten, Streitigkeiten zu erregen und den Fortgang des Bekehrungswerkes zu hemmen."

[2]) Const. *Ex quo singulari* 1742. *Daniel S. J.*, Recueil de divers ouvrages, Paris 1724. Tom. III. *Pray*, Hist. Controversiarum de ritibus Sinicis, Pestini 1789.

Boedhistae sunt conversi, multi etiam missionarii necati. Occupata insula ab Hollandis, inchoata est persecutio. Per vim ad Calvinismum incolae sunt traducti (1656). Quae tamen fides ad intimos animos non penetravit [1]). Anno 1796 ditionis Anglicae facta est insula, cui post annos decem concessa est libertas cultus. Deinceps inde dilabente protestantismo, catholica fides revixit.

Insulae **Philippinae** [2]), inventae anno 1521 a Magelhaens et anno 1571 ditionis Hispanicae factae, a Dominicanis fidem receperunt, qui multi crebresque missionum laboribus intenti, brevi tempore multos Ecclesiae filios addiderunt. Urbs princeps Manilla facta est, anno 1579, sedes archiepiscopalis, cujus Dominicus de Salasar primus fuit archiepiscopus, cuique anno 1595 additi sunt episcopatus suffraganei tres: Caceres, Nueva Segovia et Cebu. Erant tum temporis fideles numero 400.000. Fuerunt tamen etiam missionarii ab infidelibus pro fide necati, P. Alphonsus Garcia cum fratre Onuphrio, anno 1625, P. de Sancta Maria, anno 1670, P. Perez, anno 1684, aliique. Manillae Dominicani monasteria tria fundarant, fuerunt magistri in Universitate, habueruntque collegium florentissimum. Alii quoque ordines religiosi missionarios miserunt, Augustiniani, Franciscani, Jesuitae, quorum omnium communibus laboribus fidelium numerus ad 4.000.000 accrevit. Fuit haec missio una e perfectissimis. Nostris autem temporibus, insulis ditionis Statuum unitorum Americae factis, in grave discrimen incidit, quum ob penuriam sacerdotum tum ob protestantismum inductum [3]).

---

[1]) *Marshall*, Les missions chrétiennes, Tom. I, p. 323 sqq.

[2]) *Blair and Robertson*, The Philippine Islands 1493—1898, Vol. I—III (1493—1605), Cleveland 1902—1904. *J. Ferrando e J. Fonseca*, Historia de los Padres Dominicanos en los islas Filipinas y en sus missiones del Japan, China, Tung-kin y Formosa, 6 vol., Madrid 1870. *Colin*, Labor evangelica de las obreros de la Compania de Jesús, en las islas Filipinas, nova ed., 3 vol., Barcelona 1904.

[3]) *Joly* in opere relato, in capite hujus §', accusat missionarios, quod non curaverint efformare hierarchiam indigenam, dicitque hanc causam fuisse cur, oborta persecutione, fides deficiens non steterit. Optime his respondit *A. Brou S. J.* (Etudes etc., 1907, III: le péché des missionaires. Cf. Studiën, Jg. 39, Dl. 68, a. 1907, p. 244), cogitatione comprehendi non posse, omnes omnium ordinum missionarios, Franciscanos, Dominicanos, Jesuitas aliosque omnes

3°. **Africa** [1]). Inde a saeculo XIII in *Mauritania* praedicaverunt Franciscani. Posteriore tempore, Joannes de Prado in odium fidei est necatus, conatique sunt nonnulli Dominicani incolas ad fidem adducere, fueruntque qui sanguinem profuderint. Missio tamen successum non habuit. *Abissinii*, medii aevi aetate, profitebantur Eutychianismum, quem non destruxerunt Mahumetani. Ineunte saeculo XIV, Dominicani in his finibus monasteria et missiones fundarunt (1316). Post saecula duo, quum Abissinii, auxiliantibus Lusitanis, jugum servile Mahumetanorum a cervicibus suis dejecissent, eo advenit patriarcha Nugnez S. J., cum P. Oviedo S. J. (1555). Fuerunt labores multi, multus sanguis profusus. P. Paez S. J. vidit sementem adolescere et regem ipsum rectae fidei nomen dare (1589). Anno 1624, ecclesia Abissinica catholicam se esse declaravit. Mendez patriarcha factus est. At seditionem movit populus et, post mortem Socinii regis (1632), missionarii pulsi sunt; tum, regnante Facilidas ejus successore, nonnulli martyrio interemti. Anno 1572, Franciscani tres in terras penetrarunt nonnullosque in aula regia fidei conciliarunt, at exire iterum debuerunt, cum Jason rex jam ad Papam nuntium subjectionis misisset. *Insulis Oceani Indici* fidem intulerunt Francogalli (1715). Post Anglorum occupationem, fideles a fide non defecerunt (Port Louis, in insula Mauritio, insulae Seychellae, Réunion). In insula Madagascar, anno 1648, Lazaristae missionem ordinarunt [2]). Quum, anno 1674, Francogalli essent pulsi, ad annum 1815 mansit insula missionariis orbata. *In oris Africae orientalibus*

---

eadem peccasse, aut non perspexisse utile, vel, si id volunt, necesse fuisse ut formaretur clerus indigenus, aut, si perspexerint, nullo modo id perficere esse conatos. Omnes enim pari ardore, quaecumque possent, impendisse ut fides in illis regionibus non modo diffunderetur, sed etiam stabili situ firmaretur. Quare concludendum, missionarios prudenti consilio existimasse, perspecta incolarum indole parum stabili, sine periculo integritatis incolumitatisque fidei hierarchiam indigenam praeponi indigenis non posse. Cf. praesertim opus recentissimum *A. Huonder S. J.*, Der einheimische Klerus in den Heidenländern, Freiburg 1909, in quo non solum exponitur quid in singulis missionibus senserint missionarii, sed etiam quos conatus et ob quas causas frustratos adhibuerint.

[1]) Le Baron *Léon de Béthune*, Les missions catholiques d'Afrique, Lille 1889. *Külb*, Die Reise der Missionäre nach Africa vom 16 bis 18 Jahrh., Regensburg 1861 sqq.

[2]) *Froidevoix*, Les Lazaristes à Madagascar au XVII siècle, Paris 1903. Suau S. J., Madagascar, Paris 1907.

(Zanzibar et Mombas) Franciscanorum et Augustinianorum missio, exeunte saeculo XVII, numeravit fere 1200 fideles; sed saeculo XVIII diruta est, invadentibus Mahumetanis. In oris *Mozambicis* jam praedicaverat S. Franciscus Xaverius (1542), et postea celeberrimus P. Gonzales de Silveira († 1561)[1], qui penetravit in aulam regni *Monomotapae* en in fines *Congicos*. Annis 1554 ad 1626, in his terris Congicis episcopi octo, alius post alium, laboraverunt. Plures etiam alii Jesuitae, quorum fuerunt stationes in oris Mozambicis (*Quilimane*, *Tete*, *Senna*) et ad flumen *Zambesi;* quarum vestigia Livingstone adhuc reperit. Dominicani etiam in his regionibus in partem laborum venerunt. Anno 1632 Patres Ignatius de S. Thoma, Emmanuel Sardigna et Salvador Rosarii imperatorem Monomotapae, cum domesticis suis et populi parte, Ecclesiae aggregarunt. Ultimus missionarius P. Thoman S. J. pretium recepit laborum in castello S. Juliani, auctore Pombal in vincula conjectus. Ora Africae ad *occidentem* spectantes repertae sunt anno 1484. Praedicaverunt ibi Dominicani aliqui et Franciscani. Anno 1559, venit *Angolam* allegatus Lusitanus cum Jesuitis quatuor. Vincere feritatem incolarum non potuerunt. Quadriennio post, pari modo cedere debuerunt alii missionarii. Anno tamen 1596, Angola sedes episcopalis facta est et incolae multi sunt conversi. Anno 1759, jussu Pombal, Jesuitae egredi debuerunt et Capucini in eorum locum, quantum fieri potuit, successerunt. Ora *Guineensis* primum missionarium habuit Bareira S. J. et, anno 1634, praefectura apostolica ibidem constituta est. Anno 1636, Capucini praedicarunt in *Senegambia*, anno 1648 in *Benin* et anno 1649 usque in *Loango*[2]). At Hollandi, mox occupatis factoriis, missionem destruxerunt. Incassum, anno 1667 proximisque, missionarii tentaverunt opus suum instaurare. Itaque fines isti, sicut etiam *Jubae* et *Ardrah* (hodiedum *Dahomey*), usque ad nostra tempora manserunt missionariis destituti.

---

[1]) *B. de Cienfuegos*, Vida del Padre Gonzales a Sylveira, Madrid 1614.

[2]) *Royart*, Histoire de Loango, Cacongo et autres royaumes d'Afrique, Paris 1776.

CAPUT QUARTUM.

Scientia et artes ecclesiasticae. Vita religiosa et moralis.

§ 158—§ 160.

§ 158. Scientia ecclesiastica.

Hurter, Nomenclator literarius theologiae catholicae, Tom. I sqq. ed. 2a, Oeniponte 1892 sqq.; ed. 3, 1903 sqq. *Dejob*, De l'influence du concile de Trente sur la littérature et les beaux arts chez les peuples catholiques, Paris 1884. *Werner*, Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur, Bd. IV, Schaffhausen 1865. *Idem*, Geschichte der katholischen Theologie in Deutschland, 2 Aufl., München 1889. *Féret*, La faculté de théologie de Paris et ses docteurs les plus célèbres. Epoque moderne, Vol. I—III, Paris 1901—1904. *Hézard*, Histoire du catéchisme depuis la naissance de l'Eglise etc., Paris 1900.

1⁰. Instituta recta reformatione, sucus, per omnes Ecclesiae nervos commissurasque perfusus, haud minimam suam virtutem prodidit luxuriante **ecclesiastica scientia.** Ad quem excitandum florem causae variae contulerunt. Imprimis ipse spiritus ecclesiasticus, qui diu quasi aegrotus decumbens, tandem sanatus surrexit. Ordines religiosi antiquiores expergefacti sentiebant quae sui essent officii. E recentioribus aliqui certamini scientifico duces se praebuerunt. Undique excitatus ardor clerum quoque saecularem incendit. Scientiarum munimine instructi, primum impetiverunt protestantismum, qui doctissimos viros ad certandum provocavit. Dein, certis formulis descripta concilii Tridentini decreta certantibus non solum animos addiderant fiduciamque, sed etiam omnium voluntates et consilia ita conjunxerant, ut eadem via ad idem obtinendum tenderent. Fortiter vindicabantur dogmata oppugnata; plenius et uberius quam unquam antea enucleabatur Ecclesiae doctrina. Reformatores non solum impugnarant auctoritatem tradi-

tionis, sed etiam S. Scripturae vim deminuerant, mutato ad arbitrium textu et rejectis integris libris. Quamobrem, saeculis XVI et XVII, theologiae studia facta sunt magnam partem *positiva* et *polemica*, tamen ita, ut studia *speculativa* non modo non negligerentur, sed potius egregie excolerentur. Scientiae theologicae partes accuratius quam antea discriminabantur, ita ut studendi methodus explicatius coleretur. Nec parum emolumenti studiis illis attulerunt controversiae domesticae inter doctores catholicos. Thomistarum et Scotistarum scholae perrexerunt certare de rebus tum philosophicis tum theologicis. Sed his certaminibus similes obortae sunt inter Thomistas (Bañez) et Molinistas controversiae, quibus gratiae et praedestinationis ratio catholica diverse a diversis exponebatur. Pauco tempore post, de re morali certaverunt probabilistae et anti-probabilistae. Quibus rebus, cogitando, oppugnando, defendendoque multa cogitata nova excitata esse facile patet. Praeterea, sermone novo ac forma, scripta theologica demonstrant efficientiam humanismi. Scientiae autem ille motus imprimis agitabatur in regionibus Europae meridionalibus, partibus ad septemtriones spectantibus tamen postea etiam in partem laborum accedentibus.

2°. In **theologia speculativa** primae partes sunt tribuendae **Francisco Suaresio** S. J. († 1617), qui fere totum theologiae ambitum complexus est. Laudantur in scriptis ejus cogitandi profunditas, qua ad ima argumenta penetrat eaque quasi exhaurit, eloquendi deinde luciditas et scriptorum veterum, quum Patrum tum scholasticorum, singularis notitia [1]). Celebrati manserunt ejus commentarii in S. Thomam et *Disputationes metaphysicae*. Pari fuit honore dignus **Joannes de Lugo** S. J. († 1660), ingenio acuto et perspicaci, inventione felici et subtili, ut eum S. Alphonsus appellaverit primum inter theologos [2]). Opera ejus multa sunt [3]). His addendi, qui pariter fuerunt Societatis Jesu Socii, **Ludovicus Molina** (natus 1540), auctor celebris illius operis: *De liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione concor-*

---

[1]) Opera omnia, Parisiis 1856 sqq. Opuscula sex inedita ed. *Malou*, Bruxellis 1859.

[2]) Theologia Moral. lib. III, n. 552.

[3]) Opera omnia, Parisiis 1868, Tom. 8 in 4°.

dia [1]); doctrina claruit **Leonardus Lessius** († 1623), magister Lovaniensis, qui praeter alia multa opera scripsit *de perfectionibus moribusque divinis* [2]); Martinez Ripalda, notissimus propter opus ingens *de ente supernaturali* [3]), et Jacobus Laynez († 1565), celeberrimus suis in Tridentino concilio laboribus, cujus recenter primum editae sunt *Disputationes Tridentinae* [4]). Referendi deinde Gabriel Vasquez († 1604) [5]), auctor ille ingenio ex se fertili et acuto, et praestantissimi plures ex ordine Praedicatorum theologi, noti tum propter propria opera tum propter commentarios in S. Thomam. Inter quos imprimis memorandus Thomas de Vio, dictus **Cajetanus** († 1534), ob celeberrimum commentarium in Summam theologicam S. Thomae, et Silvester Ferrariensis († 1528), ob commentarios in summam contra gentiles. Novam viam aperuit **Melchior Cano** († 1560) opere: *De locis theologicis libri XII* [6]). Cum hoc laboraverunt in concilio Tridentino Dominicus († 1560) et Petrus († 1563) de Soto, quorum prior praesertim claruit scriptis philosophicis, alter, etsi non pari mensura, theologicis libris. Subtiles commentarios, tum in S. Thomam tum in Aristotelem, reliquerunt Martinus Ledesma († 1574) [7]), Bartholomaeus de Medina († 1581) [8]), Dominicus Bañez († 1604) [9]). Praeclarissimus fuit Joannes a S. Thoma († 1644), qui Lovanii theologica studia perfecit et annos triginta docuit scripsitque. Notissimus est ejus *Cursus theologicus*, seu commentarius in Summam S. Thomae [10]). Memorandi etiam sunt Thomas de Lemos († 1629), cujus est *Panoplia gratiae*, Gonet († 1681), qui concinne et clare thomisticam doctrinam

---

1) Ulisippone 1588; Parisiis 1877.

2) Antverpiae 1620; Friburgi 1861; Parisiis 1881.

3) Parisiis 1870 sq. Tomi 4 in fol.

4) Ed. *Grisar*, Oeniponte 1886, Tomi 2.

5) Opera omnia, Lugduni 1631, Tomi 10 in fol.

6) Opera omnia, ed. *Cucchi*, Romae 1890.

7) In 4 libr. Sent., Conimbricae 1555; 1560.

8) Comment. in partem Summae Theolog., Salmanticae 1577—1588.

9) Venetiis 1604; Duaci 1615.

10) Hoc opus per partes editum est Lugduni 1643—1663; Parisiis 1667; ibd. 1888, Tom. 10.

exposuit opere suo: *Clypeus theologiae thomisticae*[1]), et Billuart († 1757), auctor pervulgati operis theologici[2]).

3⁰. **Theologiae apologeticae** principem certe locum obtinet **Robertus Bellarminus** S. J. cardinalis († 1621)[3]). Inde ab anno 1576 apologiae magister in collegio Romano, scripsit celeberrimas suas *Disputationes de controversiis fidei*[4]), quibus patet quanta fuerit viri perspicacitas et scriptorum notitia. Eminent enim argumentandi claritate et pari rerum exquisita doctrina. Saepius hoc opus est editum et impugnatum ab optimo quoque theologo protestantico. Reliqua etiam Bellarmini scripta magni aestimantur, imprimis, praeter opera ascetica, ejus *Catechismus*, qui per totam Italiam in usum venit[5]). Auctoritate proximus inter theologos polemico-historicos succedit **Dionysius Petavius S. J.** († 1652)[6]). Annis 1621—1644 docuit theologiam Parisiis, nec solum praecipuam laudem sibi comparavit opere suo principe *De theolog. dogmatibus*[7]), sed etiam studiis chronologicis et historicis (*Doctrina temporum*, *Uranologium*, *Rationarium temporum*) et auctorum veterum scientia, quorum plura scripta edidit (Synesii, Themistii, Nicephori, Epiphanii, Juliani Apostatae)[8]). Quod Bellarminus in Italia, idem persecutus est Canisius († 1597) in Germania. Praeter celeberrimum *Catechismum*, cujus anno 1686 jam fuerant editiones fere 400[9]), scripsit opus ingens *Commentariorum de verbi Dei corruptelis*, cujus pars prima agit de S. Joanne Baptista, altera *de Maria Virgine incomparabili et Dei genitrice*[10]). Edidit deinde opera Cyrilli Alexandrini, Hosii, Leonis Magni et epistolas Hieronymi. Multiplice variaque doctrina innotuerunt Jacobus Gretser S. J.[11]) et Adam Tanner

---

[1]) Burdigalae 1659; Parisiis 1885.

[2]) Leodii 1746—1751; ed. *Lequette* Atrebati 1890.

[3]) *Couderc*, Rob. Bellarmin, 2 vol., Paris 1893. De la Servière S. J., La théologie de Bellarmin, Paris 1909.

[4]) Ed. Parisiensis 1608, Coloniensis 1619 et Pragensis 1721 aestimantur optimae.

[5]) Opera omnia, ed. *Sirmond*, Parisiis 1630 sqq.

[6]) *Chatellain*, Vie du P. Den. Petavius, Paris 1884.

[7]) Ed. Barri-Ducis, 1864—1870, Tom. 8 in 4⁰.

[8]) Catalogum operum vide apud *de Backer*, II, 1891—1909.

[9]) *De Backer*, I, 1046—67.

[10]) Parisiis 1584. *Riess*, Petrus Canisius, p. 109—125.

[11]) Opp. ed. Ratisbonae 1734—41, Tom. 17 in fol.

S. J. († 1632), Oenipontanus, qui, praeter tractatus speculativos egregios, plures etiam polemicos edidit[1]). Acutiore ingenio fuit **Gregorius de Valentia** S. J. († 1603), Hispanus, per annos 23 magister Ingolstadiensis. Eminuit ingenii acumine et eloquendi claritate, ut inter praestantissimos aetatis suae sit habitus. Opus ejus princeps, *Commentarii theologici*, annorum 28 spatio octies est editum[2]). Innotuerunt deinde apologetae Fredericus Staphilus († 1564), qui scripsit *Apologiam de vero germanoque S. Scripturae intellectu*[3]) aliaque multa sermone Germanico; Joannes Nass († 1590), qui etiam Germanice scripsit, sed justo acerbius; Lindanus († 1588)[4]), Dordracenus, postea episcopus Ruraemundensis, varia valde eruditione sua, argumentandi modo, Patrum notitia et doctrinae soliditate celebratus. Ex operibus ejus fere 70, prae ceteris innotuit *Panoplia Evangelica*[5]), in quibus praesertim ex Vetere Testamento et Patrum traditione interpretatur et vindicat Evangelia; Stanislaus Hosius († 1579), Polonus, qui scripsit de usu calicis, de caelibatu et de primatu. Multorum manu versatum est opus ejus princeps *Confessio catholicae fidei christianae*, quod vivo auctore 32^{ies} editum est et in ipsum sermonem Arabicum versum[6]); Thomas Stapleton († 1598), propter fidem ex Anglia pulsus, factus dein magister Duaci et Lovanii, unus e praestantissimis saeculi XVI polemistis. Praeter alia opera scripsit *Principiorum fidei doctrinalium demonstrationem methodicam*[7]); J. D. du Perron († 1618), qui fuit omnium Francogallorum istius aetatis princeps, celebratusque ob disputationes cum Du Plessis-Mornai Calvinista[8]). Opera manualia apologetica, etiamnum magno pretio habenda, scripserunt Franciscus Costerus S. J. († 1619): *Enchiridion controversiarum praeci-*

---

[1]) Monachii 1599; Ingolstadii 1604; 1613.

[2]) Ingolstadii 1591; Lugduni 1619.

[3]) Coloniae 1561.

[4]) *Welters*, Publications de la soc. hist. et arch. dans le Duché du Limbourg, Maestricht (1890), Tom. 27, p. 300.

[5]) Edita Coloniae 1559, 1563, 1571, 1577, 159) fol. Cf. de operibus ejus. *Willemsen*, in „Limburg", Prov. genootschap voor geschiedk. wetensch., Roermond 1899—1902.

[6]) Opera omnia, Coloniae 1584, Tomi 2.

[7]) Opera omnia, Parisiis 1620.

[8]) Opera omnia, Parisiis 1620.

puarum[1]); Martinus Becanus S. J. († 1624): *Manuale controversiarum*[2]); Alphonsus Pisanus S. J. († 1598): *De questionibus fidei controversis*[3]) seu *confutatio brevis*. Optime jam pridem Lutherum in multis refutaverat Jacobus Hoogstraeten O. P. († 1527): *Disputationes catholicae adversus Lutheranos*, aliisque scriptis[4]). Franciscani quoque strenue haereses impugnarunt. Innotuit praesertim Alphonsus de Castro, qui interfuit concilio Tridentino scripsitque: *Adversus omnes haereses libros XIV*[5]).

4⁰. Non solum refocillata sunt scientiarum omnium et praesertim linguarum studia, sed ipsa protestantium quasi provocatio et decreta Tridentina[6]) effecerunt ut **scientiae biblicae**[7]) etiam accuratius et uberius tractari inchoarint. Versiones S. Scripturae in varias populorum linguas paulatim confectae sunt, numero fere infinito. Praeter *polyglottam complutensem*, jam pridem editam, annis 1569—1572, gratia et praesidio Philippi II, nata est *Antverpiensis*[8]), cui perficiendae cum aliis allaboravit Arias Montanus († 1598) Hispanus. Partes quinque priores continent *complutensem*, cum additamentis quibusdam, partes autem tres posteriores constant versionibus, cum adjumentis ad studia biblica, grammaticam, lexicographiam et archeologiam spectantibus. Praeterea edita est, inde ab anno 1628, *polyglotta parisiensis*[9]), cujus quidem laudanda est chartae et artis typographicae perfectio, sed desideratur scientiae acumen et ad usum accommodata facilitas. *Polyglotta londinensis*[10]), edita a Brian Walton, ordine ad usum accommodato est disposita, et additis versionibus Persica et Ethiopica locupletata. Opera exegetica, quae etiam nunc magni aestimantur, scripserunt **Joannes Maldonatus** S. J. († 1583),

---

[1]) Coloniae 1585 sqq.

[2]) Coloniae 1696 et saepius.

[3]) Posnaiae 1587.

[4]) Coloniae 1526.

[5]) Parisiis 1534.

[6]) Sess. V, Cap. I, de Reformatione.

[7]) Literaturam vide § 132.

[8]) Polyglotta Antv., 1569—1572, Tomi 8 in fol., etiam *Biblia regia* appellata.

[9]) Polyglotta Parisiensis, Parisiis 1628—1645, Tomi 9 in fol.

[10]) Polyglotta Londinensis 1657, Tomi 8 in fol.

cujus praesertim *Commentarii in quatuor Evangelia* concinne, clare et sagaciter perscripti laudantur [1]; **Cornelius a Lapide** S. J. († 1637), e Bocholt, magister Lovaniensis et Romanus, cujus totius S. Scripturae, exceptis libris Job et psalmorum, expositio magna apud omnes ubique auctoritate gaudet [2]; **Gulielmus Estius** († 1613), Gorcomiensis, magister Duaci, cujus egregium opus: *In omnes Divi Pauli et septem catholicas Apostolorum epistolas commentarii* [3] saepe typis est editum; **Augustinus Calmet** O. S. B. († 1707), qui dedit opus, cui titulus: *La S. Bible en latin et en français avec un commentaire littéral et critique* [4]. Praeterea valde bonos composuerunt commentarios cardinalis ille Franciscus Toletus S. J. (†1596), Alphonsus Salmeron S. J. († 1585), Jacobus Tirinus S. J. († 1636), Stephanus Menochius S. J. (†1655), vir eximie doctus Franciscus Tittelmans (†1537) [5] O. Cap., ex Hasseluto, et Richardus Simon (†1702), quem impugnavit Bossuet. Plura ejus opera in *Indicem* relata sunt. Fuit certe in interpretando temerarius. Quaedam tamen ejus opiniones ab hodiernis exegetis recipiuntur [6].

5°. **Jus canonicum** [7], multo minore frequentia celebratum quam theologia dogmatica, habuit tamen plures suos eximios magistros. Sufficit celeberrimos commemorare. In frequenti usu fuit Martinus Azpilcueta (†1586), qui vulgo Navarrus appellatur, magister Tolosae, Salmanticae et Conimbricae, qui magno numero opera reliquit. Unus ex optimis saeculi XVI praedicatus est. Nec minorem famam assecutus est ejus discipulus Didacus de Covarrubias (†1577), ob judicium sanum, methodum facilem, lucidum rectumque sermonem [8]. Dein referendus Prosper de S. Croce († 1589) cardinalis,

---

1) Moguntiae 1841 et 1862.

2) Ed. nova Parisiis 1857 et 1868.

3) Duaci 1614; Moguntiae 1858—1860.

4) Paris 1707—1716; Wirceburgi 1789—1793, 19 vol., 4°.

5) *Alfons Paquay*, Frans Tittelmans van Hasselt (Dec. 15?2—12 Sept. 1537). Opzoekingen over zijn leven, zijne werken en zijne familie, Hasselt 1907.

6) Histoire critique du Vieux Testament, Paris 1678. *Henri Margival*, Richard Simon et la critique biblique au XVII siècle, Paris 1900.

7) *Hurter*, Nomenclator liter. Tom. I—III, Oeniponte 1903 sqq. *Phillips*, Kirchenrecht, B. 4.

8) Ed. Genevensis 1762, Tom. 5 in fol.

qui edidit declarationes *Rotae*. Quos tres omnes tamen superavit vir doctissimus **Augustinus Barbosa** († 1648), cujus opera multitudine fere bibliothecam implent, aguntque praecipue de jure Pontificio [1]. Nec celebritate minor canonista fuit **Anacletus Reiffenstuel** O. S. Fr. († 1793), prae ceteris eminens legum ecclesiasticarum scientia [2]. Aequali auctoritate gaudet **Prosper Fagnani** († 1678), qui edidit nota illa *Commentaria in quinque decretalium libros* [3]. In Germania floruit, saeculo XVIII, **Franciscus Schmier** († 1728) O. S. B., cujus opus inscribitur: *Jurisprudentia canonico-civilis* [4]. Magis tamen innotuit **Franciscus Schmalzgrueber** S. J. († 1735), cujus opus *Jus ecclesiasticum universum* etiamnum magna gaudet auctoritate penes congregationes Romanas [5]. Unus autem e praeclarissimis omnium aetatum canonistis fuit **Prosper Lambertini,** postea Benedictus XIV († 1578), qui famam sibi comparavit ob ingenium acutum, clarum et velox, sed praesertim ob opera sua praecipua: *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, De SS. Missae sacrificio, De Festis D. N. J. Christi et B. M. Virginis, De synodo dioecesana* [6]. Memorari denique merentur J. P. Lanzelotti († 1591), Cujacius († 1590), P. Laymann S. J. († 1635), Cabassutius († 1684) et Pirrhing S. J. († 1679).

6⁰. Speciali cura hac aetate tractata est theologia **moralis.** Plures e viris doctis supra relatis hujus materiae opera praeclara ediderunt, e. g. **de Lugo,** Vasquez, Medina († 1572), Soto et Bañez. Frequentissimo usu fuit Francisci Toleti S. J. *Summa casuum conscientiae absolutissima*. Novam viam aperuit Thomae Sanchez S. J. (1600) liber *De matrimonii sacramento* [7]. In scientia casuum nomen sibi fecerunt Joannes Azor S. J. († 1608), Castro Palao († 1633), Paulus Lay-

---

[1]) Opera omnia canonica, Lugduni 1657 sqq., Tomi 23 in fol.; 1698 sqq., Tomi 20 in fol.

[2]) Romae 1831, Tomi 5 in fol.; Antverpiae, Tomi 7 in fol.

[3]) Romae 1661, Tomi 5 in fol.

[4]) Salisburgi 1729.

[5]) Ingolstadii 1728, Tomi 7 in fol.

[6]) Opera omnia Romae 1783–92, Tomi 22 in 4⁰; Venetiis 1767, Tomi 15 in fol.; Prati 1852, Tomi 28 in 4⁰. Supplementum demum recenter editum est.

[7]) Genuae 1602, Tomi 3 in fol.

mann S. J. († 1635), Antonius de Escobar S. J. († 1669), Hermanus Busenbaum S. J. († 1668), Martinus Bonacina († 1631), Antonius Diana († 1663), aliique. „Rigoristae et laxistae, sicut semper etiam tum, alii alios oppugnabant. Probabilismum (quem dicunt originem ducere a Bartholomaeo Medina O. P.) non *soli*[1]) Jesuitae propugnabant. Saepe fuit male expositus, neque unquam debuit pro temere proposita morali doctrina haberi. Dum tutiorismus et, qui ad hunc demum devenire debet, probabiliorismus extremus magni damni causa fuit, sanus econtra probabilismus, correctionibus et censuris ecclesiasticis paulatim emendatus et purgatus, in hos scopulos non impegit"[2]). Studia autem haec moralia in immensum promovit, celeberrimus Ecclesiae doctor, **S. Alphonsus de Liguorio** († 1787) operibus praesertim suis: *Theologia moralis* et *Homo Apostolicus*. Magna etiam auctoritate fuit Eusebii Amort († 1775): *Theologia eclectica moralis et scholastica*. Theologia **pastoralis** ante saeculum XVIII non fuit universim ut disciplina specialis tractata; fuerunt tamen jam ante illud tempus qui egregia collectanea contulerint: S. Carolus Borromaeus: *Litterae pastorales*, *constitutiones synodicae* etc.[3]); Franciscus Toletus S. J.: *Instructio sacerdotum;* S. Franciscus Salesius; Barth. de Martyribus: *stimulus pastorum*[4]); S. Petrus Fourier: *Pratique des curés*[5]).

7°. **Eloquentiae** laude claruerunt: in Polonia **Petrus Skarga** S. J. († 1626); in Francia **Bossuet** († 1704), **Bourdaloue** S. J. († 1704), Fénelon († 1715), Fléchier († 1710), Massillon († 1742), Claudius de la Colombière S. J. († 1682), Houdry S. J. († 1729), Bretonneau S. J. († 1741), Bridaine († 1767), Mac Carthy; in Germania Joseph Wildt († 1554), Justus Landsperg († 1539), b. Petrus Canisius († 1597), Michael Helding († 1561); in Italia praesertim **Paulus**

---

[1]) Multi Jesuitae probabilismum impugnaverunt.

[2]) Sic scribit Hergenröther Cardinalis. Cf. Hergenröther-Kirsch III, I, p. 372-373.

[3]) Opera, Lugduni 1683 sq. Tomi 2.

[4]) Opera lat., Romae 1727 Tomi 2. Stimulus pastorum, Romae 1564.

[5]) Reims 1817.

Segneri S. J. († 1694), Hieronymus Narniensis O. Cap. († 1622), Antonius Vercellensis O. S. Fr.; in Hispania b. Joannes de Avila († 1569), **S. Ludovicus Bertrandus** O. P. († 1581), Ludovicus Granatensis († 1585), Thomas de Villanova († 1555); in Lusitania Antonius Vieira S. J. († 1697)[1].

8⁰. Redintegratus vitae ecclesiasticae fervor suapte natura valde promovit **ascesin.** Auctores praecipui fuerunt: **S. Ignatius de Loyola**[2]), qui reliquit celeberrimum illum librum *exercitiorum spiritualium*, quo, teste S. Francisco Salesio, conversi sunt plures quam numerantur literae quas continet. Ludovicus Blosius O. S. B. († 1566) scripsit *Ducem spiritualem*[3]). **S. Theresiae** († 1582) supersunt praeclara plura opera, e quibus praecipua sunt *Via perfectionis* et *Castrum animae*[4]). Fuerunt quoque Hispani S. Joannes a Cruce (†1591)[5]), Franciscus Arias S. J. († 1605), qui composuit creberrime lectitatam *Imitationem B. M. V.*[6]), et Ludovicus Granatensis, qui scripsit *Ducem peccatorum*[7]). Omnium testimonio probatum est celeberrimum **Laurentii Scupoli** († 1610) opus: *certameu spirituale*[8]). **Alphonsi Rodriguez** S. J. († 1616) *Exercitium perfectionis christianae*[9]) usque in nostra tempora unum est e solidissimis libris asceticis. Jac. Alvarez de Paz († 1620), unus est e praeclaris asceticis, qui post Tridentinum floruerunt. Cujus disciplinae non minus eminens magister fuit S. Franciscus Salesius († 1622); ejus *Philothea* et *tractatus de amore*[10]) etiamnunc multum lectitantur. Cardinalis quoque Bellarminus S. J. († 1621) plus uno libello aureo composuit: *De ascensione mentis in Deum*, *De aeterna*

[1]) *A. Feugère*, Bourdaloue, sa prédication et son temps, Paris 1874. *A. de Coulang*, La chaire française au XVIII siècle, Paris 1901. *J. Caudel*, Les prédicateurs français dans la première moitié du XVIII siècle, Paris 1904.

[2]) Ed. Roehampton 1881.

[3]) Opera omnia, Lovanii 1568; Antv. 1632 etc.

[4]) Ed. *De la Fuente*, Madrid 1881, 5 vol. 8⁰.

[5]) Vie et oeuvres, éd. *Chocarne*, Paris 1893, 4 vol.

[6]) Oeuvres complètes, trad. Bareille, Paris 1872, 14 vol.

[7]) Valentiae 1588 sqq.

[8]) Saepissime editum et versum.

[9]) Exercicio de Perfeccion, Sevilla 1609.

[10]) Oeuvres, Lyon 1868; Paris 1892—1906. *A. de Margerie*, S. François de Sales, 7e éd., Paris 1906.

felicitate, De gemitu columbae, De arte bene moriendi[1]). Ludovicus de Ponte S. J. († 1624) suas nobis reliquit plurimo usu tritas *Meditationes*[2]); Cardinalis **Bona** († 1674) opuscula unctionis plena: *Via compendii ad Deum*, *Manuductio ad coelum*, *De Sacrificio Missae*, *Horologium asceticum*, aliaque[3]); Paulus Segneri S. J. (†1694), multo usu frequentatum, *Manna animae*. Condren († 1641) quoque, Olier († 1657), Drechsel S. J. († 1638) et Wilhelmus Nakatenus S. J. († 1682); tum, ex Dominicanis, Ludovicus Chardon († 1651)[4]), Julienne Morel (†1653)[5]), Vallgonera (†1662)[6]), Antoninus Massoulié († 1706)[7]), Alexander Piny († 1709)[8]) et J. B. Rousseau († 1720)[9]) referri merentur. Quorum omnium opera non solum non amiserunt valorem suum, sed pleraque pretio superant quaecumque a posterioribus sunt conscripta. Quare mirum non est, ea, in varia idiomata versa, perpetuo lectitari.

---

§ 159. Ars ecclesiastica.

Springer-Weissman, Geschiedenis der beeldende kunst: De Renaissance in Italië. De Renaissance in het Noorden en de kunst in de XVII en XVIII eeuw, Leiden. *Dr. A. Fäh*, Geschichte der bildenden Künste, Freiburg 1897. *Herders* Bilderatlass zur Kunstgeschichte, 146 Tafeln mit 1262 Bildern, Freiburg 1906. *Jacob*, Die Kunst im Dienste der Kirche, 5e Aufl., Landshut 1905. *Janssen-Pastor*, Gesch. des d. Volkes, Bd. VI. *L. Pastor*, Gesch. der Päpste, III, IV, 1, 2, Freiburg 1899 – 1907. *Müntz*, Histoire de l'art pendant la Renaissance, 3 vol., Paris 1888 sqq. *Fr. X. Kraus*, Gesch. d. christl. Kunst, Bd. II, 2: Renaissance und Neuzeit, Freiburg 1900. *E. Frantz*, Geschichte der christlichen Malerei, II Theil, Freiburg 1894.

---

[1]) Opera omnia, Parisiis 1870—1874.

[2]) Obras spirituales, Madrid 1690.

[3]) Ed. *Lehmkuhl*, Freiburg 1906.

[4]) La croix de Jésus, Paris 1647; Méditations sur la passion de J.-C., Paris 1650.

[5]) Exercices spirituels sur l'éternité, Avignon 1637; Lyon 1895; Traité de la vie spirituelle, Lyon 1617; Le chemin de la perfection, Lyon 1895.

[6]) Mystica theologia D. Thomae, Barcelona 1562.

[7]) Méditations de S. Thomas sur les trois vies, Toulouse 1678; Traité de la véritable oraison, Paris 1699; Paris 1900; Traité de l'amour de Dieu, Paris 1708.

[8]) La clef du pur amour, Lyon 1682; L'oraison du cœur, Paris 1683; Retraite sur le pur amour, Paris 1684.

[9]) Avis importants sur les différents états de l'oraison, Paris 1710; Paris 1901.

1°. Ineunte hac periodo, fere etiam inchoabat **renascentiae adulta aetas** (1500—1580)[1]). In **architectura** non recedebant a formis usitatis, sed eas perficere conabantur. Minori curae fuit ut partes singulae speciosae essent quam ut totius aedificii moles esset spectabilis. Quare multam operam in hoc collocabant, ut partes omnes continuatione aptae inter se colligataeque viderentur temperabantque potius quam cumulando exaggerabant ornamenta. Erant ecclesiae vulgo tholiformae, pilis crassitudine gravibus munitae, non, sicut prius, fornicibus crucis aut tholi forma, sed una tantum camera convexa. Navis princeps latitudine tanta extendebatur, ut angustum spatium relinqueretur reliquis navibus, quae saepe mutabantur in sacella interjecta inter pilas graves. Sola frons ecclesiae multo ornatu distinguebatur, sed vulgo ita, ut non conveniret cum interioribus aedium partibus. Quae fuit prius artium sedes Florentiae, regnantibus Julio II et Leone X migravit Romam, unde paulatim ad regiones septemtrionales hoc artis genus transmeavit.

Multum colendae architecturae contulit **Bramante** (1444—1514)[2]), qui aedificavit Mediolani speciosissimum tholum *Sanctae Mariae delle Grazie*, ecclesiam Tudertinam et aedem eam quae continet *sanctam casam* Lauretanam. Quam conceperat pro S[i] Petri Romani[3]) aedem magnificam orbiculatam cum tholo, postea mutata est. **Rafaël**[4]), anno 1515, proposuit ut unum e quatuor crucis Graecae brachiis produceretur atque ita magis accederent ad typum basilicae veteris. Quae proposita secutus, anno 1546 **Michelangelo**[5]) operi perficiendo praeesse coepit. Ad formam simpliciorem redegit concepta a Bramante adhibuitque, ornatus gratia, pilas columnasque Corinthiacas. Vita defungente Michelangelo (1564), tholi opus jam in eo erat ut perficeretur. Qui ei succedebant, operi institerunt Fontana et Barozzi (Vignola). Cui, anno 1605, opus exsequendum fuit traditum,

---

[1]) *Graf*, Attraverso il cinquecento, Torino 1888.

[2]) *Pungileoni*, Memorie intorno alla vita di D. Bramante, Roma 1836.

[3]) *Mortier*, S. Pierre de Rome, Tours 1900.

[4]) *Geymüller*, Raffaello come Architetto, Milano 1884. *Crowe-Cavalcaselle*, Raphael (deut. Uebersetz.), 2 Bde, Leipzig 1883—85. *Förster*, Raphael, 2 Bde, Leipzig 1867—68.

[5]) *Gotti*, Vita di Michelangelo Buonarroti narrata con l'aiuto di nuovi documenti, 2 Tom., Firenze 1875.

Maderna inceptis a Michelangelo addidit navem et propylaeum. Bernini autem praefixit porticum. Causa autem, cur immensa aedificii moles spectanti statim non appareat, haec est, quod grandissimae partes magnitudinem totius quasi obnubilant. Tholus, etsi maximus et pulcherrimus ex universa renascentiae structura, tamen, a fronte aspectus, non ita magnus apparet, quod praefixa a Maderna navis aspectum praepedit[1]). In Italia superiore partes primas Venetiae obtinuerunt, Sansovino[2]) ibidem ad celeberrimum *Campanile* (nunc dirutum) adjectante non minus celebre *Loggetta* et aedificante bibliothecam *San Marco*. Patavinam celebrem ecclesiam *S. Giustina* exegit Riccio. Vignola (†1573) floruit Placentiae, sed Romae etiam aedificavit speciosam illam ecclesiam *del Gesù*. *Sancta Maria di Carignano* Genuensis structorem habuit Alessi; basilica Vicenza et *S. Giorgio Maggiore* Veneta exstructa est a Palladio. In Francia renascentiae ars primordiis non nisi ornamentis colebatur: Ecclesia S. Petri Cadomensis (Caen) († 1521) et *S. Eustachii* Parisiensis († 1532); at postea aedes magnificae ejus structurae erectae sunt. In Hispania usque ad medium saeculum XVI usurpabatur, in ecclesiis monasteriisque aedificandis, forma renascentiae primordialis; formam autem adultae renascentiae habent *Escuriale* (1563), inchoatum a Juan Bautista, et cathedrales Granatensis et Vallisoletana. In Anglia et Neerlandia, de colenda architectura vix cogitari potuit[3]). In Germania quoque una tantum aedes constructa, ecclesia *S. Michaelis* Monachii, cujus convexum audaciam architecti denotat (1583).

Sculpturae arte facta hujus aetatis, magnifica conceptu, conformatione audacia sunt. Negligebantur paulatim quae spectantem delectant, eorumque loco indulgebatur insolenti phantasiae. Artis sedes praecipuae fuerunt Romae, Florentiae et Venetiis. Romae et Florentiae dux et magister fuit **Michelangelo**[4]).

---

[1]) *H. von Geymüller*, Die ursprünglichen Entwürfe für St. Peter in Rom, nebst zahlreichen Ergänzungen und neuen Texte zum erstenmal herausgegeben, 1 Bd. Text und 1 Bd. Tafeln, Wien-Paris 1875—1880.

[2]) *Schönfeld*, Andrea Sansovino und seine Schule, Stuttgart 1881.

[3]) De architectura vulgari saeculi XVI vide *Weissman*, 2 Dl., Renaissance in het Noorden, p. 187 sqq., et praesertim *Galland*, Geschichte der holl. Baukunst und Bildnerei im Zeitalter der Renaissance, Frankfurt a. M. 1890.

[4]) *H. Grimm*, Leben Michelangelos, 5 Aufl., 2 Bde, Berlin 1879.

Architecturae, picturae et poeticae artis peritus, praeclarissimam tamen gloriam obtinuit sculptura. Eminuit praesertim conceptuum ambitu et lineamentorum vi. Sculpsit Romae *Pietà* et *Moyses*, Florentiae *David*, *Christus resurgens*, *sepulchra Mediceorum* etc. Venetiis sculpsit Andreas Sansovino, cujus praestantissima opera sunt monumenta duo, Romae in *S. Maria del popolo*. Ejus discipulus, Joannes Sansovino († 1570), sculpsit portas *San Marco* Venetiis. Floruerunt deinde Bandinelli († 1560) et Benvenuto Cellini († 1572) Florentiae[1]). Saeculo XVI, sculpturae ars in Francia non se integre expedivit a forma Gothica. Innotuerunt artifices Colombe († 1512), Petrus Bontemps († 1548), qui eodem hoc anno in *St Dionysii* fecit monumentum Francisci I. Joannes Goujon († 1548) et Joannes Cousin († 1589). In regionibus septemtrionalibus sculpturae ecclesiasticae ars non multa effecit. Sepulcrum Maximiliani I omnium ore celebratur. Renascentiae fines introivit Petrus Vischer, opere suo *Arthur rex*. A. Colins quoque pulcherrima fecit *ectypa*. In Neerlandia jam mature apparent renascentiae vestigia. Pulcherrimum opus est altare in B. M. Virginis Hallensi, a Joanne Morre (1535); Cornelius de Vriendt († 1575) sculpsit pulchra tabernacula, in locis Zout-Leeuw (1554) et Suerbempte (1557); fecit quoque ecclesiae *S. Petri* Lovaniensis propylaeum e robore (1556). Claruit etiam Petrus Coeck sculpturis suis argumenti biblici, in tabulamento fumarii Tongerlonae, quod servatur in curia Antverpiensi. In Hollandia, prima renascentiae vestigia apparent in cancellis Naardensibus (1531) et in saeptis presbyterii Harlemensis (1535). Joannes van Terwen, annis 1538—1542, perfecit celeberrima sedilia in presbyterio Dordraceno; quae sunt Vianae sedilia, eodem tempore effecta sunt. Speciosissimus hujus temporis suggestus invenitur in cathedrali Silvaeducensi. Monumenta autem prae reliquis optima habentur in S. M. Virginis Bredana, in S. Mariae Vianensi et S. Eusebii Arnhemiensi.

Picturae ars [2]) ad magnam perfectionem evecta est, praeser-

---

[1]) *Taine*, Philosophie de l'art, Paris 1874, I, p. 214 sqq.

[2]) *T. de Wyzewa et X. Perreau*, Les grands peintres des Flandres, de la Hollande, de l'Italie et de la France, Paris 1890. *Idem*, Les grands peintres de l'Allemagne, de la France (période contemporaine), de l'Espagne et de l'Angleterre, suivi de l'histoire sommaire de la peinture japonaise, Paris 1891.

tim in Italia, ubi scholae obortae sunt tres. *Scholae Longobardicae* auctor fuit **Leonardus da Vinci** [1]) († 1519), prae ceteris suae aetatis artificibus maximo amplissimoque ingenio praecellens. Eminuit delineandi componendique artificio, colorum delectu, concipiendi magnificentia et purissimo gustu, quae testatur celeberrima ejus coena Domini. Cum eo steterunt Luini († 1533), Fra Bartolommeo († 1517), Soddoma [2]) († 1549) aliique. *Scholae Florentinae* eminentissimus magister fuit **Michelangelo,** conceptu magnifico audacique, in scenographia peritissimus, sua propria effingens. Ejus opera tectoria in sacello Sixtino notissima sunt [3]). Ejusdem scholae fuerunt Del Piombo († 1547) et Andreas de Sarto († 1531), cujus est *Annuntiatio.* In *schola Romàna* eminuit, vir incomparabilis, **Rafaël** [4]) (1483—1520). In cujus operibus conjuncta apparent conceptionis sublimitas cum sentiendi profunditate, magna vis cum effingendi venustate. Praecipua ejus opera sunt: *Disputa, Schola Atheniensis, Villa Farnesina, Sposalizio, Madonna di Foligno, Caecilia, Lo Spasimo, Madonna Sixtina, Madonna del Granduca, effigies Julii II* et alia multa. Defunctis tantis magistris, ars ista minui debuit [5]). Innotuerunt quoque Julius Romano († 1546), Caravaggio († 1543) aliique. Etiam *schola Ferrara-Parmensis* egregios numeravit magistros: Correggio († 1534), in depingendo lumine praestans: *S^a^ Nox.* Venetiis floruerunt Giorgione († 1510), Palma Vecchio († 1528) et prae ceteris **Tiziano** (1477—1576): *Numisma census, Assumptio, Madonna Pisaurica* etc. Tintoretto († 1594) Venetiis artis praestantiam sustinuit, quum alibi prolaberetur. Paulus Veronese († 1588) quoque eminuit recta colorum varietate. In Neerlandia [6]) picturae ars magis in effingenda communi hominum vita versabatur. Transitum ad artem novam fecit Quintinus Massijs († 1530), qui nondum attigit ad

---

[1]) *Müntz,* Léonard de Vinci, Paris 1899.

[2]) *A. Jansen,* Leben des Soddoma, Stuttgart 1870.

[3]) *Steinmann,* Die Sixtinische Kapelle, 2 Bde, München 1891—1896. *M. Spahn,* Michelangelo und die Sixtinische Kapelle, Berlin 1907.

[4]) *Minghetti,* Raffaello, Bologna 1885. *Müntz,* Raphael, sa vie, son oeuvre et son temps, 2e éd., Paris 1885.

[5]) *Springer,* Raffael und Michelangelo, 2 Bde, 2e Aufl., Leipzig 1883.

[6]) *C. Ed. Taurel,* De christelijke kunst in Holland en Vlaanderen, Amsterdam 1889.

lineamenta venusta Italorum, nec collustratis delectat, sed inventionis felicitate et vi commovet: *Christi comploratio.* Magnam quoque famam sibi collegit Joannes Mostert († 1540). Joannes Joest[1]) († 1519), Harlemensis, picto altari Calcaritano laudem consecutus est. Varietate autem et copia praeclarissimus hujus aetatis magister fuit Lucas de Leiden († 1533). Etsi multae sunt ejus tabulae, celeberrimae tamen sunt ejus picturae 100 in cupro. Ultrajecti floruit Joannes de Schorel, canonicus († 1562), cujus optimum opus, *B. Maria in topiis*, servatur in ejusdem civitatis museo. Egregia etiam reliquerunt hac renascentiae aetate Joannes Gossaert († 1541), dictus Mabuse, cujus altare in ecclesia abbatiae Middelburgensis dirutum est, et Barend de Orley († 1541), in cujus picturis, sicut etiam in posterioribus Mabusii, Italica studia apparent. Orleyi discipulus, Michael de Coxcyen († 1592), praesertim eminuit exemplis pro caelatoribus in cupro et speculariorum confectoribus. Memorari etiam debent Franciscus Floris († 1570), Otto de Veen († 1620), fratres Crabeth, qui in speculariorum pictoribus magnum nomen consecuti sunt (Goudae), et Petrus Pourbus († 1584). In *Germania* immortalem gloriam assecutus est celeberrimus ille **Albertus Dürer** [2]) († 1528) Nurembergae, sentiendi vi et profunditate eminens, necnon colorum splendore, conceptuum proprietate et delineandi perfectione: *Rosarium*, *Omnium Sanctorum*, *Passio*, *vita Mariae* etc. Augustae Vindelicorum floruit Burgkmair († 1531) eminuitque in topiis. Praestantior tamen multo fuit Hans Holbein († 1543). Laudantur praesertim ejus *mortuorum saltatio*, *Madonna Solothurnensis* et *Madonna Meier praefecti.*

2⁰. **Renascentia posterior**, seu **baroko** [3]), in usu fuit annis 1580—1700. Apud **architecturae** peritos hujus temporis universe notatur studium graphicam spectantibus praebendi delectationem, quo saepissime abripiebantur ad arbitraria et luxuriose exaggerata. Econtra, qui scrupulose formis renascentiae inhae-

---

[1]) *St. Beissel* S. J., Das Leben Jesu Christi von Jan Joest geschildert auf den Flügeln des Hochaltares zu Kalkar, M. Gladbach 1900. Cf. *P. Albers* S. J., Studiën, Deel 56.

[2]) *Kaufmann*, Albrecht Dürer, Köln 1881.

[3]) *Strzygowski*, Das werden der Barok bei Raphael und Correggio. Nebst einem Anhang über Rembrandt, Strassburg 1898.

rebant, in macritatem frigidam inciderunt. Non tamen neque tum defuerunt, qui concipiendo alta saperent et veri nominis artificia proferrent. Artificum sedes princeps Roma fuit. Maderna ibi aedificavit *S^ae^ Susannae* et frontem *S^i^ Petri*. Prae ceteris eminuit hoc stilo Bernini († 1680): propylaea et altare cum baldachino *S^i^ Petri*. Eodem stilo exstruxit Borromini († 1667): *St. Agnese* ad Piazza Navona, *St. Ivo* in Sapienza et *S. Carlo alle quattro Fontane*. Venetiis Longhena pulcherrimam fecit aedem tholiformam, *S. Maria della Salute* (1631), Romae A. Galilei frontem *S. Joannis Lateranensis* (1734), Fuga frontem *S. Maria Maggiore* (1743), Augustae Taurinorum Juvara aedem centralem in *Superga* (1717—1731). In *Francia*, praesertim profana aedificia pulchra confecta sunt, econtra in *Germania* ecclesiae multae. Artium sedes principaliores fuerunt Monachii, Vindobonae et Pragae. Artifices quoque Itali in his finibus artis opera confecerunt: Scamozzi et Santino Solari (1624) cathedralem Salisburgensem, Luragho (1664) cathedralem Passaviensem, Barella (1663), Monachii *S. Cajetani*, Chiaveri (1738) ecclesiam aulicam Dresdae. Celeberrimus Fischer de Erlach Vindobonae aedificavit ecclesiam *S. Caroli*, Prandauer *abbatiam Melkensem*, Dinzenhofer ecclesiam *cathedralem Fuldensem* (1704—1712). Ecclesiae Jesuitarum in Germania tum septemtrionali tum meridionali et in Belgio multum inter se et ab aliis discrepabant. Aedificatae sunt stilo vel Gothico vel ut plurimum baroko, prouti unus vel alter stilus in variis regionibus magis in usu esset. Unde patet stilum, quem dicunt, *Jesuiticum* numquam fuisse[1]). Praecipuae ecclesiae *Jesuiticae* sunt Coloniae (1621—1639), Lovanii (perfecta 1671) et Antverpiae (1614—1621). In *Hispania*, reliqua arte facta omnia superavit ecclesia *Nuestra Senora del Pilar* Caesaraugustana (1681). In *Anglia* idem dici debet de *S. Pauli* Londinensi (saeculo XVII et XVIII).

Sculptura hac aetate delectabatur effictis animorum motibus et expressis quae rerum hominumque natura propria habet. Eminuit in Italia Bernini, quem etiam in aliis regionibus alii imitati sunt. Severiora protulit Maderna (1636): *Caeciliam*.

---

[1]) *J. Braun S. J.*, Die belgischen Jesuitenkirchen. Ein Beitrag zur Gesch. des Kampfes zwischen Gothik und Renaissance, Freiburg 1907 (Ergänz. Stimm. a. M.-L.). Die Kirchenbauten der deutschen Jesuiten, ibidem, I—II, 1908—1910.

In Francia magister princeps fuit Puget († 1694), in Hispania Hernandez (1613) et Zarzillo († 1781), Berolini A. Schlüter († 1714). In Hollandia de sculptura sacra vix cogitari potuit.

Pictura [1]) in *Italia* in duas scholas digressa est. Scholam *eclecticam* secuti sunt artifices e gente Caracci Bononiensi; Guido Reni († 1642), eminens sensu, coloribus et lineamentorum speciositate, nonnumquam sentita exaggerans et nimium naturae depingendae studens: *Christus patiens*, *Mater dolorosa;* Domenichino († 1641): *Communio S. Hieronymi*, in Vaticano; Carlo Dolci († 1686), mollis, sed hinc inde mollior. Scholae *naturalisticae* addictus praesertim fuit Caravaggio († 1609). In *Francia* pictores sequebantur Italos: Philippus de Champaigne († 1674), Eustachius Le Sueur († 1655): *vita S. Brunonis*, Nicolaus Poussin († 1665), Claudius Lorrain († 1682) et Carolus Lebrun († 1690). In *Neerlandia* propriam suam iverunt viam naturalisticam artifices praecipui: **P. P. Rubens** [2]) (1577—1640), Antverpiae, uberrimus fuit, vi eminens et sociandis coloribus peritissimus, saepe realisticus valde: *crucis erectio* et *de cruce depositio* (1610—1612), *glorificatio S. Ignatii et S. Fr. Xaverii*. Praecipuus ejus discipulus, **van Dijk** [3]) († 1641), sensu est et teneritate plenior: *fragmenta passionis Dni.* Pictores *Hollandi* magis incumbebant fingendis imaginibus, topiis et vitae communis casibus. In his rebus profanis eminuerunt artifices Amstelodami, Harlemii, Ultrajecti, Lugduni alibique. E pictoribus rerum sacrarum solus hic memorandus est, varius valde et incomparabilis, **Rembrandt** [4]) (1606—1669). Arte quasi magica spargit lucem et colores, alta sapit et realismum temperat idealismo poetico: *adoratio magorum*,

---

[1]) *Woltmann*, Geschichte der Malerei, fortgesetzt von *Woermann*, Leipzig 1888, 2 Bde.

[2]) Cf. *Bode*, Rembrandt und seine Zeitgenossen, Leipzig 1906 et praesertim *Max Rooses*, Geschiedenis der Antwerpsche schilderschool, 's Gravenhage 1879.

[3]) *Guiffrey*, Antoine van Dijck, sa vie, son œuvre, Paris 1881, avec 18 eaux-fortes hors texte et 91 figures.

[4]) *W. Bode*, Studien zur Geschichte der holländischen Malerei, Braunschweig 1883. *Dake en Schaepman*, Onze nationale Kunst, Amsterdam. *W. Bode*, Rembrandt und seine Zeitgenossen, Leipzig 1906. Uberius: *E. Michel*, Rembrandt, sa vie et son œuvre et son temps, Paris 1893, avec 343 reproductions.

discipuli Emmaus, *praesentatio in templo* et multa alia biblica. In *Hispania* quoque picturae ars valde floruit: **Velasquez** († 1660) eximia multa pinxit eminuitque realismo sano, luce et coloribus: *Christus in cruce*, Matriti. Coaetaneus fuit celeberrimus **B. E. Murillo** (1682), cujus tabulae affectuum plenae sunt et varietate colorum delectant: *Madonnae* pulcherrimae, *S. Franciscus et Crucifixus.*

3⁰. Stilus **rococo** aliquas tantum protulit ecclesias **architectura** pulchras: *Einsiedeln*, *St. Gallen*, *Ottobeuren* et *S. Paulini* Trevirensium. **Sculpturae** arte speciosi nonnulli suggestus effecti sunt: Bruxellis, Lovanii, Antverpiae, Mechliniae etc. Ornandi arte etiam quaedam eximia prodierunt.

4⁰. **Musica sacra** [1]), defunctis magistris Flandricis, valde prolapsa erat, non solum indigne mutilatis textuum verbis, sed magis etiam inductis cantilenis profanis. Acriter de his abusibus conquestum in concilio Tridentino est, delectosque viros nominarunt Patres, qui exigerent ut rite pronuntiarentur verba et musica esset cum textuum sensu consona. Id musici non censebant posse fieri. Solus **Palestrina** († 1594), rem difficilem aggressus, composuit *Missam pro Papa Marcello*, qua Pio IV persuasum est hanc „novam cantandi methodum" plurimum conferre posse ad pietatem et fidei firmitatem promovendam. Postquam synodus Tridentina decrevit: „*Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum quid miscetur... arceant*", musicae sacrae reformator factus est Palestrina. Quem secuti sunt Felix Anerio, Nanini († 1607) et Allegri († 1652). Humanistae autem Florentini et Veneti sese opposuerunt. Recesserunt a liturgicis cantibus, melodias sacras et contrapunctum respuerunt, et pro motu diatonico substituerunt chromaticum. Non tamen valuerunt methodum sacram subvertere. In Germania eam promovit **Orlando di Lasso** († 1595), musicorum aulae praefectus Monachii, qui opera magno numero conscripsit. Praeclari etiam musices magistri fuerunt, in Hispania, Morales et Vittoria. Saeculo autem XVIII iterato musica sacra prolapsa est, praesertim quum celeberrimi **Mozart** († 1791), **Haydn**

---

[1]) *Katschthaler*, Kurze Geschichte der Kirchenmusik, Regensburg 1893. *Molitor*, Die nachtridentinische Choralreform zu Rom, 2 Bde, Leipzig 1901—1902.

(† 1808) et **Beethoven** († 1827) symphoniis componendis operam darent.

---

§ 160. Vita ecclesiastica et moralis.

Bäumer, Geschichte des Breviers, Freiburg 1895. *Biron*, Versio gall. 2 Tom. Parisiis 1905. *Phillips*, Kirchenrecht, § 41 et 88. *Kellner*, Heortologie, Freiburg 1901. Der Katholik, 1898, II, p. 151 sqq. *Theiner*, Geschichte der geistlichen Bildungsanstalten, Mainz 1835. *Pollain*, De Seminario clericorum, Lovanii 1874. *Diefenbach*, Der Hexenwahn, vor und nach der Glaubensspaltung in Deutschland, Mainz 1886. *Janssen*, Gesch. des d. Volkes, VIII, p. 494–694.

1°. **Cultui**, etiam post concilium Tridentinum, seria adhibita est reformatio. Libri liturgici emendati sunt et iis uti jussi sunt clerici earum omnium dioecesium, quae nondum ab annis 200 propria *Missalia*, *breviaria* etc. usurparant. Antiquae quoque ecclesiae Franciae, Italiae et Germaniae, retinentes sua opera liturgica, ea tamen ad editionem Romanam exegerunt, jussique sunt nihil in iis deinceps mutare, nisi cum expresso consensu *Congregationis rituum*, quam anno 1587 ad moderandas res liturgicas creaverat Sixtus V. Eodem anno *Litanias Lauretanas* Sixtus V ad usum liturgicum probavit. *Litaniae omnium Sanctorum* jam antea eodem privilegio erant distinctae, eo quod essent in breviario insertae. Anno autem 1601 decrevit Clemens VIII, ne quae aliae in quoquam exercitio cultus publico usurparetur[1]). Adoratio 40 horarum, *non* exposito Sacramento, jam antea in usu fuit. Imo vero Antonius Gratianopolitanus, anno 1527, Mediolani confraternitatem instituerat, cujus fratres obligabantur ad id quater singulis annis faciendum. Adoratio vero **40 horarum** *cum* expositione Sanctissimi in eadem urbe instituta est anno 1536—1537, auctore Josepho Plantanida O. Cap., qui senatum Mediolanensem ad id adegerat ut averteretur bellum et pestis. Quod brevi aliae Italicae civitates exemplum secutae sunt. Auctore S. Philippo Nerio et Jesuitis, effectum est ut fieret quadraginta horis quadragesimale jejunium praecedentibus. Clemens VIII autem auctor fuit

---

[1]) Pro Litaniis Sanctissimi Nominis idem concessum est anno 1862, pro Litaniis SS. Cordis anno 1899, pro Litaniis demum S. Josephi 18 Martio 1909.

ut in morem venerit Romae (1598), unde per universam Ecclesiam vulgatum est [1]). **Festorum** nimius numerus jampridem incommodum attulerat. Per *gravamina nationis germanicae* (Art. 35) postulatum in Germania fuit ut minueretur. Quarc Campegio legatus statuit, Ratisbonae (1524) festorum numerum fore 36—40. Dein, ob multa festa variis locis et regionibus propria, dubia oborta sunt de lege obligationis universali. Pauperum desideriis obsecuturus, anno 1642 Urbanus VIII edidit bullam *Universa per orbem* decrevitque ut, praeter dies Dominicos, ad festa 34 servanda obligarentur fideles. Postea ulterius festa minuerunt Papae, moti inimicitiis aulicorum Borbonicorum. Anno 1727, Benedictus XIII pro parte terrarum Hispaniae restrinxit numerum festorum ad 17, pro reliquis 17 solam Missae auditionem praescribens; quod decretum Benedictus XIV extendit ad alios episcopatus Hispanicos et ad fines Neapolitanos et Siculos. Idem fere, anno 1574, Austriae concessum est. Quum autem querelae essent obortae de obligatione audiendi sacri diebus festis abrogatis, Clemens XIV hanc legem sustulit statuitque ut festa 18 servarentur. Quae festorum reductio post breve tempus ad alias etiam regiones extensa est. Gravissima autem mutatio facta est, revolutionis Gallicae causa. Decreto 5 Octobri 1793, seditiosorum gubernium aerae christianae usum abolevit. Aerae novae annus I inchoabat 22 Septembri 1793. Menses omnes numerabant dies 30, erantque decadibus tribus partiti. Festa per hebdomadem occurrentia differebantur in diem Dominicam proximam [2]). Die 9 Aprili 1802 decrevit Caprara cardinalis ut pro Francia, qualis tum temporis fuit, adeoque etiam pro altera Neerlandiae parte et pro terris ad ripam sinistram Rheni, festa celebrarentur quatuor: *Natalis Dni*, *Ascensio Dni*, *Assumptio B. M. V.* et *omnium Sanctorum*. Nova autem festa hac periodo instituta duo fuerunt: *S. Josephi*, die 19 Martio (1621), et *Immaculatae Conceptionis*, die 8 Dec. (1708).

2°. **Informandorum clericorum**, post concilium Tridentinum, paulatim valde est mutata ratio. Jam pridem innotuerat instructionem et informationem futurorum sacerdotum longe a bono rectoque deficere. Liberius vivebant studiosi in univer-

---

[1]) *P. Norbert O. Cap.*, Der Katholik, 1898, II, p. 151 sqq.

[2]) Hoc etiamnum viget.

sitatibus, et renascentiae temporibus animos saepe hauriebant ab Ecclesia aversos. Praeterea studiorum causa dissitas adire universitates juvenes haud pauci, rerum tenuitate, non poterant. Cetera instructionis instituta multa aut interierant aut languebant. Cui inopiae concilium Tridentinum succurrit, statuendo ut essent seminaria qualia etiamnunc sunt. Decrevit enim ut ad singulas ecclesias cathedrales et metropolitanas satis magnus numerus juvenum ejusdem civitatis, dioecesis aut provinciae ecclesiasticae in unum collegium (seminarium) congregarentur educandi et in scientiis ecclesiasticis instruendi. Admittendi leges posuit: ortum legitimum, aetatem annorum duodecim, eruditionem satisfacientem, indolem bonam et vocationem. Voluit recipi imprimis qui tenuiore cultu viverent, non tamen arceri fortunatos, modo suis sumptibus viverent et serio vellent Deo et Ecclesiae servire. Quos juvenes episcopi jubebantur in classes dividere pro eorum aetate et in scientiis progressu, et peractis studiis ad ministeria sacra applicare. Jussum insuper est, identidem alios juvenes admitti, quo fierent haec collegia perpetua presbyterorum seminaria. Quorum alumni distinguendi tonsura dicebantur et induendi veste clericorum. Minimum „*Grammatices, cantus, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent; sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum atque sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac ceremoniarum formas addiscent*". Ad instituenda et fundanda ejusmodi seminaria praescriptum est, non solum episcopis et capitulis, sed omnibus dioecesis beneficiariis, ut sua quisque conferret. Quae omnia decreta ut exsecutioni mandarentur instantissime monuit synodus praecepitque metropolitis et synodis provincialibus ut suffraganeos ad ea efficienda perducerent[1]). In multis autem dioecesibus satis fuit ut altera seminarii pars institueretur, propterea quod in collegiis Societatis Jesu aliorumque ordinum religiosorum amplus erat juvenibus locus exercendi, quae in altera seminariorum Tridentinorum parte addiscenda proponebantur. Saepe etiam in his collegiis instrui in reliquis scientiis, quae pro sacerdotio postulabantur, poterant, praesertim in

---

[1]) Sess. XXIII, Cap. 18 de reformatione.

universitatibus et facultatibus Societatis Jesu (Dillingae, Ingolstadii, Heidelbergae, Romae etc.) et in seminariis *S. Sulpitii.* Ea autem Tridentini decreta saluberrimos protulisse fructus, usu comprobatum est. Tristissime vero accidit ut fructuosissimae hujus institutionis educationisque ordinem odia guberniorum in Ecclesiam saepe turbarint, ac clericorum vitam probe ecclesiasticam impedierint.

3⁰. Populorum **mores,** inchoante pseudo-reformatione jam valde perversi, bellorum seditionumque perpetuis turbis in partibus nec protestantium[1]) nec catholicorum saniores facti sunt. Quae supersunt testimonia de vita catholicorum, quum in Hollandia[2]) tum in Germania[3]) et aliis regionibus[4]), honorifica non sunt. Quod quidem in tanta paucitate bonorum clericorum mirari non debes. In regionibus septemtrionalibus sacerdotum magna pars a fide defecerant, paucissimis in eorum locum substitutis. In Hollandia soli religiosi suppetias tulerunt. In dioecesi Brixinensi, annis 1525—1529, sacerdotes tantum 2 consecrati sunt. Universitas Vindobonensis, annis 20, peperit sacerdotes duos. Herbipoli, annis 17 (1521—1537), ordinatorum numerus, prius 117, extenuatus est ad 6. Neque temporum turbae profuerunt clericorum moribus. Tristissimae auditae sunt querelae de concubinatu. Visitatione facta anno 1559 in Bavaria, major clericorum pars reperti sunt rei, in dioecesi Salisburgensi plurimi, in Vormatiensi vix duo vel tres culpa vacui. Nec melior in Hollandia rerum conditio[5]). Plurimum conquestum est de capitulis. Etiam in monasteria, Austriae praesertim, invaserat corruptio. Pastoribus autem perversis, populus sanctus esse non potuit[6]). Ebrietate, libidine, aleis et blasphemiis repleta ubique omnia. Etiam in Europae parte meridionali, nominatim in Italia, christianorum mores, ante Tridentini felicem effectum, longe a recto tramite aberraverant.

4⁰. Insuper in partibus septemtrionalibus, tempore pseudo-

---

[1]) Cf. *Janssen*, VIII, 3 Theil.

[2]) Vide supra § 149 n. 2.

[3]) *Janssen*, VIII, p. 387—407.

[4]) De Italia vide *Pastor*, Gesch. d. Päpste, III p. 1 sqq. et *Tacchi Venturi S. J.*, Storia della Comp. di Gesù, Tom. I, p. 3 –192.

[5]) Vide supra § 149 n. 2. Cf. De administratione novi episcopatus Ruraemund. etc. apud *Havensius*, Commentarius de erectione etc., p. 108.

[6]) Vide praesertim Janssen, VIII Bd, 3 Theil.

reformationis, usque in multum saeculum XVIII, furebat tristissima dementia in insectandis **veneficis.** Inde ab antiquissimis christianismi temporibus magia censebatur esse nefarium cum daemonibus commercium. Esse daemones, revelatio docet. Praesidia autem adversus daemonum insectationes Ecclesia proposuit fidem, sacramentorum usum, precationes aliaque hujusmodi spiritualia adjumenta. Commercium vero agere cum diabolo censebatur esse omnium haeresum pessima, defectui a fide aequiparanda. Testis est *canon episcopi*[1]), receptus in *decreto*, ut omnes monerentur abstinere a magicis artibus. Fuerunt tamen semper in variis regionibus qui severa haec decreta infringerent. Burchard, episcopus Vormatiensis, hujus peccati capita distinxit in confessione declaranda. Abusus iste tamen, fotus a sectis gnostico-manicheis, Katharis, Albigensibus, Waldensibus, Luciferianis, toto medii aevi spatio duravit. Libri confessionales saepe de eo agebant[2]). Hinc inde etiam actiones institutae sunt et rei poenis affecti. Quum autem, grassante humanismo ethnico, fides deficeret, aequo passu aucta est superstitio. Cui vires magnas addidit a reformatoribus negata libertas et doctrina de insuperabili virtute diaboli, efferata hominum in rebus fidei et morum conditio et scripta plurima de daemonibus. Lutherus ipse perpetuo sermonem habuit de magia[3]). *Speculum Suevicum et Saxonicum* jam decreverant veneficos et magos igne esse puniendos. Pontifices vero et episcopi, usque ad extremum medium aevum, poenis aliis quam ecclesiasticis animadvertere renuerunt. Saeculo XIV crebriores factae sunt actiones in veneficos et supplicia. Tum Innocentius VIII[4]), Leo X[5]) et Adrianus VI[6]), conati sunt efficere ut hujusmodi causae inquisitoribus demandatae manerent.

---

[1]) Causa XXVI, 9. 5, Can. 12—14, ed. *Friedberg*, Lipsiae 1879, p. 1030 sqq. Cf. *Hefele*, I (2e Aufl.), 241.

[2]) *Geffken*, Der Bildercatechismus des fünfzehnten Jahrh. und die catechetischen Hauptstücke in dieser Zeit bis auf Luther, Leipzig 1855. *Fehr*, Der Aberglaube und die kathol. Kirche des Mittelalters, Stuttgart 1857.

[3]) Hist. pol. Bl., 1907, Heft 7

[4]) Bulla *Summis desiderantes affectibus*, Bull. Rom., I, 429.

[5]) Bull. Rom., I, 617.

[6]) Bull. Rom., I, 625.

Quod tamen successum non habuit. *Malleus maleficarum*[1]), compositus ab inquisitoribus Henrico Institoris et Jacobo Sprenger, mansit quidem regula pro judiciis saecularibus; at multo severius agere progressi sunt, quum in adhibendis tormentis, tum in audiendis testibus et in indulgendo credulitati, ita ut paulatim devenerint ad immodicam crudelitatem, qua causae actae sunt saeculis XVI, XVII et XVIII. In partibus catholicis, e. c. Hispania et Italia, veneficorum causae semper numero tenuissimo fuerunt. Romae numquam venefica exusta est. Benigno agendi more Francia longe superabat Angliam et Scotiam, ubi satis crebrae actiones institutae. In Hollandia quoque multae fuerunt[2]). Maximo tamen furore actum in Germania est multique innocentes suppliciis absumpti. Primus, qui se opposuit, vir fuit catholicus, Joannes Weijer, medicus ducis Cliviacensis. Cujus liber *De praestigiis daemonum* (1563) singulariter animos movit. Anno 1592 Cornelius Loos (Callidius), sacerdos Hollandus, e patria pulsus et factus Treviris magister, conatus est edere in eundem finem opus suum *De vera et falsa magia;* sed, a Trevirensibus impeditus, mentem suam revocare compulsus est. Fuerunt alii, qui scriptis suis actiones in veneficos propugnarent. Remigius, Boquet, Binsfeld et, prae ceteris, qui antea juris doctor, postea Jesuita fuit, Delrio[3]), quem ipse Justus Lipsius ad id faciendum incitavit. Jesuitae Germani omnes, uno Scherer excepto, actiones in veneficos impugnarunt, prae ceteris Laymann[4]), Tanner et Friedrich Spee[5]). Qui, anno 1631, opus suum

---

[1]) Malleus maleficarum in tres partes divisus, in quibus concurrentia ad maleficia, maleficiorum effectus, remedia adv. maleficia et modus denique procedendi et puniendi maleficos abunde continetur, Francofurtis 1588.

[2]) *J. Weyer*, De praestigiis daemonum et incantationibus et veneficiis, Opp. omnia, Amstelodami 1660, p. 1—572: Lib. 6, Cap. 11, § 10; p. 490—491. Cf. Tijdschr. voor Geschied., Dl. XIV, p. 257. *Scheltema*, De heksenprocessen van 1593—1597 in de Nederlanden gevoerd. Geschied- en Letterk. Mengelwerk, IV, a. 261.

[3]) Disquisitiones magicae, Lovanii 1599.

[4]) Liber „processus juridicus contra Sagas" non est auctoris Laymann. Cf. *Duhr S. J.*, Zeitschr. f. kath. Theol., 1899—1901, et Hist. Jahr. der Görresges., 1903, p. 913—915.

[5]) Rationabilem valde epistolam praepositi generalis Aquaviva (1589) vide apud *Janssen*, p. 654, annot. 1.

celeberrimum, *Cautio criminalis*, edidit tacito nomine auctoris. Is liber, latius quam Joannis Weijer opus dispersus, paulatim ad saniora sentienda mentes animosque perduxit. Ineunte saeculo XVIII, etiam protestantes ausi sunt agere adversus tristissimas istas actiones. Tamen, anno adhuc 1783, Glari in Helvetia, sic dicta venefica exusta est.

5⁰. Non sane poterant uno die sanari vulnera, vitae christianae inflicta a renascentia et reformatione. At statim post habitum concilium Tridentinum **meliores fieri mores** inchoarunt, nec fructus hi saluberrimi usque in saeculum XVIII defecerunt. Floruit vita religiosa, institutoresque ordinum et congregationum fere viri fuerunt sancti, qui vitae christianae instaurandae, exemplo laboribusque suis, multum profuerunt. Memorentur Ignatius a Loyola, Philippus Nerius, Vincentius a Paulo, Cajetanus a Thiena, Hieronymus Aemilianus, Joannes Baptista de la Salle, Franciscus Salesius, Josephus Calasanza, Petrus de Alcantara, Joannes de Deo, Camillus de Lellis, Petrus Fourier, Alphonsus de Liguori, Theresia, Angela de Merici, Joanna Fr. Frémiot de Chantal etc. Millenos ex omnibus undique finibus asciverunt in ordinibus suis, centies milleni ad vitam christianam, hinc inde ad sanctitatis perfectionem, per ordinum fratres sororesque inducebantur. Sancti, beati, martyres plurimi honori fuerunt Ecclesiae: Pius V, Franciscus Xaverius, Franciscus Borgia, Franciscus de Hieronymo, Franciscus Regis, Aloysius, Stanislaus, Berchmans, Petrus Faber, Martyres Japonenses, beati magno numero, qui in eadem regione et alibi pro Christo vitam sanguinemque profuderunt. Dein Paschalis Baylon, Fidelis a Sigmaringa, Felix a Cantalicio, Benedictus ab Urbino, Laurentius a Brundisio, Michael de Sanctis, Marcino de Caltagirone, Joannes Sarcander, sanctae quoque feminae Magdalena de Pazzis, Catharina de Ricci, Rosa de Lima, Hyacintha de Mariscottis, Agnes Podiensis, Maria Anna de Paredes, Margaretha Maria Alacoque, multaeque aliae, quae exemplo suo precationibusque populos ad rite colendum Deum perduxerunt. Famam quoque magnam sibi compararunt Papae, qui, licet multis impediti molestiis, concilium Tridentinum perficiendum

curarunt ejusque decreta postea exsecutioni mandanda. Nec minore laude sunt digni sancti episcopi, qui Papis in hoc angustissimo negotio ad manus fuerunt: Carolus Borromaeus, jam relatus Franciscus Salesius, Bartholomaeus de Martyribus a Braga, Thomas a Villanova. Multi fuerunt, assiduitate et industria magna laborantes episcopi, Otto a Truchses, Hosius et de Bérulle cardinales. Praeterea efferbuit Ecclesiae numquam intermittens industria in missionibus gentilium. Inde ab apostolorum aetate mirabilis adeo ac fere universus fervor non flammavit. Quam in Europae parte fidelibus ademerat reformatio, recta fides ad barbaras Asiae, Africae et Americae gentes perlata est. Qui assiduus saluberrimusque apostolatus non solum missionariis laudi fuit, sed etiam fidelibus, qui opibus suis missionarios sustentabant. Aliud instauratae vitae vere christianae signum fuit caritas erga egenos. Etsi, turbidis rerum temporumque conditionibus, multas saepe expensas pro tuenda religione fideles facere debebant, obolus tamen pro pauperibus non defuit. Testimonio sunt numerosa caritatis instituta, confraternitates et ordines religiosi, sublevandam egestatem infirmitatemque humanam pro fine sibi proponentes. Si animum adverteris ad sola saluberrima instituta S. Joannis de Deo, aut ad incomparabilia inventa S. Vincentii a Paulo, scias inexhaustam semper fuisse Ecclesiae caritatem et beneficentiam.

CAPUT QUINTUM.

Lites et errores theologici.

§ 161—§ 162.

§ 161. Lites theologicae.

Eleutherius (*Livinus de Meyer* S. J.), Historia controversiarum de auxiliis divinae gratiae, Antverpiae 1705. *Aug. le Blanc* (*Hyacinthe Serry* O. P.), Hist. Controv. de auxiliis, Lovanii 1700. *Schneemann* S. J., Controversiarum de div. grat. liberique arbitrii concordia initia et progressus, Friburgi 1881. Cf. Ergänzungshefte z. Stimm. a. M.-L., No. 9, 13, 14. *Dummermuth* O. P., S. Thomas et doctr. praem. phys., Parisiis 1886. *P. Frins* S. J., S. Thomae doctrina de cooperatione Dei etc., Parisiis 1892. *Dummermuth*, Defensio doctrinae S. Thomae etc. Lovanii 1895. *P. Th. de Regnon* S. J., Bañez et Molina, Paris 1883. *Gayraud*, Thomisme et Molinisme, Paris 1888. *Hurter*, Nomenclator literarius, Tom. II, Oeniponte 1892—1893. *Dausch*, Die Schriftinspiration, Freiburg 1891. *Pesch*, De inspiratione S. Scripturae, Friburgi 1906.

1°. Propterea quod protestantes Bibliam unicum revelatae doctrinae fontem declararant, ejusque aliquas partes imo vero libros integros spurios rejecerant, quasi consequens fuit ut theologi animum attentius adverterent in S. Scripturam ejusque praesertim *inspirationem*. Exeunte saeculo XVII, Lovanii res ad certamen deducta est, ex eo praesertim, quod perpetuo Jesuitae adversarentur Michaeli Bajo. Anno 1685, vir doctus piusque, **Leonardus Lessius**, renuntiatus est magister theologiae in collegio Soc. Jes. Lovaniensi. Haud magna mora, Lessius doctrina sua opposuit se Bajo aliisque magistris Lovaniensibus, hujus amicis. Instigante Bajo[1]), propositae sunt Lessio theses aliquot, parum accuratae et truncatae, non adjecta explanatione nec argumentis, prouti a discipulis in schola erant auditae et

[1]) Der Katholik, 1868, Bd. 19, p. 286.

descriptae, rogabantque Lessium, utrum hanc suam doctrinam agnosceret. Quo facto, Lessius edidit theses 34 concinnas, claras, explanando suam doctrinam de gratia, praedestinatione, reprobatione, inspiratione etc. Non tamen hae, sed priores truncatae propositiones ab universitate Lovaniensi et, hac instigante, etiam ab universitate Duacena censuris affectae sunt. Universitates Moguntina, Ingolstadiana et Trevirensis[1]) steterunt cum Lessio. Academia Parisiensis sententiam non dixit. E reliquis omnibus minus laudanda Lessii propositio haec fuit: *Liber aliquis* (*qualis forte est secundus Machabaeorum*) *humana industria sine assistentia Spiritus S*[i] *Scriptus*, *si Spiritus S. postea testetur*, *nihil ibi esse falsum*, *efficitur Scriptura Sacra.* Addidit tamen, verba inter parenthesin posita non suam mentem, sed aliorum exprimere[2]). Quum autem controversia acris fieret et diuturna, ac Lovanii ad Lessii theses oppugnandas magisterium speciale institueretur, Sixtus V nuntium Coloniensem, Octavium Frangipani, Lovanium misit, qui utrique parti silere mandavit, donec S. Sedes sententiam ferret. Quae tamen lata non est. Tandem, anno 1610, edidit Lessius opera sua theologica[3]); Aquaviva, Societatis Jesu generalis, ei injunxit ut doctrinam emendaret. Lessius autem provocavit ad Papae sententiam. Quae tamen non videtur data. Etenim, pauco tempore post, Bellarminus confirmavit ejus propositum non amplius edendi libros[4]). Narrant Sixtum V, post longam cardinalium disputationem, Lessii theses illas 34 *sanam doctrinam* vocasse[5]).

2⁰. Misso concilio Tridentino, exarsit denuo pristina inter Franciscanos[6]) et Dominicanos controversia de **Immaculata Conceptione** B. M. V. Anno 1616, edixit Paulus V ut servarentur

---

[1]) Vide universitatum declarationes apud *Eleutherium*, Hist. contr. etc., Lib. I, Cap. 11.

[2]) *Ehses*, Nunciaturberichte aus Deutschland; Kölner Nunciatur, Tom. II, p. XXVIII.

[3]) Römische Quartalschr., XIII (1899), p. 373.

[4]) Ven. Servi Dei R. Bellarmini epistolae familiares, Pragae 1753, epist. 11 Maji 1614, p. 160.

[5]) *Habert*, De la défense de la foi sur la grâce, C. 14, § 3. *Hurter*, in voce *Lessius*: Illas omnes propositiones approbavit tanquam articulos *sanam doctrinam* continentes. Cf. *Schneemann*, Controversiarum de div. gratiae etc., p. 371—462.

[6]) *P. M. Sevesi*, I frati minori e l'Immacolata, Quaracchi 1907.

decreta Sixti IV et Pauli V, adeoque alteri alteros ne accusarent erroris, sed solis viris doctis liceret de quaestione disputare. Ulterius tamen idem Papa, anno 1617, vetuit Dominicanos suam sententiam publice defendere[1]. Econtra de eadem quaestione lis orta est inter Universitatem Parisiensem et Maldonatum S. J., negantem fideles omnes obligari ad fide tenendam Immaculatam Conceptionem, eo quod decretum Basileense[2] vim praecepti non haberet. Aula regia Hispaniae perpetuo institit ut res definiretur. Quod licet Gregorius XV facere nollet, praecepit tamen 1622 ut ne quis publice Immaculatae Conceptionis doctrinam impeteret, privatim ii tantum, quibus esset concessum. Magis in dies magisque universalis facta est opinio; atque Alexander VII, anno 1661, statuit ut doctrina et festum Imm. Conc. ne impugnaretur, neve tamen opposita opinio peccatum mortale aut haeresis diceretur[3].

3⁰. In decursu saeculi XVI coepit celeberrima controversia de **gratia divina,** acta inter Dominicanos et Jesuitas. Concilium Tridentinum definierat, esse „*Liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum*"[4]. Quae semper fuit Ecclesiae doctrina, concordans omnino cum „infallibili virtute gratiae divinae", et tum a Patribus tum a Scholasticis tradita. Magna tamen difficultas posita in hoc: „*an moveat physice vel moraliter*". Anno 1581, habita est, Salmanticae in universitate, disputatio publica, qua Prudentius de Montemajor S. J. thesin posuit adversus praedeterminationem physicam Patris Bañez O. P., defenditque *scientiam mediam*, quam didicerat, nomine *scientiae mixtae*, a Fonseca magistro suo. Hoc fuit initium certaminis. Etenim e disputatione propositiones 16 collegit Bañez et ad inquisitionem detulit et deinde ad judicium Castellanum, quod ex iis 13 defendere ad tempus prohibuit. Anno autem 1589, quum Molina opus suum celeberrimum[5] edidisset, acrius exar-

---

[1] *Du Plessis d'Argentré*, Collectio judiciorum de novis erroribus, Parisiis 1724 sqq. Tom. I, App., p. 41.

[2] Sess. 36, cum non erat synodus legitima.

[3] *Du Plessis*, l. c. II, I, p. 443–445; III, II, p. 300–303. Cf. *Plazza*, Causa Imm. Conc., Panormi 1747.

[4] Sess. VI, can. 4.

[5] Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione concordia, Ulyssipone 1588.

sit controversia. Editus liber est cum consensu inquisitionis et cum approbatione Bartholomaei Ferreira O. P. Fuit autem Molinae doctrinae summa haec: *Scientia simplicis intelligentiae* novit Deus hominum actus omnes liberos tantum possibiles, insuper *scientia visionis* actus reapse futuros. Praeterea *supercomprehensione possibilis voluntatis* novit, quid quaevis creatura libera, quavis posita conditione, sit factura vel non factura. Haec scientia Dei *scientia media* est, vel *scientia conditionate futurorum*, quam esse in Deo e S. Scriptura probatur, et Patres *actu exercito* agnoverunt. Videns Deus *scientia simplicis intelligentiae* omnem creaturam possibilem omnemque ordinem gratiae possibilem, et *scientia media* quidquid creatura quaevis in quovis ordine, quovis gratiae adjumento, sit factura, eligit ab aeterno, unico actu liberi sui arbitrii, hunc definitum ordinem, complectens omnes creaturas, circumstantias, gratias actusque, ita ut hoc unico actu universum ordinaverit mundi cursum, praedestinaverit angelos bonos et homines electos, decreverit Incarnationem Christi, praefinierit opera bona omnia, gratias omnes concedendas, peccata omnia toleranda. Quare praedestinatio ad gratiam et gloriam actus est liberae misericordiae divinae, non, *ex praevisis meritis*, actus dilectionis specialis erga electos. Quodsi Deus etiam plures gratias dederit *reprobato*, magis tamen diligit *electos*, eo quod, in priore, sua ipsius culpa gratiae manent *mere sufficientes*, in electis vero sunt *efficaces*. Si quis Molinam interrogaverit, quo modo liberum arbitrium, incitante gratia, ab actu *primo* transeat ad actum *secundum*, respondebit id fieri ipsa libertate arbitrii, cui altera *motione divina* opus non est, quum liberum arbitrium cum gratia et per gratiae virtutem actum supernaturalem ponat atque adeo ipsam *gratiam praevenientem et excitantem in actu primo* faciat fieri *gratiam cooperantem et efficacem in actu secundo*[1]).

Cum gaudio haec doctrina a multis accepta, ab aliis vehementer impugnata, praesertim a Dominicanis, videntibus Molinae libro impugnatam doctrinam Bañez et Alvarez, quae deinceps fuit ordinis Praedicatorum doctrina. Novit Deus, sic ipsi in vicem docebant, omnes creaturarum suarum actus in decretis liberi sui arbitrii, quae infallibiliter executioni man-

---

[1]) Vide *Molinae* opus citatum, passim.

dantur per *determinationem physicam*, seu gratiam *ex se efficacem*, i. e. efficacem independenter ab arbitrio humano. Actus liber creatae voluntatis demum dependet a libero decreto divino (volente vel tolerante) quod infallibiliter exsecutioni mandatur. Creata voluntas, mota praedeterminatione physica, non quidem *potest* (in sensu composito) aliter agere, tamen dicitur libere agere. Quare, etiam in hoc systemate, quum infallibilis gratiae effectus tum humana libertas integra manent[1]).

Quo major fuit utriusque systematis inter sese oppositio, eo acrior fuit concertatio. Quum typis mandaretur Molinae liber, conatus est Bañes impedire ne ederetur. Quod quum non succederet, ex eodem propositiones decem detulit ad inquisitionem. Molina scripto se defendit. Iterum tum de ejus *Concordia* disquisitum est, etiam a Dominicanis, qui doctrinam solidam esse et utilem declararunt, cum S. Scriptura, conciliis et Patribus concordem. Nom tamen quievit Bañez, contenditque ut Molinae liber in inquisitionis *Indicem* referretur. Frustra tamen. Anno 1594 Vallisoleti habita est disputatio inter Dominicanos et Jesuitas. Qua, ut patet, pax non est composita. Tum Bañez provocavit ad S. Sedem, non tamen retulit inquisitionem negasse, quae postulasset. Quod aegerrime tulerunt inquisitores. Quum autem in dies ingravesceret concertatio, Clemens VIII Romae instituit *Congregationem de auxiliis divinae gratiae*, cui addidit consultores 8—11. Acta res est a 2 Januario 1598 ad 28 Augustum 1607. Praevalebant valde Dominicani Romae, propterea quod Clemens VIII cum pluribus cardinalibus Thomismo favebant. Primum inquisitum est de *Concordia*, sed sententia eorum, qui inquisierant, non est recepta. Interea Jesuitae Hispani Romam venerunt. Universae *congregationes* fuerunt 85, quarum 68 regnante Clemente VIII, et 17 Paulo V Papa. Dominicanorum defensores praecipui fuerunt Didacus Alvarez, Thomas de Lemos, et Michael a Ripa; Jesuitarum autem Michael Vasquez, Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal et de Bastida. Clemens VIII paulatim minus infensus doctrinae Molinianae factus est et scripsit ipse annotationes in suo

---

[1]) *Alvares*, De auxiliis divinae gratiae. Romae 1610. *Billuart*, O. P., Summa S. Thomae, hodiernis academiarum moribus accommodata, Tomi 19, Leodii, 1746—1751. Praesertim De Deo, d. 6, a. 4, § 2; a. 6, § 2.

Concordiae exemplari, quibus Molinam purgavit ab incriminatione Pelagianismi. Paulo V facto Papa, Jesuitae impugnare coeperunt *praedeterminationem physicam*. Nec Molina († 1600), nec Bañez († 1604) finem controversiae viderunt. Frustrati sunt omnes hujus in Molinam impetus. Gratiam magnam collegerat sibi non solum Molinae *Concordia*, sed etiam ejus in hoc libro explanatum systema. Diuturnae disquisitionis exitus fuit ut utrumque systema ab errore vacuum declararetur. Defendit Papa Dominicanos a Calvinismo et Jesuitas a Pelagianismo, vetuitque alteram ab altera parte damnari aut censura dignam dici[1]). Non enim agebatur res de dogmate, sed de dogmatis explicatione. Neutram partem damnare voluit Papa. Itaque hac Summae Auctoritatis definitione utrumque systema inculpatum abivit[2]).

---

§ 162. Errores theologici.

Michaelis Baji Opera, cum bullis Pontificum et aliis ipsius causam spectantibus, Colon. Agripp. 1696. *Jean Baptiste Du Chesne* S. J., Histoire du Baianisme ou de l'hérésie de Michel Bajus, Douai-Paris 1731. *Linsenmann*, Mich. Bajus und die Grundlegung des Jansenismus, Tübingen 1867. *Jansenius*, Augustinus in quo haereses et mores Pelagii contra naturae humanae sanitatem, aegritudinem et medicinam ex S. Augustino recensentur et refutantur, Lovanii 1640, Tomi 3. *Rapin*, Histoire du Jansénisme, ed. Domenech, Paris 1865. *Vandenpeereboom*, Corn. Jansenius, sa mort, son testament, ses épitaphes, Bruges 1882. *Sainte Beuve*, Port Royal, 6 vol., 6e ed., Paris 1901. Cf. *Eug. Griselle*, Les lacunes du „Port Royal" de Saint-Beuve, Etudes 1907, Tom. 111. *Edm. Richer*, De ecclesiastica et politica potestate, Parisiis 1611. *Petavius*, De ecclesiastica hierarchia, Parisiis 1643. *Héricourt*, Les lois eccl. de France, Paris 1771. *Charlas*, De libertatibus Eccles. Gal., Romae 1720, ed. 3. *Brück*, Die rationalistischen Bestrebungen im kath. Deutschland, besonders in den drei rhein. Erzbisthümern, Mainz 1865.

1⁰. Memoratae lites fines dogmatis catholici non transierant. De eadem autem gratiae materia alii opinionem protulerunt,

---

[1]) *Denzinger*, ed. IX, p. 250; ed. X, n. 1090. Cf. praesertim textum Italicum apud *Schneemann*, Ergänzungsh. 13—14, p. 90 sqq., praesertim p. 95 sqq.

[2]) *Liv. de Meyer*, Editio secunda Historiae Controversiarum etc. ab objectionibus Hyacinthi Serry vindicatae, Bruxellis 1715, Tomi 2; iterum Venetiis 1742. *Gerardus Schneemann*, S. J., Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia etc., Friburgi 1881.

quae, penitius perspecta, patuit esse Ecclesiae doctrinae adversa stravitque iter ad tristissimum Jansenismum, cujus etiamnum error et pervicacia perseverat. **Michael Bajus** († 1589), natus (1513) Melini in Hannonia, literis incubuit Lovanii, ibique fuit magister philosophiae et S. Scripturae. Statim animum eo applicuit ut S. Scriptura et traditio majore pretio haberetur, quam dicebat esse factum a doctoribus scholasticis. Traditionem esse nimis neglectam dicebat ejusque doctrinam oblivioni datam et depravatam; quare in animo sibi esse manifesta facere, quae in Patribus et prae ceteris in S. Augustino adhuc essent abscondita. Haud magna mora ejus doctrina in sermonem hominum venit movitque scandalum. Restiterunt imprimis Ruardus Tapper[1]) et Jodocus Tiletanus (a Ravesteyn), magistri Lovanienses. Nihil curavit Bajus appellavitque Ruardum Pelagianum. At, jam anno 1560, Sorbona ejus damnavit theses 18. Annis 1560—1566 plura scripsit Bajus opera minora, omnia erroribus infecta. Ex his excerptae propositiones 79, e quibus patebat Bajum non recte sentire de peccato originali, de libero arbitrio, de justitia hominum originali, de gratia ejusque actione, Romam sunt missae. Memorandae quaedam ex iis hoc loco sunt, ut Bajanismi indoles pateat. Sunt autem hae: Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet (27). Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia (25). Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit (67). Sola violentia (i. e. externa, non interna necessitas) repugnat libertati hominis naturali (66). Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio (26). Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur (55). Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum (28). Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio (78)[2]). Kalendis Octobris 1567, edicta bulla[3]) est, qua Pius V propositiones

---

[1]) *Du Plessis*, Collectio judiciorum de novis erroribus, Paris 1724, sqq., Tom. I, App. XXXVII.

[2]) *Denzinger*. Ed. IX, p. 241 sqq.; ed. X, n. 1001—1080.

[3]) *Ex omnibus afflictionibus*.

(79) universe, non qualificatas singillatim, rejecit his verbis: „*Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent* [1]), *in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes respective... damnamus.*" Non se subjecit Bajus, sed suae doctrinae apologiam cum epistola procaciter scripta misit Romam. Responsum ei fuit per breve, quo jubebatur silere. Cui mandato secreto et oretenus obsecutus est Bajus, sed scandalum duravit, donec anno 1570 publice se subjecit. De animi autem sinceritate non sine causa postea dubium moveri potuit. Quum praeterea ejus asseclae resistendo bullae Pontificiae non desisterent, Gregorius XIII novam edixit bullam [2]), quam Francisco Toleto S. J. deferendam Lovanium tradidit. Is, prudenter et leniter agens, Bajum ad seriam scripto subjectionem adduxit [3]); quo facto, Papa ad poenitentem epistolam, benevolentiae testimonium, misit [4]). Vita functus est Bajus anno 1589.

2⁰. Non tamen cum ipso interiit Bajanismus. Qui e sectatoribus ejus majorem assecutus est auctoritatem, **Cornelius Jansenius** [5]) fuit, natus in Hollandia, in vico Acquoy, prope Leerdam. Humanioribus literis studuit Ultrajecti primum, dein Lovanii apud Jesuitas, qui petenti ut in ordinem admitteretur denegarunt. Quapropter, dum viveret, implacabile odium Societatis nutrivit. Suscepit Baji mentem, dum audiret Lovanii magistros Jansonium et Jacobum Bajum, eodemque tempore familiaritatem sociavit cum Joanne du Verger de Hauranne, cui vulgatius nomen „abbé de St. Cyran". Gradu suo ornatus, vixit primum Baionae, in urbe patria de Hauranne et inde ab anno 1617 Lovanii. Dum doceret Lovanii magister, et

---

[1]) Hoc est celebre *comma Pianum,* quod, ab haereticis post verbum *intento* positum, sententiae sensum omnino mutabat. *Du Chesne,* Hist. du Baianisme, Eclaircissements, p. 3—24.

[2]) *Provisionis nostrae,* Bull. Rom. ed. Taur., VIII, 514 sq.

[3]) Vide hanc ejus subjectionem apud *Du Chesne,* App. X.

[4]) Ibidem App. XI et XII.

[5]) Cornelis Jansen proprie vocabatur. Ejus vitam vide apud *Du Chesne,* Histoire du Bajanisme, livre IV et V, *Leydeckeri,* De hist. Jansenismi libri 6, quibus de Corn. Jansenii vita et morte nec non de ipsius sequacibus disseritur, Trajecti ad Rhenum 1695.

factus (1636) episcopus Iprensis, occupabatur componendo opus grande de gratia, ad mentem Augustini. Moriturus manuscriptum legavit Reginaldo Lamaeo, sacellano suo, qui ostenderet Liberto Fromondo, magistro Lovaniensi, et Henrico Caleno, canonico Bruxellensi, quique curaret ut fidelissime ederetur.

Sine expressa S. Sedis licentia tum temporis non licebat quidquam edere de doctrina gratiae, minus certe quidquam Bajanae menti favens [1]). Licet etiam *internuntius* impedire id esset conatus, editus tamen *Augustinus* est, anno 1640, cum approbatione Pontani et Caleni, qui erant revisores, alter Pontificius, alter regius. Sic tum vicerunt partes Bajanae [2]). Jam anno 1541, prima editione divendita, edita altera est, approbata a doctoribus Sorbonicis decem. Alii tamen multi, praesertim Jesuitae, oppugnaverunt librum, quem, Augusto 1641, inquisitio et, anno 1642, Urbanus VIII reprobavit [3]). In doctrina de justitia originali iteravit Jansenius errores Baji. Unde consequens fuit ut erraverit quoque de peccato originali. Per hoc, dicit naturam humanam universam esse corruptam, ita ut nihil boni efficere possit, et omne ejus agendi studium verum sit peccatum. Negabat insuper arbitrii libertatem, quod passivum prorsus est et ad agendum determinatur *delectatione victrice*, sive haec est *terrena* pariens peccatum, sive *coelestis* virtutem generans.

---

[1]) Quoniam Jansenius tota vita sua in hoc laboravit ut damnata doctrina Baji stabiliretur aut renovaretur, difficile defenditur ejus bona fides et mox referendae protestationis sinceritas.

[2]) In testamento scripserat Jansenius: „Sentio enim aliquid difficulter mutari posse. Si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius et illius ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum." Vide inversam chartam inscriptionis libri, *editione principe*, cum subscriptione Caleni. Alii putarunt esse spurium hoc testamentum. Cf. *Vandenpeerenboom*, l. c., p. 49 sqq. Attamen verba subjectionis, ad calcem libri *Augustinus* posita, non minus clara et gravia sunt. Scribit enim: „Quidquid de rebus tam multiplicibus et arduis, non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronuntiavi, ex Apostolicae sedis Ecclesiaeque Romanae matris meae judicio sententiaque suspendo, ut illud jam tunc teneam, si tenendum, revocem, si revocandum, damnem et anathematizem, si damnandum et anathematizandum esse judicaverit." Vide Epilogum, p. 1071.

[3]) Constitutionem *In eminenti* vide apud *Du Plessis*, Collectio judiciorum etc., III, 2, p. 245—246. Cf. I, I, p. 49—52. Bull., ed. Taur., XV, 92.

Multorum tamen sibi fidem conciliavit iste liber. Quorum in Francia princeps fuit et dux ille abbé de S. Cyran († 1643)[1]) et paulo post Antonius Arnauld[2]), qui erat conjunctus cum utraque abbatia *Port Royal*, imprimis cum abbatia *Port Royal des Champs*, cui praeerat abbatissa Mère Angélique Arnauld[3]), cujusque sorores solitariae vitam agebant ascetico-literariam. Hae praesertim et doctores Sorbonici sibi Jansenii librum defendendum sumserunt. Econtra episcopi numero 85, anno 1651, Romam miserunt sententias quinque, e libro *Augustinus* excerptas, quas, anno 1653, Innocentius X damnavit[4]). Sunt autem hae: 1. Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. 2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur. 3. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. 4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare. 5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse[5]).

Adversus quam damnationem tum, duce Arnauld, incepit diuturnum illud certamen de *quaestione facti*, concessa *quaestione juris*. Quoad dogma definitum, sic dicebant, Ecclesiae licet postulare obedientiam; quoad factum vero, de scriptoris cujusdam mente, an certa aliqua doctrina inveniatur in libro, Ecclesiae solum jus est imponendi *silentium obsequiosum*. Simul cum defensione Jansenii, acerrimum inchoarunt adversarii certamen

---

[1]) Oeuvres de St. Cyran, Lyon 1679.

[2]) Oeuvres d'Antoine Arnauld, Paris-Lausanne 1775—1780, 43 vol. in 4⁰; praesertim Tom. XV et XVII, ubi leguntur prima et altera apologia pro D. Jansenio episcopo Iprensi.

[3]) *Monlaur*, Angélique Arnauld, Paris 1901.

[4]) Constit. *Cum occasione*, Bull., ed. Taur., XV, 720 sqq.

[5]) *Denzinger*, ed. IX, p. 252; ed. X, n. 1092—1096. Praesertim *Dechamps* S. J., De haeresi Janseniana ab Apostolica sede merito proscripta libri tres. Opus, anno 1645, sub Antonii Richardi nomine editum, exinde bis locupletatum, quinquies editum, nunc ex ipso auctoris autographo auctius et emendatius prodit, cura et labore P. Stephani Souciet S. J., Paris. 1728.

contra Jesuitas, quod hi strenue Ecclesiam contra Jansenistas tuerentur. Primus eos aggressus est Arnauld, quod frequentem S. Communionem studiose promoverent [1]); pauco tempore post, impetum fecit Blasius Pascal, qui per epistolas suas [2]), utut calumniarum et rerum falsarum plenissimas, plurimum contulit ut per Franciam mens Jansenistica pervagaret. Anno 1656, confirmavit Alexander VII damnationem propositionum Janenisticarum [3]), quo facto, ad clerum Francogallicum formula, ad mentem Papae composita, subscribenda delata est ((1657). Restiterunt acriter Jansenistae, sorores Port Royal et etiam aliqui episcopi. Causati sunt, conventui cleri (assemblée du clergé) jus non esse hujusmodi subscriptionem postulandi. Anno dein 1664, Alexander VII ipse exegit ut subscriberent formulae consimili. Negarunt Arnauld, sorores Port Royal et episcopi Bellovacensis [4]), Andegavensis, Alettinus [5]) et Pamitanus. Hi praeterea asserebant, scripto suo pastoricio, in *quaestione facti* solum *silentium obsequiosum* esse obligatorium, non vero internum obsequium, eo quod non eo usque extenderetur Ecclesiae infallibilitas. Haec autem epistola ab Alexandro VII proscripta est [6]).

Interea Alexandro successit Clemens IX. Ad quem episcopi undeviginti epistolam miserunt, in gratiam episcoporum quatuor. Postulavit autem Papa ut formulae subscriberent. Quod fecerunt, sed cum tacita restrictione, se ad solum *silentium obsequiosum* teneri. Arnauld quoque et sorores Port Royal hac mente subscripserunt. Edictum tunc est *breve*, 19 Januario 1669, quo facta est ea quae dicitur *pax Clementina*. Cujus *pacis* praesidio, opportuna insuper auxilia nacti a Gallicanismo et certamine de regalibus, securi Jansenistae disseminarunt errores suos, adversariis interea per pacem Clementinam ad silen-

---

[1]) *Antoine Arnauld*, De la fréquente Communion, Paris 1643.

[2]) Les Provinciales ou les lettres écrites par Louis de Montalte à un Provincial de ses amis et aux RR. PP. Jésuites, Paris 1656.

[3]) Constit. *Ad Sancti Petri sedem.*

[4]) *Gaillard,* Un prélat Janséniste, Choart de Buzenval, évêque de Beauvais, Paris 1902.

[5]) *Torreilles,* Nicolas Pavillon, évêque d'Alet, Revue du clergé français, Oct. 1902.

[6]) *Bauer,* Stimm. a. M.-L., 1873—1874. Revue des sciences ecclés., 1872—1873.

dum redactis. Error itaque per Franciam et alias regiones sparsus est et vel ipsas congregationes aliquas[1]), imprimis Oratorianos, infecit.

Ineunte tamen saeculo XVIII, denuo concertatio exarsit. Causa princeps fuit *casus conscientiae* et damnatio Quesnelli Oratoriani. Confessarius quidam Jansenista proposuit casum conscientiae, an liceret absolvere poenitentem, qui in *quaestione facti* solum se *silentium obsequiosum* servare confiteretur. Sorbonae doctores 40, inter quos Natalis Alexander et Dupin, responderunt licere (1701); at Clemens XI reprobavit hoc responsum[2]) (1705). Quum, cum pluribus aliis, etiam sorores Port Royal perseverarent in contumacia, earum congregatio dissoluta et abbatia diruta est.

Interea, anno 1694, editus fuerat Quesnelli liber ille[3]), qui tantas turbas concitavit tantumque damnum intulit. Approbationem dederat de Noailles, parum prudens episcopus Cabillonensis[4]). Non potuit non oboriri certamen, in quo de Noailles partes Jansenistarum tenebat. Quare Ludovicus XIV, captus satietate, petiit ut Papa litibus finem poneret. Die 8 Sept. 1713, edicta tum est celeberrima bulla **Unigenitus**[5]), qua reprobabantur sententiae 101, e Quesnelli libro desumptae. Quae causa gravissimae tempestatis in Francia fuit. Fretus praesidio episcoporum 15, restitit de Noailles cardinalis, cui omnes partium Jansenistarum asseclae se adjunxerunt. Anno 1716, universitates Parisiensis, Nannetensis et Rhemensis bullae sese opposuerunt; comitia (parlement) praesidia praebuerunt Jansenistis et Philippus Aurelianensis in eorum partes inclinabatur. Provocavit de Noailles, cum episcopis quatuor, ad synodum generalem (les appellants), et cle-

---

[1]) Cf. Heimbucher, Die Orden und Congregationen, Paderborn 1907, 2e Aufl., I, 307.

[2]) Constit. *Vineam Domini.*

[3]) Le nouveau Testament en français avec des réflexions morales sur chaque verset, pour en rendre la lecture plus utile et la méditation plus aisée, Paris 1694.

[4]) *Barthélémie.* Le Card. de Noailles d'après sa correspondance inédite, Paris 1888.

[5]) *Lafiteau,* Histoire de la Constitution Unigenitus, Besançon 1820. *Schill,* Die Constitution Unigenitus, ihre Veranlassung und ihre Folgen, Freiburg 1876. Tüb. Quartalschr., 1877, p. 150 sqq. Cf. Revue Mabillon, Nov. 1908.

rici regularesque magno numero iis se sociabant (1717). Excommunicati 1718, etiam ab hoc judicio appellarunt. Itaque turbae durarunt. At, anno 1728, serio conversus de Noailles, obiit anno 1729, quo facto Jansenismus praecipuo suo praesidio orbatus est. Cecidit etiam sectae auctoritas ob convulsiones fanaticorum, qui praetexebant sanitatem aegris restitutam et apparitiones sibi factas ad sepulcrum Francisci de Paris († 1722), diaconi Jansenistae. Duravit tamen aliquamdiu haereticorum obstinacia et, aliquot annis post, sociarunt se cum incredulis, Jesuitas impugnantibus. Paulatim evanuit in Francia Jansenistarum haeresis, labes tamen duravit damnumque magnum intulit christianismo in Italia et Germania.

3⁰. Nefastissime accidit ut etiam in **Neerlandiam Jansenismus** penetrarit[1]). Causa fuit, quod vicarii apostolici nonnulli amicitiam sociarant cum Jansenio ejusque sectatoribus, et praesertim quod Jansenistae Francogalli in Hollandiam aufugerant, in qua jam pridem haud pauci novis doctrinis Lovaniensibus favebant. Anno 1622, auctorem libri *Augustinus* visurus, Lovanium petiit Rovenius. Quo colloquio convenerunt ut, auxiliantibus magnae auctoritatis viris, St. Cyran et Lavalette cardinali, omni qua possent ope conarentur Oratorianos Francogallicos ad missionem Hollandicam allicere. Hanc enim congregationem nuper institutam, aptissimam aestimabant quum Jansenius tum St. Cyran, qua per Hollandiam doctrina nova spargeretur. Quae consilia quum facta essent irrita, mansit tamen cum his viris familiaritate sociatus Rovenius, imo vero approbavit librum *Augustinus*[2]). Qui ei successit, Joannes Neercassel, Oratorianus, perpetuo fuit cum Franciae Jansenistis familiarissime junctus eorumque saepius consilia petiit[3]). Quum

---

[1]) *Luigi Mozzi*, Storia delle rivoluzioni della chiesa d'Utrecht, 3 Vol., Venezia 1787. *M. G. Dupac de Bellegarde*, Hist. abrégée de l'église métrop. d'Utrecht, 3e éd., 1852. *Dr. R. Bennink Janssonius*, De Gesch. der Oud-R. Katholieke Kerk in Nederland, 's Gravenhage 1870. *H. J. Allard*, De eerste Oud-Roomsche en Oud-Katholieke bisschopskeuze en bisschopswijding in Nederland, Studiën, VI Jg., (1873).

[2]) *Du Chesne* S. J., Hist. du Baianisme, p. 308 sqq.; p. 312 sqq. Causa Quesnelliana sive motivum juris etc., Bruxellis 1704, p. 77. Cum Rovenio multi alii eundem probaverunt. Studiën, l. c., p. 7, nota 1.

[3]) Oeuvres de Messire Ant. Arnauld, Paris-Lausanne (Tom. 4) 1776, p. 155 sqq. Causa Quesnelliana, p. 77 sqq.

anno 1682 primus Jansenismi, jampridem damnati, propugnator, Arnauld, in Belgium primum, dein in Hollandiam aufugisset, tanquam virum Dei eum Neercassel recepit hospitiumque ei praebuit in domo beguinarum Delphis. Ibi Arnauld optimos theologiae studiosos instruendos accepit, imprimis Petrum Codde, postea schismatis auctorem, Hugonem illum van Heussen, van Erkel, futurum capituli secretarium, et Roos, qui postea fuit Coddei canonicus; ut dici possit, domum beguinarum Delphinam fuisse seminarium Jansenistarum in Hollandia[1]). Cum Arnauld, etiam alii in Hollandiam migraverant (Vancel, Gerberon, Quesnel[2]), aliique), qui omnes propagando Jansenismo incubuerunt. Ecclesiae Neerlandicae turbata, tempore persecutionis, conditio opportunitatem eis praebuit seminandi errorem, qui enatus magnum cepit incrementum. Anno 1688 advenit in Hollandiam Petrus Codde Oratorianus, renuntiatus Vicarius Apostolicus. Quo auctore, res non sunt ad saniora mutata, ita ut mox (1691) audirentur querelae de Jansenismo pervagante[3]). Eodem anno, propalatus Coddei sectatorumque ejus animus est per libellum, patrio sermone conscriptum, cui titulus: *Memoriale breve e longiore excerptum de statu et propagatione Jansenismi in Hollandia*[4]). Quo facto, nec Quesnelli aut sectatorum scripta, nec patrocinium amicorum Romae, nec ipsius Coddei defensio[5]) cladem avertere potuerunt. Die 25 Sept. 1699, invitatus est Codde ut Romam, purgaturus se adiret, dum Theodorus de Cock interim officio provicarii in missione fungeretur. Fuerunt numero fere 300 clerici, qui in gratiam Coddei petitionem Romam miserint (1701). Qui quum pertinaciter recusaret jurare

---

[1]) *Mr. Du Bois, Prestre,* La Foy et l'innocence du clergé de Hollande défendues contre un libelle diffamatoire intitulé: Mémoire touchant le progrès du Jansénisme en Hollande, Delft 1700. Auctor hujus libri est Quesnel.

[2]) *Allard,* De brieven van Paschasius Quesnel (Studiën, 1902, Dl. 59, p. 197—248).

[3]) *Van Vree,* in De Katholiek, 1856, I, p. 132. *Allard,* De Krijtberg te Amsterdam, Amst 1904, p. 73 sqq.

[4]) Vide Haarl. Bijdragen, VII, 248.

[5]) Vide: Openbaar verweerschrift door den Aartsbisschop van Sebaste aangaande zijne zaken in het licht gegeven, ende met bondige bewijsstukken bekrachtigd, Utrecht 1706. Vide ejus epistolam ad Papam ibd. p. 88, epistolam clericorum 300 ibd. p. 28. Exstat etiam haec defensio Latine et Gallice.

in formulam Alexandri VII, die 13 Majo 1702 munere suo suspensus est. Jansenistae tum praesidia petierunt a senatu reipublicae, qui decreto (plakkaat) 17 Augusti 1702 interdixit ne de Cock munere provicarii fungeretur. Codde autem reduce, increvit ardor studiumque Jansenistarum clericorumque ei faventium. Extra fines aufugit de Cock. In Jesuitas impetus facti tum praesertim, cum 3 Aprili 1704 Codde munere suo esset dejectus[1]). Quae tamen decisio paulatim clericos nonnullos ad saniora adduxit. Exeunte enim anno 1705, e seditiosis 300 vix 131 perseverabant. Immo vero plures in dies a schismate recesserunt, ita ut, quum anno 1719 appellare moliebatur, Quesnel non invenerit plures 72, qui voluerint libello supplici subscribere. Pseudo-capitulum Ultrajectinum tamen rebellioni stetit elegitque, anno 1723, Hagae Comitis, Cornelium Steenhoven archiepiscopum Ultrajectinum atque ita schisma Jansenisticum complevit. Licet reclamasset Papa eumque excommunicatione perculisset[2]), tamen, summa petulantia electus, partes archiepiscopi Ultrajectini egit. Sperantes errorem latius sparsum iri, simul etiam ne, morte archiepiscopi, de novo consecrando in augustias agerentur, instituerunt episcopatus suffraganeos Harlemensem (1742) et Daventriensem (1757). Qui, pari modo a S. Sede non approbati, schismatici manserunt. Languidus tamen valde fuit semper exiguus hic grex Ultrajectinus. Sunt etiamnunc tres isti episcopatus, sed fidelium numerus non excedit 8 milia, coetibus 26 dispertita[3]).

4°. Quemadmodum per Franciam vigens **Gallicanismus**[4]) fulcrum fuit Jansenistis, ita per hos quoque Gallicanismo novae vires sunt additae. In synodo Constantiensi fuerant multi, qui libertatibus Gallicanis faverent, fuerantque hae in formulam certam redactae *Sanctione pragmatica Bituricensi* (1438)[5]). Feliciter

---

[1]) Avis sincères aux Catholiques des Provinces unies sur le décret de l'inquisition de Rome contre Mgr. l'archevêque de Sébaste, vicaire Apostolique, IIe éd. 1705.

[2]) Veroordeeling van Janseniste bisschoppen, zie de Katholiek, Dl. 24, p. 153; Dl. 35, p. 9; Dl. 82, p. 31. Godsdienstvriend, Dl. 71, p. 289; Dl. 82, p. 31.

[3]) De Oud-Katholiek, XIV Jg. (1900), p. 45 sqq.

[4]) *Charlas*, Tractatus de libertatibus ecclesiae Gallicanae, Leodii 1684. *De Maistre*, De l'Eglise gallicane dans son rapport avec le Souverain Pontife, Lyon 1854. Stimm. a. M.-L., 1872, Heft 12: Die Gallikanischen Freiheiten.

[5]) *Valais*, Hist. de la pragmatique sanction, Paris 1906.

quidem accidit ut hanc declarationem, nullo jure fultam, Leo X et Franciscus I, anno 1517, aboleverint. Attamen hujusmodi animus in Francia minime exstinctus est. Mentem *pragmaticae sanctionis* perpetuo promoverunt comitia (parlements), praesertim quum Calvinistae et Jansenistae facta essent hujus corporis membra. Editus est anno 1596 libellus, auctore Pithou, causarum actore in comitiis Parisiensibus, de libertatibus Ecclesiae Gallicanae [1]). Summa doctrinae haec fuit: in Francia, in utenda jurisdictione sua, Papa subjectus est decretis veterum synodorum Gallicarum, rex vero Franciae, in rebus temporalibus, Papae non est subjectus. E quo principio derivabantur conclusiones nefastae: regem posse synodos cogere, in rebus ecclesiasticis leges ferre, interdicere legatis ne uterentur jurisdictione, episcopis ne iter extra fines Franciae instituerent, officia ecclesiastica conferre et pro quacumque culpa poenas a clericis repetere. Papae contra denegabatur jus imponendi tributa ecclesiastica, rege non consentiente, solvendi subditos fide jurata, aut injungendi Franciae bullam *in Coena Domini*. Ut libertates has vindicaret, sibi rex repetebat *Placet* et *appellationem ab abusu* et provocationem ad synodum generalem. Haec omnia aestimabantur esse veteris ecclesiae Gallicae jura, non privilegia a S. Sede concessa. Ut autem haec omnia, quae pro jure habebantur, ratione quoque et argumentis stabilirentur, id conatus est efficere Edmond Richer [2]), disputationibus suis in universitate et praesertim opere suo *De ecclesiastica et politica potestate liber unus* [3]). Anno proxime sequente (1612), istud opusculum proscriptum est ita ut qui regebant Richerio amplius gratiam praestare ausi non fuerint [4]). Comitia tamen non recesserunt a sententiis Pithou, et, protegente Richelio cardinali, Dupuy scripsit adversus episcopos, qui recte sentiebant, suum librum: *Argumenta pro libertatibus ecclesiae Gallicanae* [5]). Qui liber, etsi damnatus ab episcopis Parisiis congregatis et proscriptus a consilio regis, acceptus tamen est a comitiis, quae, machinantibus Jansenistis, tandem eousque

---

[1]) Les libertés de l'Eglise gallicane, Paris 1896.

[2]) *Puyol*, Edmond Richer. Etude historique sur la rénovation du Gallicanisme au commencement du XVII siècle, Paris 1876.

[3]) Parisiis 1611.

[4]) Subjecit se 1629 et obiit 1631.

[5]) Preuves des libertés de l'Eglise gallicane, Paris 1639.

processerunt ut declararint *Primatum esse institutionem humanam*, atque adeo *Papam synodo generali esse subjectum.*

Neque corpus Sorbonicum, isto tempore, mansit integrum a Jansenismo, fueruntque ejus membra doctores cum Dupuy sentientes. Licet numero minores, plus tamen valebant ob gratiam regis et episcoporum multorum, inter quos princeps fuit Harlay, archiepiscopus Parisiensis. Itaque accidit ut Sorbona, pressa metu et spe illecta, demum has *negativas* dederit declarationes: facultas non docet, Papam esse supra concilia. Facultas non docet, Papam esse infallibilem, si non accesserit consensus Ecclesiae, etc. Quibus propositionibus quum doctores 70 subscripsissent, res sunt in dies magis in angusto positae. Praeterea ingravabatur periculum per **certamen de regalibus** [1]). Eo jure *regalium*, fruebatur rex reditibus sedium vacantium, et vacationis tempore beneficia explebat, quae solebant conferri ab episcopis, parochiis exceptis. Concesserat Ecclesia jus illud regi in retributionem pro bonis feudalibus, nonnullis episcopatibus a rege collatis, nec licebat, poena quidem excommunicationis proposita, hanc facultatem ad reliquos episcopatus extendere. Nihilominus Ludovicus XIV, annis 1673—1675, illud jus sibi vindicavit in omnes Franciae dioeceses [2]). Jansenismo faventes episcopi Alettinus et Pamiensis, reliquis silentibus, audacter restiterunt. Non occurrentibus in Francia qui adjuvarent, scripserunt, anno 1677, ad Innocentium XI, qui admonuit regem ut abstineret ab inferenda ista vi. Qui respondit, suum esse jus regium. At Papa fortiter jura episcoporum vindicavit. Quae fuit causa certaminis, nec morte utriusque episcopi compositi. Manserunt *regalia* ad Franciam universam extenta. Dein clerus, congressus anno 1680, acerbam scripsit epistolam ad Papam. Verno autem tempore 1681, Harlay cum episcopis aulicis petierunt ut cogeretur *conventus cleri* singularis, quo res dirimeretur. Convenit Parisiis, anno 1682 [3]). Interfuerunt episcopi 34, et inferiorum clericorum allegati 37, ab administris regiis ea ratione delecti, ut ne esset periculum, quidquam decretum iri, quod

---

[1]) *G. J. Phillips*, Das Regalienrecht in Frankreich, Halle 1873. *De Mouy*, Louis XIV et le Saint Siège, 1662—1665, Paris 1893, 2 vol. *Gérin*, Louis XIV et le Saint Siège, Paris 1894.

[2]) Cf. Collectio Lacensis, I, 793, ubi referuntur tres articuli.

[3]) *J. Bourlon*, Les assemblées du clergé et le Jansénisme, Paris 1909. *Serbat*, Les asssemblées du Clergé de France, Paris 1906.

regi non placeret. Die 9 Novembri, inchoandae deliberationis gratia, Bossuet orationem illam celeberrimam dixit, *de unitate Ecclesiae*, plenam reverentiae erga Papam, at a libertatibus ecclesiae Gallicanae non recedentem. Primum actum est de regalibus. Temperarunt ea tantisper, at pro universa Francia regi vindicarunt. Dein, petentibus nonnullis e clero, ut fieret etiam de doctrina declaratio, Bossuet composuit infamem istam suam *Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate declarationem*[1]). Confecta 19 Martio, constabat capitibus 4, quorum summa haec est:

a. Papa non habet jurisdictionem nisi spiritualem. Rex in negotiis temporalibus nullo modo Papae est subjectus. Papa caret *potestate in temporalia* non solum *directa*, sed etiam *indirecta*. Ecclesia jus dominii in bona non habet, nisi assentiente rege. Papa non habet facultatem liberandi subditos regis fide jurata.

b. Papae potestati modus est factus decretis sessionis IV et V Constantiensis, i. e. synodus est supra Papam.

c. Papae potestati modus factus est decretis conciliorum, regulis, consuetudinibus et institutionibus ecclesiae Gallicanae.

d. In definiendis rebus fidei, Papae competit quidem maxima, prae aliorum omnium, auctoritatis pars; nisi tamen Ecclesia assentiatur, *reformabilis* manet ejus sententia. Bossueti mens in hoc puncto est, Papas singulos neque *infallibiles* neque *indefectibiles* esse, sed tantum omnes simul esse *indefectibiles*.

Jam die 22 Martio, hanc declarationem rex jussit in tabulas referri et pro lege haberi per Franciam universam.

Non potuit tamen non audiri reclamatio. Sorbona noluit integre assentiri. Universitates Duacena et Lovaniensis reprobaverunt articulos quatuor. Universe etiam religiosi adversabantur. In aliis regionibus indignanter propositiones auditae sunt appellabanturque *christianis auribus absurdae et plane detestabiles*. Haud magna mora, edita sunt opuscula duo[2]), qui-

---

[1]) Collectio Lacensis, I, 831, ubi reliqua hujus causae acta et nomina eorum, qui subscripserunt.

[2]) (*Nic. du Bois*), Ad Illustrissimos et RR. Galliae episcopos, Disquisitio Theologico-juridica super Declaratione Cleri Gallicani facta, Parisiis 19 Martii 1682. Dein alterius anonymi: Doctrina quam de primatu, auctoritate et infallibilitate Rom. Pontif. tradiderunt Lovanienses sacrae facultatis Magistri, ac professores tam veteres quam recentiores et Declarationi Cleri Gallicani nuper editae opposita. Uterque hic liber in Universitate Lovaniensi conscriptus est.

bus propositiones non solum impugnabantur, sed censurabantur faventes haereticis, Papam primatu privantes atque instaurantes Wicleffi haeresin, damnatam in Constantiensi. Contra quae, jussu regio, scripsit Bossuet suam *Defensionem*[1]), qua causam perditam tuetur vitiatis testimoniis et argumentis, ita ut liber rebus falsis et inaccuratis scateat. Fortissime tamen restitit Roma. Reprobavit imprimis Papa, quae de regalibus erant decreta (11 Aprili 1682). Quum dein clericis, qui congressui interfuerant et postea renuntiati erant episcopi, approbationem negaret, vetuit rex reliquos electos episcopos approbationem petere. Consequens fuit ut, post annos sex, vacarent sedes 35. Insuper intenta contentio est, cum Papa aboleret *jus asyli.* Aboleverat autem id jus Innocentius ad tollendos abusus, qui irrepserant in *omnium* allegatorum aedibus (1687). Solus Ludovicus XIV reclamavit. Franciae allegatus, excommunicatione perculsus, appellavit ad synodum generalem et Ludovicus eripuit Papae bona Avenionensia et Vindascinum. Mortuo autem Innocentio XI, anno 1689, Alexandro VIII reddidit Ludovicus bona Papae cessitque juri asyli. Innocentius XII demum convenit cum Ludovico de formula, cui, retractandae *Declarationis* gratia, episcopi recenter electi subscribere debebant ut confirmarentur a Papa[2]). Tamen *Declaratio* non integre evanuit ex historia. In decursu saeculi XVIII saepius comitia ad eam provocaverunt; anno 1766 Ludovicus XV eam instauravit et postea Napoleon eam secutus est, in suis articulis organicis (articles organiques).

5⁰. Exeunte medio aevo, etiam in Germania fuit multorum Papae adversa voluntas. Ingeminabantur perpetuo *gravamina nationis germanicae.* Comitia Norimbergensia (1522) de his conquesta sunt. Iterarunt querelas principes electores, anno 1676. Patet, principia Gallicana in Germania quoque animos seditiosos fovisse. Quum, anno 1742, Carolus VII eligeretur, iterum de gravaminibus questi sunt. Consequens tandem fuit ut oriretur **Febronianismus**[3]). Nicolaus de Hontheim

---

[1]) Defensio Declarationis celeberrimae quam de potestate ecclesiastica sanxit Clerus Gallicanus XIX Martii 1682, Luxemburgi 1730, Tomi 2 in 4⁰.

[2]) Collectio Lacensis, I, 835, ubi etiam invenitur epistola Ludovici ad Papam.

[3]) *Leo Mergentheim*, Die Wurzeln des Febronianismus, Hist. pol. Bl., 1907, Heft 3. Briefwechsel zwischen dem Kurfürsten von Trier und Hontheim über Febronius, Frankfurt 1813. *Meyer*, Febronius, 2e Aufl., Tübingen 1885.

principia adversa Ecclesiae doctrinae ardenter animo fovit et strenue defendit. Dum Lovanii studiis incumberet, juris canonici magistro usus erat van Espen, Gallicano. Fama jam unus e doctissimis suae aetatis praelatis celebrabatur, quum, coadjutor-episcopus Trevirensis, edidit suum *Febronium* [1]), quo notam ipse sibi perpetuam inussit. Profluxit iste liber ex ejus animo principiorum Gallicanorum studiosissimo et, si fidem faciunt titulus et praefatio, etiam e desiderio reuniendi christianos dissidentes in religione. Non est nisi colluvies aliqua, non continuata neque ad rationem revocata, sed e scriptoribus protestantibus, Gallicanis et Jansenistis compilata. Hausit sua auctor ex operibus principum scriptorum Gallicanismi, Pithou, Richer, Dupuy et Dupin, a quorum doctrina *Febronius* fere non recedit. Docet enim haec: Deus dedit clavium potestatem Ecclesiae, i. e. collegio fidelium, qui eam exercendam tradunt Papae et episcopis. Unde sequitur, Papam et episcopos potestatem clavium tantum habere *usualiter* et *usufructualiter*, eam autem esse collegii fidelium *principaliter* et *radicaliter*. Regendi ratio Ecclesiae non est democratica nec monarchica, sed aristocratica. In episcopis Papa tantum est *primus inter pares*. Etiam episcopi suum officium suamque jurisdictionem immediate recipiunt a Deo. Habet Papa *primatum honoris*, non vero *primatum jurisdictionis*. Subjectus est concilio generali, ejusque definitiones in rebus fidei et morum non sunt *irreformabiles*. Sola Ecclesia universa infallibilis est, valetque provocatio a Papa ad concilium generale. Ea fuit primordialis Ecclesiae ratio. Ad eam redeundum est. Nam Paparum Ecclesiae gubernatio facta est multo nimis absoluta et monarchica, causa: *a.* sanctitatis nonnullorum; *b.* confusionis potestatis primatialis et patriarchalis; *c.* decretalium Pseudo-Isidori. Adjumenta autem, quibus posset mox conditio pristina recuperari, enumeravit haec: *a.* instructionem populi idoneam; *b.* synodum universalem liberam; *c.* synodum nationalem, cui jus esset recedendi,

---

[1]) Justini Febronii JCti de statu Ecclesiae et legitima postestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus. ed. III emendatior et auctior, Francofurti ad M., 1789, Tomi 4 in 4⁰. Editio primo facta est Bullioni (Francofurti) apud Evrardi (Esslinger) 1763.

si opus esset, ab obedientia Pontificis; *d.* principum actionem communem adversus Romanam Sedem, ducibus episcopis, et seposito metu censurarum aut schismatis; *e. placetum regium; f. appellationem ab abusu*, i. e. ad synodum generalem.

Per se patet librum talem vario animo a variis fuisse salutatum. Propterea quod multi ea aetate erant animis Ecclesiae adversis, cupidissime est liber lectitatus et a multis in aliud idioma versus. Alii multi doctrinam impugnarunt, quorum praestantissimi fuerunt Zaccaria S. J.[1]) et Petrus Ballerini[2]). Non potuit non se defendere Hontheim. Annis 1770, 1772 et 1773 edidit suas *Vindicias*, quibus nunc constant *Febronii* tomi II—IV, et 1777 opus ipsum, ad breviorem formam redactum. Anno 1764 Clemens XIII jam damnaverat librum jussitque episcopos Germaniae prohibere ne liber legeretur. Quare archiepiscopus Trevirensis, cum aliis episcopis novem, *Febronium* proscripserunt. Compulsus ab archiepiscopo suo, non ante annum 1778 retractavit Hontheim. Utrum, moriturus, sententiam mutaverit, non satis compertum est. Obiit anno 1790.

Nec tamen desierunt animos mentesque perturbare principia Febroniana. Principes electores ecclesiastici Trevirensis, Coloniensis et Moguntinus fuerunt eorum praecipui fautores[3]). Qui, anno 1769 congressi Confluentiae, adversus S. Sedem, quae eorum preces, ut restituerentur „jura pristina metropolitana", rejecerat, constituerunt *desideria* 31, petieruntque ut imperator (Josephus II) postulata perficeret. Non tamen anceps haesit Papa, sed, petente principe electore Bavariae, instituit Monachii nuntiaturam apostolicam[4]). Quod aegerrime tulerunt electores ecclesiastici, eo quod novo nuntio, Soglio, facta esset potestas spiritualis in partes, ad eorum dioeceses pertinentes. Pontificia haec interventio, necnon constans agendi ratio nuntii Coloniensis, Pacca[5]), adduxerunt episcopos obstinatos ad nefastam **punctationem Amasinam**

---

[1]) Antifebronio, Pisaur. 1767, Tomi 4.

[2]) De potestate ecclesiastica sum. Pontif., Veronae 1768.

[3]) *Goyau*, L'Allemagne religieuse. Le Catholicisme, Tom. I, Paris 1905, p. 58 sqq.

[4]) *Stigloher*, Die Errichtung der päpstlich. Nuntiatur in München und der Emser Congres, Regensburg 1867.

[5]) *Pacca*, Hist. Denkwürdigkeiten über seinen Aufenthalt in Deutschland von 1786—1794. A. dem Ital., Regensburg 1832.

(Ems) (25 Augusto 1786). Praecipuas oppositionis partes egit archiepiscopus Moguntinus, apud quem descripta sunt *gravamina*, quae summa fuerunt capitum 23 Amasinorum. In ea civitate allegati trium principum electorum ecclesiasticorum, Moguntini, Trevirensis et Coloniensis, Augusto 1786 congressi, capita 23 edixerunt. Quorum praecipua haec fuerunt: *a*. Non amplius subjecta erunt monasteria generali suo, non ad hunc amplius provocabunt, neque erunt exempta a jurisdictione episcoporum. *b*. Sua propria jurisdictionis potestate, episcopis facultas est dispensandi in abstinentia, in impedimentis matrimonialibus et in votis solemnibus, necnon mutandi institutorum statuta. *c*. Quapropter facultates quinquennales non iterabuntur. Paparum bullae egebunt *placeto* episcopali et congregationes Romanae auctoritate carebunt in Germania. *d*. Nuntiaturae abrogabuntur. *e*. Episcopi dispensabunt in *cumulo beneficiorum*. *f*. Nova conficietur formula juramenti pro episcopis. *g*. Decreta Basileensia, prout acceptata sunt Moguntiae (1439), pro regula valebunt, decreta vero concordatus Vindobonensis (1448) vim exceptionis habebunt. *h*. Lites omnes dirimentur ab episcopis et metropolitis. Quodsi quis ab horum sententia provocaverit ad Papam, hic constituet *judices in partibus*[1]). Omni, qua poterant, ope contenderunt seditiosi ut imperatorem reliquosque episcopos ad assentiendum capitibus punctationis inducerent. Cunctante imperatore, episcopi detestati sunt proposita eaque fortiter impugnarunt, duce comite de Styrum, episcopo Spirensi. Quum autem archiepiscopi facto facerent quae vellent, rescidit Pacca quae egerant jure sibi arrogato. Tum Joseph II imperator appellavit Romam, sed nihil obtinuit. Fredericus II restitit *punctationi*, sed solis politicis rationibus motus. Anno 1789 edita est responsio Pii VI[2]). Confestim obsecutus est archiepiscopus Trevirensis, paulo post idem fecerunt archiepiscopi Coloniensis et Salisburgensis; Moguntinus perseveravit contumax. At, pauco tempore post, revolutio Francogallica omnia jura principum electorum ecclesiasticorum subvertit.

6⁰. Principia Gallicana et Febroniana in nulla Germaniae

---

[1]) *Münch*, Vollständige Sammlung alter Konkordate, Leipzig 1830, Tom. I, 406.

[2]) Pii Papae VI Responsio ad metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, Salisburgensem super nuntiaturis Apostolicis, Romae 1789.

parte pari modo animos commoverunt atque in Austria. A Josepho II accepit commotio nomen **Josephismi**[1]). Inducta consiliis administrorum rationalismi et Gallicanismi studiosorum, Maria Theresia[2]), pia ceteroquin et Ecclesiae amica, decreta tulit Ecclesiae juribus opposita. Vindobonae *commissarii pro studiis*, liberioribus principiis deditissimi, fuerunt S. Stock et Simen canonici, van Swieten magister, Stephanus Rautenstrauch abbas et Josephus Sonnenfels. Opportunissimum iis accidit, volentibus studia reformare ratione ecclesiae adversa, quod, suppressa Societate Jesu, gymnasia multa et Academiae vacabant. Praeterea temperatum est *jus asyli*, modus impositus religiosis, ne nimio numero accrescerent, bonis ecclesiae, ne nimis augerentur, appellationi ad S. Sedem ne fieret crebrior. Prohibitum ne quis ante annum aetatis 25[um] professionem religiosam faceret. Auctoritate sua minuerunt dierum festorum numerum, erexerunt episcopatus, vetuerunt legatos Pontificios visitare dioeceses, et placetum imperatorium postularunt pro decretis ecclesiasticis.

Angustior etiam multo facta res est, cum Josephus II (1780—1790) solus Austriae regimen occupasset. Adjutus administro suo Kaunitz aliisque tristissimo animo consiliariis, protestantibus et schismaticis Graecis cultus libertatem, nonnihil temperatam, concessit (1781), literarum commercium cum S. Sede, *facultates quinquennales*, regularium exemptiones et clericorum privilegia abolevit, sibi arrogavit placetum pro omnibus bullis et constitutionibus episcoporum, sibique sumsit eligere et constituere canonicos. Consilio privato imperator ipsa impedimenta matrimonialia abrogavit aliaque constituit, tradiditque negotia matrimonialia judicio saeculari dirimenda. Neque abstinuit ab ordinibus religiosis Josephus II. Ordines contemplativos abrogavit, alios numero minuit. Integri manserunt soli ordines instructioni aut aegrotorum curae dediti, ita ut, annorum spatio 6 (1781—1787), monasteria in Moravia 42, in Austria 700 interierint. Eorum bona addicta sunt *arcae religionis*, unde

---

[1]) *Jäger*, Kaiser Joseph II und Kaiser Leopold II, Wien 1867. *Brunner*, Joseph II, Freiburg 1874. *Ritter*, Kaiser Joseph II und seine kirchlichen Reformen, Regensburg 1867. *R. Rittmair*, Der Josephinische Klostersturm im Land ob der Ems, Freiburg 1907.

[2]) *Arneth*, Maria Theresia, Wien 1863—1879, 7 Bde.

imperator haurire solebat expendenda pro negotiis ecclesiasticis. In ordinibus reliquis multa gravissima mutavit: domorum inter se noluit esse vinculum, nec communicare domos cum generali, nec esse exemptas; vetuit admitti novitium, nisi facultate facta a magistratu, aut ad vitam eligi superiores[1]). Congregationes omnes et confraternitates copulavit imperator in unam *confraternitatem actuosae caritatis*, quae tamen mox cedere debuit *Instituto pauperum*. Multae sunt parochiae novae constitutae, sed parochis mandatum est ut eas regerent e legibus politico-ecclesiasticis, ut proclamarent e suggestu leges omnes, tolerantia erga non-catholicos exemplo essent fidelibus, puram Evangelii morumque doctrinam exponerent et benedicerent matrimoniis mixtis. Quo autem clerici novis his principiis rite imbuerentur, sustulit Josephus II seminaria et monasteriorum scholas, creavitque **seminaria generalia** quatuor, Vindobonae, Pestae, Paviae et Lovanii, cum supplementis Graecii, Olomutii, Pragae, Oeniponte et Friburgi in Brisgovia. In his scholis, quae episcopis non erant subjectae, instruebatur clerus ad mentem imperatoris. In tradenda theologia dogmatica et interpretanda S. Scriptura, sequebantur rationalismum, in jure canonico Febronii principia, in historia ecclesiastica praejudicatas Schröckii opiniones. Cujus quidem opera, cum operibus Dannemayer, Pehem, Eybel aliorumque, praelectionum fuerunt ad informandum clerum fundamenta. Frustra monuerunt episcopi Vindobonensis[2]), Strigoniensis (Gran), Goritiensis, Zagrabiensis (Agram) et Trevirensis ut caveretur ab isto caesaropapismo. Nec ipse Pius VI, Vindobonam visens, quidquam obtinuit[3]).

Ad saniora demum meditanda paulatim adactus est imperator, quum **Neerlandia Austriaca**[4]) fortiter legibus iniquis resisteret. Non tulit ibi populus jura antiqua violata (joyeuse entrée). Projectis lapidibus salutabantur Lovanii professores

---

[1]) *Wolf*, Aufhebung der Klöster in Inneroesterreich, Wien 1871. *Linderer*, Die Aufhebung der Klöster in Deutschtirol, Innsbruck 1886. Archivalische Zeitschr., 1894, 1896, 1897.

[2]) *Wolfsgruber*, Magazzi, Fürsterzbischof von Wien, Saulgau 1891.

[3]) *Schlitter*, Pius VI zu Wien, Wien 1892.

[4]) *L. Delplace* S. J., Joseph II et la révolution Brabançonne, Louvain 1890. *Schlitter*, Die Regierung Josephs II in den belg. Niederländen, Wien 1900.

imperatorii *seminarii generalis*. Studiosi multi recesserunt. Comitia Brabantina minitabantur negatum iri subsidia, nisi jura vetera (joyeuse entrée) restituerentur. Commota seditio est, quum civis Bruxellensis comprehensus esset, nec sedata nisi postquam bene pollicitus esset imperator, fore ut jura vetera (joyeuse entrée) inviolate servarentur. Viros populo invisos revocavit Josephus II in Austriam. Quare literas gratulatorias miserunt Belgae, sed simul precabantur ut monasteria omnia restituerentur, tolleretur *seminarium generale*, confraternitates ne solverentur et alia hujusmodi. Negavit Josephus II. Quo facto, Frankenberg, Mechliniensis cardinalis, cum reliquis episcopis reclamavit[1]), exasperatis in dies magis magisque populi animis. Comitia Brabantina et Hannoniana recusarunt pendere subsidia. Quare retraxit Josephus II quae concesserat omnia (1789), minatusque est suspendere jura (joyeuse entrée). Die 18 Junio 1789, legem primam novam proposuit, quam accipere Belgae noluerunt. Quo facto, abrogavit imperator jura (joyeuse entrée), dejecit muneribus suis senatores Brabantinos et ipsum Frankenberg cardinalem. At, 13 Decembri 1789, declaratum est, Belgium sui juris esse et, 7 Januario 1790, constituta est *Respublica uniti Belgii*. Sero petiit Josephus II ut Pius VI intercederet. Quum rescriberet ad episcopos Belgicos, die 23 Januario 1790, Pius VI, respublica constituta, Belgium ditioni Austriacae jam fuit ereptum. Eodem anno defunctus est Josephus II[2]).

7⁰. In Italia idem Ecclesiae infensus animus causa fuit cur congrederetur **synodus Pistoriensis**[3]). Leopoldus II, Tusciae dux et Josephi II imperatoris frater, pro ducatu suo eadem fere nova decrevit, quae imperator, abolevit praeterea inquisitionem, vetuit promulgari bullam *in Coena Domini*, exegitque ut beneficiorum candidati severo examine probarentur. Immo vero, ulterius quam Josephus II progressus, misit ad

---

[1]) *Theiner*, Der Kardinal von Frankenberg, Freiburg 1850.

[2]) *G. Goyau*, L'Allemagne religieuse. Le catholicisme, Tom. I, Paris 1905, p. 2—55.

[3]) Acta Syn. Pist. ed. *Scharzel*, Bamberg 1790. Memorie di Scipione de Ricci publ. con documenti, Firenze 1865, 1—2. *Rinieri*, Napoleon e Pio VII, III, 2. (La consecr. La conversione di Scipio Ricci) Torino 1906, Parte I, Cap. VIII—X.

episcopos capita 57 de cultu, de disciplina clericorum et de gubernio ecclesiastico. Mens ejus fuit, ut de his ageretur in synodis dioecesanis primum, dein in synodo nationali. Ex episcopis 18, tantum tres cum Leopoldo steterunt eorumque ardentissimus fuit Scipione Ricci Pistoriensis, amicitia conjunctus cum praecipuis Jansenistis et episcopis schismaticis Ultrajectinis. Is, anno 1786, coegit infamem *synodum* dioecesanam *Pistoriensem*. In ea Ricci, cum sacerdotibus 234, non solum articulos 57 Leopoldi probarunt, sed alia etiam decreta tulerunt adversantia disciplinae et ipsi fidei Ecclesiae [1]). Eorum summa haec fuit: Auctoritas summa penes Ecclesiam est, cujus Papa tantum est *Caput ministeriale*. Vi consecrationis suae episcopo sunt jura omnia, ad rite gubernandam ecclesiam suam necessaria; licetque ei recipere quaecumque ei fuerint exemptione, reservatione aut consuetudine adempta. In synodo dioecesana habet parochus jus suffragii, non minus quam episcopus. *Reservatio casuum* abolenda est. Per indulgentias solae poenae canonicae remittuntur. Excommunicatio externum tantum effectum habet. Principibus jus est statuendi impedimenta matrimonialia in iisque dispensandi. Ordines religiosi omnes ad unam regulam sunt reducendi. In ecclesiis unum tantum sit altare. Liturgia fiat sermone patrio. Praeterea sententiae multae falsae et haereticae prolatae et probatae sunt, de corpore Ecclesiae, de statu justitiae originalis, de immortalitate, de gratia, de fide, de sacramentis et praesertim de S. Sacrificio Missae, de poenitentia, de devotione Sacratissimi Cordis, de cultu imaginum, de ordinibus religiosis, de synodo nationali [2]).

Tentata synodus nationalis, anno 1787, non successit, eo quod major praelatorum pars detestarentur Leopoldi consilia. Is tamen exsequi concepta sua contendit atque ita in certamen incidit cum S. Sede. Anno 1790, fratri suo succedens in imperio Austriaco, partim mandata sua rescidit. Ricci autem usque adeo invisum se fidelibus suis reddiderat, ut abdicaverit se dignitate (1791). Pius VI damnavit, anno 1794, propositiones 85 synodi Pistoriensis [3]). Anno 1805 se subjecit Ricci, non tamen

---

[1]) Atti e decreti del concilio diocesano di Pistoia, Firenze 1788.
[2]) *Denzinger*, ed. IX, p. 310 sqq.; ed. X, n. 1501 sqq.
[3]) Const. *Auctorem fidei*.

serio. Postea saltem invenitur pristinis suis principiis schismaticis inhaerens. Obiit anno 1810[1]).

8⁰. Praeter lites eas omnes, ex erroribus aut dogmati aut juri ecclesiastico adversantibus enatas, obortum etiam certamen est, de **quietismo**[2]) vocatum, qui fuit partus perperam cultae doctrinae mysticae. Jam pridem in hujusmodi errores impegerant Euchitae seu Messaliani, Bogomili, Beguini et Beghardi, Fraticelli, Germani nonnulli *mystici*, et in Hispania Allumbrados seu Illuminati. Recens autem obortus quietismus celebritatem nactus est, adumbratus a Michaele Molinos[3]) Hispano. Is, natus 1640, studiis theologicis operam dedit in universitate Conimbricensi. Dein, Romam profectus, brevi parem atque in Hispania sibi comparavit famam. Mysticis suis disquisitionibus ad absurdissimos errores pervenit Molinos, descriptos in libro suo, cui titulus *Dux spiritualis*[4]). Quo libro, brevi tempore pervulgato, saepius verso et iterum edito, docet: veram vitam interiorem esse facultates suas naturales exstinguere; per eas operari esse peccatum, quia solus Deus velit esse in nobis operator; quiescendo et nihil agendo, animam recedere ad principium suum, divinam naturam, quacum tum fiat natura una; non debere animam cogitare de comparando praemio, nec de vitanda poena, nec desiderare virtutem, perfectionem, sanctitatem aut vitam aeternam; qui a Deo consumatur, eum non amplius resistere tentationibus, sed quiescere; operatione humana divinam operationem impediri; diligere B. Virginem, Sanctos vel Christi humanitatem, sensuale esse, eo quod haec sensualia sint; opera mortificationis externae inutilia esse; antiquitus Deum sanctificasse hominem per persecutiones, nunc per diabolum, qui possit hominem perfectum cogere ad pollutionem et turpia cum aliis, ad humiliandum eum, non vero ut peccet, eo quod desit consensus; quod si eveniat, nihil agere

---

[1]) *Rinieri*, Op. cit., Cap. X: La reconciliazione non sincera dell antico vescovo di Pistoia.

[2]) *Heppe*, Gesch. der quietistischen Mystik in der katholischen Kirche, Berlin 1875. Tüb. Quartalschr., 1856, p. 241 sqq.

[3]) *Scharling*, Michael Molinos, Gotha 1855. Zeitschr. f. hist. Theol., 1854—1855.

[4]) Dux spiritualis conducens animas per vim interiorem ad assequendam perfectam contemplationem et divitem thesaurum pacis interioris, Romae 1675.

debere hominem sed expellere sollicitudinem et scrupulos [1]). Qualem doctrinam tristissimos habuisse effectus, mirandum non est. Conquerebantur episcopi de animarum corruptione. Qui primus opus Molinos impugnaverit, celeberrimus fuit Paulus Segneri S. J. [2]), qui tamen ex hac re incommoda multa cepit. Paulatim tamen sanior doctrina praevaluit. Anno 1685 actio facta est in Molinos, quae eo evasit, ut lata sit sententia parum ei favens. Duennio post, Innocentius XI ejus sententias 68 damnavit [3]). At non ideo exstinctus est error. Altius radices egerat, etiam apud presbyteros et praelatos. Anno 1688 damnari debuit liber *Contemplazione mistica*, scriptus a Patrucci cardinali. Ardens quoque propugnator quietismi fuit Josephus Beccarelli, Mediolanensis, qui tamen, in judicium inquisitionis citatus, retractavit. In Francia scripsit Maleval: *Pratique facile pour élever l'âme à la contemplation*, et Lacombe Barnabita: *Analyse de l'oraison mentale.* Quod utrumque opus proscriptum est. Lacombi discipulae, Joannae Mariae de la Motte Guyon, opera inquisitio damnavit (1717) [4]). Per eam celeberrimus ipse Fénelon aliquousque semiquietismo irretitus est. Etenim, quum se ei dirigendam tradidisset, captus est Fénelon illo *universa sui ipsius exstinctione, sine qua amor perfectus non attingitur*, quod fuit operum ejus mysticorum principium et fundamentum. At, in conventu Isiacensi (1694—1695), Bossuet, Fénelon aliique consenserunt ejus doctrinae opponi propositiones 34, quibus de la Motte Guyon etiam subscripsit. Quo facto, Bossuet ad clerum dioecesis suae edidit *Ordonnance et instruction pastorale sur les états d'oraison* (1695). Cui respondit Fénelon opere suo: *Explication des maximes des saints sur la vie intérieure*, cujus libri magna fama fuit. Orta tum controversia est inter Fénelon et Bossuet, qui, errorem refellens, docuit, in omni *actu* amoris perfecti *secundario* requiri *motivum praemii obtinendi.* Misit librum suum disquirendum Romam Fénelon, cujus propositiones 23, die 12 Martio 1699,

---

[1]) *Denzinger*, ed. IX, p. 266 sq.; ed. X. n. 1221 sq.

[2]) Concordia tra la Fatica e la Quiete nell' orazione espressa ad un Religioso in Risposta, Firenze 1680. I sette principii su cui si fonda la nuova Orazione di Quiete, Venezia 1682.

[3]) Constit. *Coelestis Pastor*, 20 Nov. 1687.

[4]) Oeuvres spirituelles, Cologne 1713—1722, 42 vol.

Innocentius XII reprobavit[1]. Errores autem praecipui hi sunt: datur status habitualis perfecti amoris Dei, in quo nec timor poenarum nec desiderium remunerationum amplius partem habent. In hoc statu sanctae indifferentiae, anima non habet amplius desideria voluntaria: nihil vult sibi, omnia Deo (4. 5). Quamdiu anima indiget meditatione, vivit in statu amoris *interessati* (15). In statu sanctae indifferentiae per confessionem desiderat anima remissionem peccatorum, non ut propriam purificationem, sed ut rem, quam Deus vult et vult nos velle propter gloriam suam (20). Vir pius et humilis Fénelon ipse e suggestu damnatam suam doctrinam proclamavit (25 Martio 1699), praeclaro exemplo fidelibus totius Ecclesiae[2].

---

[1]) *Denzinger*, ed. IX, p. 278 sqq.; ed. X, n. 1327 sqq.

[2]) *Gosselin*, Hist. littéraire de Fénelon, Paris 1843 sq. *Broglie*, Fénelon à Cambrai d'après sa correspondance (1699—1715), Paris 1884. Nouvelle revue théol., 1904, nov.; 1905, févr. *Maurice Masson*, Fénelon et Madame Guyon. Documents nouveaux et inédits, Paris 1907.

CAPUT SEXTUM.

Papae adversus absolutismum. Incredulitas et praeparatio revolutionis.

§ 163—§ 164.

§ 163. **Papae adversus absolutismum.**

Sandini, Vitae Pontificum Romanorum, Ferrariae 1754. *Guarnacci*, Vitae et res gestae R. Pontificum et Cardinalium (1670—1721), Romae 1751 sq., Tomi 2. *Novaes*, Elementi della storia dei Sommi Pontefici, ed. 3, Romae 1822 sqq., Tom. X sqq. *Ranke*, Die Röm. Päpste in den vier letzten Jahrhunderten, 9e Aufl., Leipzig 1889, III Bd. *Piatti*, Storia critico-chronol. dei Rom. Pontefici, Napoli 1763—1770, usque ad Clem. XIII. *Roskovany*, Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili, Quinque-Ecclesiis (Fünfkirchen) 1847, Tom. I et IX.

1°. E supra relatis erroribus litibusque abunde patet, inde ab altera saeculi XVII parte, Ecclesiam esse acriter impugnatam, atque adeo Paparum conditionem saepius fuisse in tristissimis angustiis positam. Vir eximius, **Clemens IX** (1667—1669), satis brevi regni spatio multis aerumnis fuit obnoxius. Licet magnam auri copiam expenderit bello adversus Turcas, tamen insulae Cretae jacturam fecerunt christiani. Memoria ejus copulata est *paci Clementinae*, cum Jansenistis inita. Hispaniam cum Francia reconciliavit pace Aquisgranensi. Noluit unquam concedere nepotismo, praestans gubernator, fuitque praeterea literis institutus, pius, zeli plenus, ita ut ipse confessiones audiret in S. Petri. Cui successit Aemilianus Altieri, octogenarius, **Clemens X** (1670—1676) [1]. Quo regnante, controversia Gallicana aggravata est tristissimo luctamine de regalibus. Paoluzzo cardinalis praesertim, in rebus gerendis, Papae ad manus fuit. Successit **Innocentius XI** (1676—1689), vir fortis

[1]) *De Bildt*, The conclave of Clement X (1670), Oxford 1905. *Idem*, Christine de Suède et le conclave de Clément X (1669—1670), Paris 1906.

e gente Odescalchiorum oriundus[1]). Intrepide jura Ecclesiae tuitus est adversus Ludovicum XIV[2]), regalia et jus asyli retinentem; reprobavit cleri Gallicani decreta, propositiones 65 de doctrina morum laxa[3]), sententias Molinos 68, ediditque decretum de S. Communionis frequentia[4]). In memoriam celeberrimae victoriae, ad portas Vindobonenses de Turcis reportatae, instituit festum Nominis Mariae. Cum fama sanctitatis mortuo successit **Alexander VIII** (1689—1691). Iterum is damnavit *declarationem cleri Gallicani*[5]), locupletavit bibliothecam Vaticanam pretiosa collectione Catharinae Sveciae, *codicibusque Ottobonianis*, sed cognatione sibi conjunctis nimium tribuit. Quae causa fuit, cur **Innocentius XII** (1691—1700), ejus successor, edixerit bullam *Romanum decet Pontificem*[6]), vetans consanguineos locupletari bonis Ecclesiae, aut iis plura quam reliquis pauperibus erogari. Solis viris bene meritis munera magistratusque contulit et iis, quibus jam fuerant antea delata, pretium, pro munere solutum, reddendum curavit. Jubilaeum, anno 1700 celebratum, peregrinantium magnam copiam Romam allexit. Inchoabat vero saeculum Papatui nefastum.

2⁰. **Clemens XI** (1700—1721)[7]) multis fuit difficultatibus objectus. Jam anno 1701 reclamandum ei fuit adversus Fredericum Brenoburgensem, qui, praepotens e bonis ordinis Teutonici, sibi nomen regis dederat. Novas easque majores angustias attulit bellum de successione Hispanica (1701—1714). Etenim, minitando et per vim, belligerantes utrique Papam conabantur ad suas partes traducere. Quum ad Philippum V, quem Hispani regem proclamarant, Papa legatum misisset salutandi causa, Josephus I imperator omne cum Romana

---

[1]) *Immich*, Papst Innocenz XI (1676—1689). Beiträge zur Gesch. seiner Politik und zur Charakteristik seiner Persönlichkeit, Berlin 1900.

[2]) *Michaud*, Louis XIV et Innocent XI, Paris 1882 - 84, 2 vol.

[3]) *Denzinger*, ed. IX, p. 258 sqq.; ed. X, n. 1151 sqq.

[4]) *Denzinger*, ed. IX, p. 264 sqq., p. 266 sqq.; ed. X, n. 1221 sqq., n. 1147 sqq.

[5]) *Denzinger*, ed. IX, p. 277 sq.; ed. X, n. 1322 sq.

[6]) 22 Junio 1692, Bull. Rom., VII, 181.

[7]) *Galland*, in Hist. Jahrb der Görresges., 1882: Die Papstwahl des Jahres 1700 im Zusammenhange mit den damaligen kirchlichen und politischen Verhältnissen.

Sede commercium interdixit; tum, impetu facto in principatum Pontificium, compulit Papam, foedere facto, Carolum Austriacum Hispaniae regem agnoscere (1709). Inde Philippus V vicissim, ad vim descendens, expulit Matrito nuntium, omnemque cum S. Sede societatem renuntiavit. Praeterea, in Italia, tyrannica in Ecclesiam vi usus est Amadeus, Sabaudiae princeps. Pacis foedere Ultrajectino (1713) renuntiatus Siciliae rex, omnia sibi privilegia e *Monarchia Sicula*[1]) arrogavit. Rescidit Papa judicium *Monarchiae*. Cui respondit rex expellendo clericos, illudque suum decretum intendit, cum insulae Papa interdictum intulisset. Anno autem 1718, Sicilia, ditionis Hispanicae facta, pacem recepit. Lenibant aliquousque Papae aerumnas victoriae Eugenii principis[2]), ad Peterwardein (1716) et ad Belgrado (1717) reportatae, tum, ad catholicam fidem revertentes, principes protestantes Carolus Wurtemburgensis et Fredericus Augustus, Saxoniae princeps elector (1712). Clemens XI vir fuit doctus[3]), multamque suam operam posuit in missionibus exteris et festis ecclesiasticis procurandis. Celeberrima sua bulla *Unigenitus* damnavit Quesnellum[4]) et locupletavit bibliothecam Vaticanam[5]). Qui ei successerunt, in haud minores turbas inciderunt.

Innocentius XIII (1721—1724) perdidit dominium feudi Parmensis et Placentini. **Benedictus XIII** (1724—1730) magno pretio, praecipue ob nepotum suorum gesta, pacem cum Sicilia et Sardinia redemit. Siciliae restitutus est tertius judex ecclesiasticus supremus. Victor Amadeus, rex Sardiniae receptus, jus integrum praesentationis aliaque multa privilegia accepit. Quum decrevisset Papa, ut festus S. Gregorii VII dies in universam extenderetur Ecclesiam, ingentes fremitus movit principum, arbitrantium hoc decreto regiam suam auctoritatem impetitam. Mortuo Papa, ii qui apud eum gratiosi fuerant multa passi sunt mala: Coscia purpura spoliatus, annos octo vinculis inclusus, praeterea reddere coactus est

---

[1]) *Sentis*, Die Monarchia Sicula, Freiburg 1869.

[2]) *Karl Ritter v. Landmann*, Prinz Eugen von Savoyen, München 1905.

[3]) Clementis XI Opera, Francofurti 1729, Tomi 10.

[4]) *Denzinger*, ed. IX, p. 281—289; ed. X, n. 1351 sqq.

[5]) *Landau*, Rom, Wien, Neapel während des Span. Erbfolgekrieges, Leipzig 1885.

ducatorum quadraginta millia. Finio quoque poenae illatae[1]). Nec **Clemens XII** (1730—1740), e gente Corsiniorum, avertere valuit principum Borbonicorum inimicitiam. Quum Carolus, Borbonico-Hispanus, factus esset princeps Parmae et Placentiae, reclamavit Papa. Is tum impetum fecit in principatum Pontificium, et territorium Neapolitanum et Siculum occupavit, quod, foedere pacis Vindobonensis, principes probaverunt firmaruntque. Quo foedere Etruria quoque facta est ditionis Austriacae. Papam autem principes Borbonici injuriis obruerunt[2]). Anno 1738, hoc Papa regnante, primum societas clandestina, quae vocatur secta massonum, damnata est[3]). **Benedictus XIV** (1740—1758), doctus ille Prosper Lambertini, fortasse paululo nimis cessit postulationibus principum. Cum Sardinia facta est pax (1741); cum Hispanis concordatum compositum (1753), quo multorum beneficiorum collationi cessit Papa permisitque ut festa abrogata haberentur; Lusitanis datum jus est patronatus uberius quam antea habuerant; in gratiam Venetiarum et Austriae sustulit patriarchatum Aquilejensem Benedictus. Qui etiam cum Francogallis liberalis fuit, imprimis in negotio de bullis *Unigenitus* et *In coena Domini*. Borussiae regem agnovit et res Ecclesiae in Silesia ordinavit[4]). Maximam famam sibi Benedictus XIV doctrina sua adeptus est. Papa factus, absolvit opus suum *de synodo dioecesana*. Bullae ejus, brevia et ordinationes plerumque in tractatuum doctorum numero recensenda sunt. Quorum agunt praecipui de confessione et matrimonio, horumque sacramentorum usum praxinque hodiernam statuerunt. Opera sua edenda[5]) dedit Patri Azevedo S. J. Romae condidit academias quatuor, pro antiquitatibus ethnicis et christianis, pro historia conciliorum et liturgia. Ad dignitatis summae culmen evectus, mansit Benedictus moribus simplex, alacer et omnibus affabilis. E numero familiarium suorum fuit etiam Passionei cardinalis, qui multo nimis agi se sinebat ab inimicis Ecclesiae. Paulo ante mortem,

---

[1]) *Borgia*, Benedicti XIII Vita, Romae 1752.
[2]) *Ranke*, Röm. Päpste, Analecten, 220*—223*.
[3]) Constit. *In eminenti*, 28 Aprili 1738.
[4]) *Theiner*, Zustände der Kirche in Schlesien 1740—1758, Regensb. 1822, 2 Bde.
[5]) Opp. ed. Veneta 1667, 1—15 in fol.; Prato 1839—1846, 1—17 in 4⁰. Bull. Ben. XIV, Roma 1754.

pacis tuendae causa, Societatem Jesu, jam tum insectationibus obnoxiam, visitandam Papa tradidit implacabili ejus inimico Saldanha cardinali, patriarchae Lusitano. Haud sane prospexit quam luctuosi futuri essent hujus decreti effectus.

3⁰. Duobus proxime regnantibus Papis, de uno negotio actum est **persecutionis et exstinctionis Societatis Jesu** [1]). Sociorum suorum rectae pietatis et religiosae disciplinae studio, saluberrimisque ad omnimodum Ecclesiae bonum procurandum exantlatis laboribus, per omnes catholici orbis fines floruerat Societas, ingentemque sibi compararat in cunctis rebus gerendis auctoritatem. At pari modo inimici numero creverant. Qui fuerunt imprimis protestantes e sectis omnibus, Jansenistae, et cum his societate menteque juncti, parlementarii et Sorbonistae in Francia, magistratus multi, Jesuitas jurium Pontificis fortissimos defensores arbitrantes, viri docti invidia moti, nonnullorum ordinum religiosorum socii, literis et philosophiae dediti viri, qui inaudito et in dies magis ardenti furore Ecclesiam et civitatis ordinem impetebant. Quo magis accreverant hi numero, et quo latius licentiae et impietatis opiniones, saeculo XVIII, undique pervagaverant, eo vehementior facta est in Jesuitas insectatio. Dum principum sagacitas veriora videret, eorumque manus fortiter teneret regni gubernacula, prae calumniis facile praevalebant manifesta Societatis in Ecclesiam societatemque hominum universam merita. At, ubi principes parum prospicientes et animo debiles regi se passi sunt ab administris Ecclesiae infensis, in multo gravius discrimen res inciderunt. Accusabantur Jesuitae Pelagianismi, laxismi in rebus morum, pravitatis in administranda confessione, ambitionis et immixtionis in rebus

---

[1]) *Duhr*, Pombal, Freiburg 1891 *Duhr*, Jesuitenfabeln, 3e Aufl., Freiburg 1891, p. 381 sqq. *Riffel*, Die Aufhebung des Jesuitenordens, 3e Aufl., Mainz 1855. *De Ravignan*, Clément XIII et Clément XIV, Paris 1854. *Cordara* S. J., apud *Döllinger*, Beiträge zur polit. u. kirchl. Kulturgesch. der 6 letzten Jahrhunderten, Regensburg—Wien 1862—1882, III, p. 3—74. (*Le Bret*), Sammlung der merkwürdigsten Schriften die Aufhebung des Jesuitenordens betreffend, Frankfurt 1773, Bd. I—IV. *Reumont*, Clemens XIV, Berlin 1847. *Theiner*, Clementis XIV P. M. epistolae et brevia selectiora, Parisiis 1852. *Alexandre Brou*, Les Jésuites et la Légende, Tom. II, Paris 1907, p. 125 sqq. *J. Clavé*, Morts ou vivants? Suppression et survivance de la Compagnie de Jésus, Paris 1902.

publicis agendis, defectus subjectionis exhibendae decretis Pontificiis, contemptus episcoporum, superbiae, turpi auri fame, aliisque criminibus, „ita tamen ut aliud non proferrent quam facta singularia, partim exaggerata, partim excogitata et tantum de paucissimis sociis vera"[1]).

In **Lusitania** primum et in missionibus ejus erupit tempestas. Sebastianus Jos. Carvalho, marchio de **Pombal**[2]), inde ab anno 1750 praepotens regni administer, licet ad id munus esset evectus intercedente Patre Moreiro, regis confessario, odio tamen habebat Jesuitas. Causatus, in reductionibus Paraguaeensibus metalla esse struenda, quo aurum argentumque afflueret in arcam regiam, indigenas (30.000) vi inde expelli jussit. Quod aegerrime ferentes indigenae, incassum patribus perpetuo dissuadentibus, ad arma iverunt. Cujus turbae causam tamen Jesuitis Pombal attribuit, diffuditque libellum „de regno Jesuitico", „de rege Jesuitico Nicolao", qui „tirannice regeret missiones Uruguay et Paraguay". Expulit e missione Jesuitas. At his non contentus, perdere etiam eos in Lusitania molitus est. Non minus quam reliqui ejus aetatis homines, qui vocabantur philosophi, Pombal catholicam religionem impedimento esse arbitrabatur, quominus populi ad humanitatem et rerum secundarum felicitatem eveherentur. Quamobrem conatus est in Lusitania clericorum auctoritatem potestatemque infringere. Obstabant imprimis Jesuitae, tum propter collegia et juventutis instructionem, tum propter suam gratiam in aula regia. Pombal adhibuit virum malae famae, nomine Platel, cujus libellis communem hominum opinionem perverteret. Anno 1757 obtinuit a Benedicto XIV ut ordinis visitatio institueretur. Qua facta, culpa vacua esse Societas declarata est. Interea accidit ut regi Lusitano insidiae struerentur.. Quarum auctores Jesuitas esse incriminatus est Pombal. Inscio **Clemente XIII** (1758—1769), Jesuitas expulit Lusitania et, renuente eodem Papa, eos in fines principatus Pontificii transferendos curavit. Eorum autem 221 in vincula teterrima castelli St. Juliani conjecti sunt. Malagrida supplicio absumptus, alii 81 in vinculis defuncti sunt, reliqui, annis 18 tristissimis exactis, post mortem Pombal soluti sunt, aerumnis pene absumpti.

---

[1]) *Hergenröther-Kirsch*, III, 596.

[2]) *Duhr*, Stimm. a. M.-L. Ergänzungsh. 53. *S. Almeida*, O grande Marquez de Pombal, Lisboa 1906.

In **Francia** quoque innumeri fuerunt Societatis inimici, quorum potentissimus fuit regni administer, **Choiseul.** Madame de Pompadour, cui negarat absolutionem P. de Sacy, perdere Jesuitas juravit. Ibi quoque incepit procella, cum insidiae essent structae Ludovico XV. Accessit causa P. Lavallette[1]). Procurator missionis in insula Martinique, invita Societate[2]), mercaturam egerat in Societatis lucrum, at propter Anglorum expilationes factus est debita sua solvendi impar (1755—1761). Die 6 Augusto 1761, senatus (*parlement*) Parisiensis Jansenistice sentiens declaravit Societatem et decreta congregationum ejus generalium „laedere jura Ecclesiae et civitatis". Quod tamen decretum rescidit rex, congregavitque, die 30 Dec. 1761, regni episcopos, quorum voluit audire mentem. Eorum 45 Institutum Societatis prorsus probaverunt, alii 5 postulaverunt aliquas ejus mutationes, unus, Jansenistice sentiens, non probavit ordinem, etsi patrum agendi rationem laudavit[3]). Qui cum rege erant in aula domestici, putabant placari posse inimicorum odium, si capita quaedam Instituti mutarentur, imprimis si institueretur Vicarius generalis pro Francia. Quod quum facere recusasset tum Clemens XIII papa, tum Laurentius Ricci, Societatis generalis, 1 Aprili 1762 subscripsit rex decreto, quo ordo in Francia dissolutus est. Itaque rescissa sunt collegia 80. Frustra reclamaverunt Papa et episcopi. Archiepiscopus Parisiensis, Christophorus de Beaumont[4]), scripsit epistolam pastoralem pulcherrimam. Expulsus est epistolaque ejus publice flammis data. Postulatum ut Jesuitae ejurarent vota sua. E sociorum fere quatuor milibus, 5 id facere consenserunt. Die 8 Januario 1765, bulla sua *Apostolicum munus*, Clemens XIII reclamavit et Societatem laudans denuo comprobavit.

In Hispania quoque, anno 1766, erupit novo aestu persequendi tempestas. Seditio vulgi oborta est Matriti; **d'Aranda,** regni

---

[1]) *A. Artaud,* Un armateur Marseillais, Georges Roux, Paris 1890. *Soullier,* Les Jésuites à Marseille, Avignon 1899. *Le P. de Rochemonteix* S. J., Le P. Antoine Lavalette à la Martinique, Paris 1907.

[2]) *Alex. Brou,* Les Jésuites et la Légende, Paris 1907. Tom. II, p. 136 sqq. *Duhr,* Jesuitenfabeln, 3e Aufl., Freiburg 1899, p. 598 sqq.

[3]) *d'Alembert,* Oeuvres, Tom. V, p. 107.

[4]) *E. Regnault* S. J., Christophe de Beaumont, archevêque de Paris, Paris 1882, 2 vol.

administer, in regis aures insusurravit Jesuitas esse auctores, ejusque rei testimonium esse inventum apud fratres duos, migrantes ex America Romam, nempe epistolam ad Torregiani cardinalem[1]). Eodem fere tempore, homo quidam ignotus ad collegium Matritense attulit epistolam, rectori collegii inscriptam. Post horae sexagesimas partes quinque, a ministris publicis scrutatione instituta, ea reperta est epistola, qua ignominioso sermone agebatur de rege, et significabatur Jesuitas, proditorum more, amicitiam sociasse cum Lusitanis. Scripserat re vera epistolam Alva dux, d'Arandae familiaris. Hoc iis exitio fuit. Jesuitae omnes, in naves impositi, die 2 Aprili 1767 in principatum Pontificium transvecti, expositi sunt. Die proxime sequenti, in documento, cui nomen sanctionis pragmaticae, declaravit rex, „se causam expulsionis in perpetuum in corde suo regio celaturum". Postea, conscientiae angore agitatus, Alva rem aperuit, nimirum epistolas esse factitias.

In finibus **Neapolitanis** pro Ferdinando IV regnabat **Tanucci** administer, qui odio ingenti in Societatem flagrabat. Vetuit bullam *Apostolicum munus* Clementis XIII promulgari et, variis modis persecutus Societatem, post annos duos, nocte inter 3 et 4 Novembrem 1767, Jesuitas omnes in territorium Pontificium transvehendos curavit[2]).

Tandem regnum Borbonicum **Parmense** quoque expulit Jesuitas. Dominabatur ibi **du Tillot** marchio. Anno 1768 is incepit eos persequi. Quamobrem ad ducem Parmensem misit suum *Monitorium* Clemens XIII. Vehementi ira commotus du Tillot, nocte inter 7 et 8 Febr., Jesuitas transvehi jussit in principatum Pontificium. Eodem anno expulit eos ex insula **Melito** Joannitarum magister generalis, Emmanuel Pinto de Fonseca.

Qua tamen communi expulsione gubernatores regnorum nondum fuerunt contenti. Francogalli ademerunt Papae comitatum Vindascinum, territoria Neapolitana, Beneventum et Monte Corvo. D'Aubeterre marchio, Francogallorum allegatus Romae, proposuit ut obsidione cingeretur Roma, inedia conficienda, et ut plebs ad seditionem movendam excitaretur. Non tamen animo fractus Clemens XIII, nec victas dedit manus. Autumno 1767

---

[1]) Is defensor fuit Societatis. *Ranke*, Geschichte der Päpste, III, 134.

[2]) Fr. Guardione, L'espulsione dei Gesuiti nel regno delle due Sicilie nel 1767, Catania 1907.

serio inter se tractarunt gubernatores de solvenda Societate; quod ut fieret, die 10 Decembri 1768, nomine regum Franciae, Hispaniae et Lusitaniae, a Papa imperiose postulavit d'Aubeterre. „Hoc erit Papae causa mortis", scripsit Negroni cardinalis. Obiit inopinato Clemens XIII[1]). Successit **Clemens XIV** (1769—1774), Laurentius cardinalis Ganganelli. Elegerant, qui faceret desiderata de Bernis[2]) et d'Aubeterre. Cardinales Hispani Solis et Lacerda, in conclavi, hunc eligendum Papam promoverunt. Num debet Ganganelli accusari de simonia? Nemo unquam probavit eum obtinuisse tiaram pretio certae promissionis praeviae. Sane desiderabat ut eligeretur, declaravitque „Papae jus esse, e conscientiae monitis regulisque canonicis, Societatem Jesu rescindendi, addiditque optabile esse ut futurus Papa, omni qua posset ope, conaretur in hoc negotio regibus satisfacere"[3]). Qua luctuosa declaratione fuerunt contenti cardinales Hispani. Plura a Ganganelli non postulaverunt. Itaque alternis vicibus, toto regiminis spatio, Clemens XIV aut languide restitit aut miserrime indulsit regum postulatis. Ubi solus vigor salutem afferre potest, parit exitium infirmitas. Vix fuerat Clemens coronatus Papa, cum postulavit legatus Hispaniae ut promissis staretur. Rex Lusitaniae resciderat commercium cum S. Sede, noluitque illud iterum jungere, nisi prius Societas Jesu esse desineret. Eadem postularunt principes Neapolitanus et Parmensis. Permotus a de Bernis, scripto pollicitus est Papa Hispaniae, suppressionem esse futuram, sed sibi se reservare quo id opportuno tempore esset faciendum (30 Nov. 1769). Quo facto, jam dedisse manum Papam, ad Choiseul scripsit de Bernis; „si rex Hispaniae publicaret epistolam, ignominia afficeretur Papa". Omni qua potuit opera interim contendit Clemens XIV ut placaret reges. In quem finem imprimis Jesuitae molestiis affecti sunt et humiliati. „Multa doleant Jesuitae necesse est, si quidem salvi esse volunt", inquit Papa. Hoc omnium molestissime cum iis actum est, quod perpetuo inimici minitabantur Institutum esse reformandum. Quum in morbum gravem incidisset generalis, sperabant eum moriturum. Quo facto, Hispaniae

---

[1]) *Duhr*, Zeitschrift für kath. Theol., 1898, p. 432—454; 689—708.

[2]) *Masson*, Le cardinal de Bernis, Paris 1884.

[3]) *Clavé*, Morts ou Vivants? etc., Paris 1902, p. 30.

allegatum provisurum ne ejus eligeretur successor. Spes eos fefellit. Revixit Ricci. Protervus iste Monino dein aggressus est iterato propellere Papam, qui saepius flebiliter supplicavit, ne urgerent et tandem aufugit in Castellum Gandulphi. Jam antea, quum primum munere suo fungi coeperat, idem allegatus obtulerat suppressionis conceptum (30 Aug. 1772), quod postea ab eo, auxiliante Zelada praelato Hispano, elucubratum, factum est breve suppressionis. Amplius anni dimidio perrexerunt vim inferre Papae. Qui, iterum moras nectere conatus, dixit mutanda quaedam esse in prooemio et in capitibus nonnullis, donec tandem, ut videtur, intra dies 8 et 17 Junium 1773, subscripsit brevi *Dominus ac Redemptor*[1]). Die 16 Augusto promulgatum breve est in ecclesia Jesuitarum Romae, simul cum altero brevi *Gravissimis ex causis*. Breve suppressionis enumerat, quae contra Jesuitas inferebantur, nullo tamen verbo, utrum vera sint an falsa declarat. Supprimendi causas affert Papa, imprimis ut pax firmetur, dein quod Societas non poterit in posterum, sicut in tempore praeterito, Ecclesiae populorumque salutem promovere; tandem causas esse, quas in corde suo celandas dicit. His autem non insinuari a Papa Societatem esse ream, e subsecuta severissima inquisitione luce clarius patefactum est. Generalis in vincula est conjectus. Actione instituta, culpa nulla prodiit. Obiit Clemens XIV, die 22 Septembri 1774. Eum a Jesuitis veneno interemtum fabella est, quae refutari non meretur[2]). Deus tamen Societatem oppressam non dereliquit. Ipse Clemens XIV eam salvavit, quo plane extraordinario modo voluit breve suppressionis promulgari. Solent enim bullae et brevia pro lege valere, dummodo sint Romae promulgata. Quo autem caveret, ne bona Societatis a principibus raperentur, ab usu consueto recessit Papa, decrevitque per breve *Gravissimis ex causis*, ut in singulis Societatis domibus ab episcopo breve *Dominus ac Redemptor* promulgaretur, utque episcopi, Papae nomine, bona immobilia et mobilia occuparent sociosque e domibus dimoverent. In

---

[1]) Vulgo subscriptio dicitur facta die 21 Julio. At e nuntiatis a Monino patet eum exspectasse ut fieret 8 Junio; et die 17 Junio scribit: „Papa subscripsit." Invenitur breve in Bull. Roman. IV, 607 sqq.

[2]) *Duhr*, Jesuitenfabeln, 3e Aufl. Freiburg 1899, p. 62 sqq.

Borussia et Russia, ubi Fredericus II et Catharina prohibuerunt breve promulgari, Societas, facto et jure, esse perrexit, ipso sciente et concedente Clemente XIV[1]).

4⁰. Defuncto Clementi XIV successit **Pius VI** (1775—1799)[2]), e gente Braschia. Duraverat conclave menses quatuor, propterea quod convenire non poterant cardinales, quid faciendum de brevi *Dominus ac Redemptor*, num eadem via ulterius incedendum necne[3]). Fuit Pius VI corpore et animo egregiis dotibus instructus, indole mitis, laboriosus et doctus. Jesuitas vinculis solvit, Laurentio Ricci († 20 Novembri 1775) dedit exsequias solemnissimas et verbis probavit Societatem esse in Russia Alba[4]). Principatus Pontificii prosperitatem valde promovit, siccandis paludibus Pontinis, instituendoque *Musaeo Pio-Clementino*. Immensum quantum postea passus est Pius VI. Cogita Febronium ejusque male facta, Josephum II ejusque inepta decreta, Papae iter difficillimum, tamen irritum, Vindobonense, Leopoldi Tusci vexationes, synodum Pistoriensem, et congressum Embasinum (Ems). Quibus omnibus tamen aerumnosior fuit revolutio Gallica, qua suis omnibus bonis spoliatus Papa, abreptus Valentiam est, et octogenarius exsul defunctus (20 Augusto 1799)[5]). Quodsi principes catholici et gubernia acerbis injuriis obruerunt, et persequendo insectaverunt Papas et ordines religiosos, nominatim Societatem Jesu, non tardavit diu virga punientis Dei.

---

[1]) *J. Clavé*, Morts ou Vivants ?, p. 121 sqq.

[2]) *Bertrand*, Histoire de Pie VI, Paris 1875, Tom. I–II.

[3]) Revue des quest. hist. N. Série, VII (1892), p. 424 sqq.

[4]) Usus est verbis his. „Approbo Societatem Jesu in Alba Russia degentem, approbo, approbo." *Clavé*, op. cit. p. 145 sq.

[5]) *Baldassari*, Histoire de l'enlèvement et de la captivité de Pie VI, Paris 1839. Vide praesertim *Gendry*, Pie VI. Sa vie, son Pontificat (1775—1799), d'après les archives vaticanes et de nombreux documents inédits, Paris 1907, 2 vol.

§ 164. Incredulitas et revolutionis praeparatio.

Kuno Fischer, Geschichte der neueren Philosophie. Neue Ausg., Heidelberg 1889—1890, 6 Bde. *Stöckl*, Geschichte der neueren Philosophie, Mainz 1883, 2 Bde. *Lange*, Geschichte des Materialismus, 4e Aufl., Iserlohn 1882. *J. A. v. Stark*, Triumph der Philosophie im 17 Jahrhundert. Neue Bearbeitung von *Buchfelner*, Landshut 1834, 2 Bde. *Findel*, Geschichte der Freimaurerei, 7 Aufl., Leipzig 1900. *Deschamps-Janne*t, Les sociétés secrètes et la société, Paris 1884, 4e éd., 3 vol. *H. Boos*, Geschichte der Freimaurerei, 2 ed., Arau 1906. *Gfrörer*, Geschichte des 18 Jahrhunderts, Herausgegeben von *Weiss*, Graz 1862, 3 Bde.

1°. Hodie passim in confesso est, revolutionem Gallicam exortam esse rei publicae et societatis humanae gratia [1]). At licet causae illae suffecerint ut *erumperet*, non minus tamen in comperto est, terribilem ejus erumpendi vehementiam et ruinas edendi violentiam, maximam partem enatam esse ex universa rerum fidei despicientia et morum corruptela. Eam morum corruptionem procreavit incredulitas, quam innumeris scriptis, saeculo praesertim XVIII, rationalistae et materialistae undique propagarant. Certum quoque est, protestantismum, et aliquo modo etiam Jansenismum et Gallicanismum, multum ad hanc incredulitatis pestem inducendam contulisse, excitando animos ad nova complectenda et ad refragandum auctoritati ecclesiasticae. Lutherana haeresis omnem in rebus fidei Ecclesiae auctoritatem negaverat, atque eo ipso etiam firmitudinem potestatis civilis subverterat. Calvinistae, inde ab erroris initio, democratico et seditiosorum more egerant, ut patet e commotionibus in Neerlandia, Scotia et Anglia, atque e Hugenotorum bellis in Francia. Liberi autem in vero exquirendo arbitrii licentia, necessaria prolapsione ducit ad neganda fidei dogmata. Qui autem fidei dogma negat, resistit auctoritati divinae, qua omnis demum humana auctoritas fulcitur.

Aperuit autem viam ad pristinae fidei despicientiam atque incredulitatem nova philosophandi ratio. Scholasticae medii aevi doctrinae opposuit se imprimis renascentia anti-christiana. Initio doctrinis philosophorum Graeco-Romanorum circumscripta, juvante protestantismo, saeculo XVI et XVII, novam excogitavit

---

[1]) *H. v. Schijndel*, S. J., De liberale gezagstheorie in haar historische ontwikkeling. Studiën enz., 's-Hertogenbosch 1872.

methodum. Negabatur revelatio. Cognoscendi veri solum proclamabant fontem humanam rationem, atque adeo prolapsi sunt in rationalismum, deismum et naturalismum, in religionem naturalem, plane abhorrentem a supernaturali, qualem imprimis profitetur Ecclesia catholica.

2⁰. Deismi patria fuit Anglia protestans. Eduardus Herbert e **Cherbury** († 1648)[1]) jam negaverat omnem revelationem, idque solum certo verum censuerat, quod admittit *sensus communis*, seu tota humana universitas. Dogmata praecipua *quinque* complectebatur ejus religionis naturalis ratio: esse supremum Deum; hunc supremum Deum esse colendum; quem cultum praesertim fieri exercenda pietate et vitae probitate; peccata esse detestanda et fugienda; dari praemia et poenas, aut in hac aut in altera vita. Sola haec dogmata, Cherbury judice, fundantur in humana natura. Quae superadduntur a quocumque religionis systemate, minora sunt et hominum inventa. Empiricam methodum, cujus pater est Baco a Verulamo († 1626[2]), secutus **Thomas Hobbes** († 1695), ulterius quam Cherbury progressus, empirismum cum deismo sociavit[3]). Eo judice, ab entibus inferioribus homo realiter non discrepat, habetque tantum esse materiale. Agitur egoismo. Perpetuo luctans ut meliora sibi compararet, sed saepius tristissimas clades expertus, excoluit quidem ad nobilitatem genus suum, sed etiam secum reputare coepit, num non esset melius, si pactum sociale cum aliis iniret. Atque ita Hobbes tribuit principi potestatem absolutam, non solum in rebus temporalibus, verum etiam in spiritualibus, ita ut religione, cujus solus princeps est dominus, tanquam adjumento politico uti possit ad plebis cupiditates refraenandas[4]). Quam doctrinam Cherbury et Hobbesii acriter impugnaverunt alii, qui quidem nondum eo usque prolapsi erant.

---

[1]) *Güttler*, Eduard Lord Herbert von Cherbury, München 1897.

[2]) Oeuvres phil. morales et politiques de François Bacon, Baron de Verulam, vicomte de St. Alban, trad. franç., Paris 1840.

[3]) *Scholten*, Geschiedenis der godsdienst en wijsbegeerte. *H. v. Schijndel*, Studiën, l. c., p. 26 sqq.

[4]) *Th. Hobbes*, Leviathan: of van de stoffe, gedaante ende magt van de kerkelijke ende wereldlijke regeeringe, Amsterdam 1667. Thomae Hobbes, Angli Malmsburiensis philosophi vita, Carolop. 1682.

Quorum opus princeps scripsit Lardner[1]). Minus procaciter scripsit **Joannes Locke**[2]) († 1704), philosophus. Intelligentiae humanae solam tribuit vim cognoscendi per sensus, ac conjungendi ita cognita ad aliqualem unitatem. Argumenta philosophica, quibus animae spiritualitas probetur, ipsi certa non sunt. Pari modo dubitat, an possit probari, esse Deum. Huic autem mundus curae non est. Revelatio unicum tantum dogma complectitur, *Christum esse Messiam*. Id autem fidelibus licet interpretari quo sensu ipsi voluerint[3]). Sane mirandum non est discipulos ejus deorsum ivisse ad scepticismum et materialismum. Lockii familiaris, **Schaftesbury** († 1713), egit praesertim de rebus ad mores spectantibus, asseruitque posse hominem, qui Deum esse neget nec religione utatur, probe et honeste vivere; quippe simul docet, desideria cupiditatum rationi non adversari. Sibi constans valde, persecutus hoc iter est **Collins** († 1729). Cuncta fidei mysteria, cuncta miracula, etiam quae in S. Scriptura narrantur, negavit primusque fuit, qui sectatores suos appellavit *libere cogitantes*[4]). Easdem opiniones in vulgus propagavit **Chubb** († 1747), dum **Joannes Bolingbroke** († 1751) ordines hominum honestiores imbuere deismo conatus est.

3⁰. In Anglia quoque natus est **muratoriorum ordo,** qui tanto opere incubuit religioni et ordini humanae societatis evertendo[5]). De cujus ortu vel ipsi sectatores varii varie scripserunt, bona fide aut industria. Dixerunt ordinem originem ducere a Salomone, a structoribus Phoeniciis, a veteribus Ægyptiis, aut saltem a Templariis. Quod ultimum ut crederetur, anno circiter 1740 in Francia documenta falsa pervulgaverunt commentitique sunt catalogum magistrorum generalium, occul-

---

[1]) *N. Lardner*, The credibility of the Gospel History, 12 vol., 1727 sqq. Neerlandice versum a K. Westerbaen, Utrecht 1730—1739.

[2]) *Hertling*, John Locke und die Schule von Cambridge, Freiburg 1892.

[3]) Opus ejus princeps, confutatum a Leibnitzio, inscribitur: An essay concerning human understanding, London 1690; Gallice versum Amstelodami, 1700, 1735, 1774.

[4]) *A. Collins*, The scheme of literal profecy considered in a view of the controversy, London 1726, 2 vol.

[5]) *Findel*, Geschichte der Freimaurer, 7 Aufl., Leipzig 1900. *Deschamps*, Les sociétés secrètes et la société, 3 vol., Paris 1882. *G. M. Pachtler* S. J., Der Götze der Humanität oder das Positive der Freimaurerei, Freiburg 1875. *M. Doumic*, La franc-maçonnerie est-elle juive ou anglaise? Paris 1906.

tum, ascendentem usque ad Jacobum de Molay. Vera tamen ordinis origo proximior a nostra aetate est. Reformatione effecta, languit architecturae opus, caementariorumque corpora florere desierunt. Quod praesertim in Anglia evenit, quum civitatem Londinensem, anno 1666 igne dirutam, iterum aedificassent et S. Pauli ecclesiam perfecissent. Jam ineunte saeculo XVII, in corpora asciverant, qui non erant structores, quos appellabant *accepted-masons*. Quorum tres, anno 1717, Londini facti sunt ordinis muratoriorum fundatores. Georgius Payne (archaeologus), Theophilus Desaguliers et Jacobus Anderson (uterque minister protestans) corpora structorum quatuor, quae supererant, in societatem (loge) unam collegerunt, ac, die 24 Junio ejusdem anni, magistrum generalem elegerunt. Pro fine sibi proposuerunt symbolicam templi exstructionem, i. e. generis humani perfectionem. Caeremonias et insignia, e pristinis corporibus translata, servaverunt. Quid autem sibi vellet ordo, patuit e constitutionibus, a James Anderson confectis, putido scilicet deismo refertis. Voluit ordo esse supra confessiones omnes, ac religionem profiteri, „qua homines omnes honesti conveniant, religionem nimirum *naturalem*". Deismum arbitrabantur massones esse religionem veram, prae omnibus perfectam; quare, inde ab initio, pro scopo sibi sumpserunt evertere religionem supernaturalem, christianismum ac catholicismum. Colebat ordo „magnum Architectum mundi", i. e. Creatorem ordinis naturalis, non vero Institutorem et Gubernatorem ordinis supernaturalis. In speciem videbatur quaerere morum rectitudinem et philanthropicos fines, re et facto evertere ordinem ecclesiasticum et civilem contendit. Inde ab initio fuerunt in tres classes dispertiti: magistrorum, sociorum et discipulorum. Celerrima fuit ordinis massonum propagatio. Extra Angliam primum collegium (loge) institutum est Monte, anno 1721. Alia Parisiis, anno 1725; Hamaburgi, anno 1733; in Hibernia et Scotia jam anno 1729; anno 1731 in America et in aliis regionibus. Prohibita sunt a guberniis Vindobonensi, Matritensi et Neapolitano, damnata a Clemente XII 1738: *In eminenti;* a Benedicto XIV 1751: *Providas;* a Pio VII 1821: *Ecclesiam;* a Leone XII 1825: *Quo graviora;* a Gregorio XVI 1835: *Mirari;* a Pio IX 1865: *Multiplices inter;* a Leone XIII 1884: *Humanum genus.* Quae tamen omnia praevertere non potuerunt ne creberrima facta sint massonum collegia.

Quum autem socii plurimi spe sua fallerentur, non invenientes apud massones quae quaesierant, hi commentiti sunt ordinis originem vetustissimam; consentaneas dein tali origini induxerunt caeremonias solemniaque splendidissima, finxeruntque ordinis scopum pseudo-mysticum. Factum id est in Francia, anno fere 1740, in Germania paulo serius. Anno 1776, Adamus Weisshaupt et Adolfus Knigge instituerunt societatem eorum, quibus nomen **Illuminatis,** qui, abolita religione et rerum publicarum gubernio, proclamarent effata rationis humanae, constituerentque regimen patriarchale, quo pater familias simul esset rex et sacerdos. Solis supremae classis sociis hunc esse scopum aperuerunt. Innotuit tamen anno 1784 in Bavaria; quare Weisshaupt fugam capere coactus est. Anno autem 1786, *Illuminati* cum massonibus in unum corpus sociati sunt [1]). Eundem istum scopum evertendae Ecclesiae et civitatis persecuti sunt **Carbonarii,** qui, exeunte saeculo XVIII instituti, in magnam partem fuerunt commotionum saeculi XIX.

4⁰. Opiniones eorum, qui cogitandi licentiam profitebantur, ex Anglia transmearunt in continentem, in **Franciam** primum [2]). Jam pridem ibi agri ad suscipienda incredulitatis semina parati erant. Aulae mores, inde a mortuo Ludovico XIV, perpetuo profundius deorsum acti. Quo pravo exemplo incitati nobiles, usus luxuriosos delicatosque ac, istorum sociam, morum corruptelam Parisiis in provincias traduxerunt. Nec, qui summo loco erant clerici, integri ab aulica corruptione manserunt. Usus dein familiarum praesertim nobiliorum domesticus et consuetudo depravata multorum abjectos reddiderat animos. Quae omnia effecerunt ut facilem accessum habuerint scripta Anglica, christianae doctrinae adversa. Censurae eludendae gratia, vertebantur et typis mandabantur in Hollandia et Anglia, atque ita praeparata, quasi fluminis aquae, Franciam inundabant. Accessit atheismus, propugnatus operibus St. Evremond († 1704) et Petri Bayle († 1706) [3]), qui solebat in Hollandia morari. In

---

1) *L. Engel,* Geschichte des Illuminatenordens. Ein Beitrag zur Gesch. Bayerns, Berlin 1906.

2) *Bersot,* Etude sur les philosophes du XVIII siècle, Paris 1878. *Lanfrey,* L'Eglise et les philosophes au XVIII siècle, Paris 1879.

3) *Bayle,* Dictionnaire hist. et critique, 3e éd., Rotterdam 1720, 4 vol ; Amsterdam 1734, 5 vol. ; Amsterdam 1740, 4 vol. Supplément, auctore *Chaufepié,* Amsterdam 1750. *Monnoye,* Hist. de Bayle et de ses ouvrages, Paris 1752. *A. Cazes,* Pierre Bayle. Sa vie, ses idées, son influence, son œuvre, Paris 1805.

congressionibus, literarum causa coactis, spiritus iste incredulitatis perpetuo fovebatur et dilatabatur.

Montesquieu [1]) famam sibi celebritatis comparavit libro suo, *Lettres persanes*, et opere principe: *Esprit des lois*. In cujus parte priore insectatus vitia, suo tempore in Francia usitata, multorum animos ab Ecclesia et civitatis ordine reddidit aversos; altera parte celebravit animos republicanos. Circa medium saeculum XVIII inchoatus est confici liber, cui titulus **Encyclopédie,** quae grandis fuit perversionis causa. Ejus praecipui auctores fuerunt **d'Alembert** († 1789) [2]) et, Dei contemptor, **Diderot** [3]). Tanta fuit libri fama [4]), ut brevi tempore quater sit versus et a quotoquoque homine literato lectitatus. Crevit in dies horum encyclopaedistarum auctoritas, qui non solum ipsi libidinem ac incredulitatem propagabant, sed etiam opera probe apologetica edi prohibebant. Dux eorum et fautor princeps fuit Franciscus Maria Arouet, notus nomine **Voltaire** († 1778) [5]). Inde a juvene corruptis moribus et impius, ista vitia postea cumulavit vanitate, ferocia, turpitudine et ulciscendi cupiditate. Quid senserit de Ecclesia, patet ex ejus effato: *Ecrasez l'infâme.* Ipsam etiam christianam doctrinam, impie irridendo, insectatus est, praesertim operibus: *Philosophie de l'histoire; L'histoire de l'établissement du christianisme; Dictionnaire philosophique; La bible commentée; L'examen important de Milord Bolingbroke; Lettres à Uranie; Lettres d'Angleterre* etc. Jure appellatus est pseudophilosophorum patriarcha, quos omnes superarit impietate, calumniis et libidine. Dum vivebat stulte exaltatus, mortuus brevi gloriam amisit. Coaevus Voltaire et in certando socius fuit **Joannes Jacobus Rousseau** († 1778) [6]), cujus prae reliquis

---

[1]) *Charaud*, Critique idéale et catholique: L'esprit de Montesquieu, sa vie et ses principaux ouvrages, Paris 1885. *H. v. Schijndel* S. J. Studiën, l. c., p. 38.

[2]) *J. Bertrand*, D'Alembert, Paris 1889.

[3]) *Ducros*, Didérot, Paris 1894.

[4]) Encyclopédie ou Dictionnaire raisonné des sciences, des arts et des métiers, fol. 28 cum tomis in fol. Supplementorum 7, Paris 1751—1780. Cf. Baumgartner Stimm. a. M.-L. 1905.

[5]) *Kreiten*, Ergänz. z. Stimm. a. M.-L., Heft 7 und 8, Freiburg 1885. *Brunetière*, Histoire de la littérature française et études critiques sur l'hist. de la littér. fr., 1e série, p. 187; 3e série, p. 259; 4e série, p. 267 et 325. *Lanson*, Voltaire, Paris 1906. *Nourisson*, Voltaire et le Voltairianisme, Paris 1896.

[6]) *H. v. Schijndel*, l. c., p. 37—97. *Jules Lemaître*, Jean-Jacques Rousseau, Paris 1907. *Brunetière*, op. cit., 3e série, p. 259; 4e série, p. 267 et 323.

philosophis diutius stetit tristissima auctoritas. Rectae educationis corruptor fuit libro suo *Emile*, juventutem quasi ineluctabili vi ad libidinem illexit libris *Nouvelle Héloïse* et *Confessions*, et opere suo *Contrat Social* primus revolutionis principia ad rationem adacta continuavit[1]). Tanta apparet paritas inter principia anni 1789 et effata Rousseau, ut illa vix aliunde esse possint quam ex hujus libris desumpta et ulterius elucubrata. Propugnat enim jura omnibus aequalia esse, populique summam potestatem, quae perdi adimive non possit. De Deo sermo nullus est, ut facile revolutionis tempore progredi potuerint abolendo Dei cultu, et in ejus locum solemnem deae rationis cultum instituendo. Rousseau scriptis suis Franciam revolutioni excitandae maturam reddidit[2]).

5⁰. Germani, post illatam reformationis vastitatem, toti fuerunt in imitandis Francogallis. In diuturno honore apud eos fuit Francogallorum tum rerum publicarum gerendarum tum humanitatis et literarum colendarum ratio. Quos Lutheri doctrina, de libera disquisitione, saeculo XVIII jam aliquantum ad incredulitatis ruinam propulerat, eos **protestantes Germanos rationalismus** philosophorum Francogallorum confecit[3]). Initio caute et lente processerunt, eo quod fides orthodoxa altius animis inhaereret. Avide lectitabantur opera incredulitatis plena Anglorum et Francogallorum, at timebant lucem (Spener, Arnold et Knutzen). Anno 1735 editus ab L. Schmidt primus tomus *versionis Scripturae Werthemensis* confestim relatus in *indicem* imperatoris est. Quum autem incredulus vir philosophus, Fredericus II, factus esset Borussiae princeps, audacius se extulit rationalismus. **Christianus Edelmann** († 1767) statim inchoavit exitiosam impugnationem S. Scripturae, SS. Trinitatis, peccati originalis et divinae praesertim Christi naturae. Lenius, at non multo minus funeste, egit vir magnae auctoritatis Semler († 1791), qui fontem fidei Novum Testamentum ejusque auctoritatem negavit, noluitque admittere inspirationem[4]). Eodem fere tempore edidit **Lessing**

---

[1]) *J. Ch. Collins*, Voltaire, Montesquieu and Rousseau in England, London 1908.

[2]) *Taine*, Les origines de la France contemporaine, Paris 1878 sqq.

[3]) *Kahnis*, Der innere Gang des deutschen Protestantismus, Leipzig 1874, 3e Aufl. *Tholuk*, Vorgeschichte des Protestantismus, Halle 1853, Bd. I—II.

[4]) *W. Binder*, Gesch. des philosophischen Jahrhunderts, mit besonderer Rücksicht auf die kirchl. Zustände, Schaffhausen 1845, 2 Bde.

(† 1781) Reimari († 1767) *Wolffenbüttler Fragmenten*, quibus ad summum culmen pervenit rationalismus. Miracula impossibilia, revelatio et Ecclesiae institutio fraudis opera dicebantur. *Nathan der Weise* paritatis loco habebat christianam, Judaicam et Mahumeticam religionem: „tres annulos", quorum nullus verus [1]). **Herder** († 1803) omne dogma rejecit, perpetua evolutio unica ei fuit vera religio. Vir turpi ingenio **Wielandt** voluptate mensurabat cultum. Paulatim undique praedicantes et magistri e rationalistis electi sunt: Berolini, Lipsiae, Hallae, Jenae, Gothae, Erlangeni, Giesseni, Heidelbergae aliisque in locis. Sermones non amplius habebantur, sed in eorum locum elucubrationes de omnimodo argumento profano. **Emmanuel Kant** († 1804) funditus pervertit philosophiae disciplinam [2]), subjective tantum certa declarans principia tum ontologica tum practica, solamque servavit religionem rationis. Encyclópaediae Gallicae simillima facta est Berolini **bibliotheca Germana universalis,** edita inde ab anno 1764 et anno 1792 jam volumina 106 complectens. Sparsus rationalismus est per omnes societatis humanae ordines. Poetae, ad veteris paganismi principia celebranda regressi, lamentabantur de poesi per christianas opiniones corrupta [3]). Libellis innumeris error rationalisticus permanavit in plebem, ut ipse protestantismus Germanus videretur periclitari. Quare praedicantes multi ruinam rationalisticam avertere sunt conati. Sed frustra. Neque orthodoxorum conamina nec principum decreta fluminis undas tenere potuerunt. Ipsa summa protestantismi praescripta capita abjecta sunt.

6⁰. Nec sine tristissimo effectu fuit rationalismus apud **catholicos Germanos** [4]). Sicut superius descriptus Febronianismus et Josephinismus partim e rationalisticis principiis effluxit, ita vicissim rationalismus nutriebatur commotionibus anti-ecclesiasticis in Austria et territorio Rhenano. Jam supra relata sunt Rautenstrauchi libellus studiorum et reliqua ad reformandum excogitata in Austria. Crebri praeterea fuerunt

---

[1]) *A. Baumgartner*, Lessings religiöser Entwicklungsgang, Freiburg 1877.

[2]) *Otto Willmann*, Geschichte des Idealismus, Braunschweig 1897, III Bd., p. 373—528. *L. Regout* S. J., Studiën, Dl. 51, 52, 53, 55, 57, 59, 61, 63 sqq.

[3]) *Baumgartner*, Goethes Leben und Werke, Freiburg 1885—1886, Bd. 1—3.

[4]) *H. Brück*, Die rationalistischen Bestrebungen im katholischen Deutschland, Mainz 1865.

rationalismi magistri. Salisburgi patres Benedictini docuerunt philosophiam Kantianam. In Borussia, Bonnae fuit centrum rationalisticae disciplinae. Docebat ibi theologiam dogmaticam quater damnatus **Philippus Hedderich,** exegesin **Dereser,** qui scriptis suis se prodit pro altera parte catholicum pro altera protestantem. Gymnasii alumnos pervertit **Eulogius Schneider.** Treviris theologiam rationalisticam propagavit **Antonius Oehmbs.** Moguntii quoque universitatis magistri rationalistice sentiebant : **Dorsch** philosophus praelegebat Kant, vir incredulus **Antonius Blau** docebat theologiam dogmaticam, exegesin rationalisticam **Laurentius Isenbiehl.** Neque melius res agebantur Herbipoli et Ingolstadii. Illic docebant **Oberthür, Rosshirt, Feder, Berg** et philosophus Kantianus **Maternus Reuss,** Ingolstadiensis vero universitas centrum rationalismi fuit pro Bavaria. Deorsum ivit in Germania fides catholica, refocillanda demum medio saeculo XIX.

7°. In Hollandiam[1]) rationalismus eo celerius penetravit, quod opera Anglica et Gallica fere omnia in Hollandia edebantur et vertebantur. *Collegiantes* et *Sociniani* jam pridem jugum orthodoxiae Calvinisticae abjecerant, magnamque sibi sumpserant cogitandi agendique licentiam. Anno 1654 collegiantibus se adjunxit juvenis philosophus, **Baruch Spinoza** († 1677)[2]). Ob incredulitatem a Judaeis ejectus, dum viveret philosophiae incubuit docuitque putidum pantheismum, quem etiam latiore ambitu alii sunt secuti. Rationalista Petrus Bayle scripsit in Hollandia suum *Dictionnaire historique et critique* multosque ad licentius sentiendum perduxit. Incredibile quanto ardore lectitabantur scripta deistica Locke. Doctus magister **Joannes Leclerc,** e remonstrantibus, et **'s Gravesande,** rerum naturae peritissimus, e praecipuis fuerunt, qui propagarint scripta

---

[1]) *P. J. Blok,* Geschiedenis van het Nederlandsche volk, Dl. V en VI, Groningen 1902—1904.

[2]) *Meinsma,* Spinoza en zijn kring. *Vogels* S. J., B. Spinoza, Studiën, Dl. 48, p. 441 sqq. *Kerlen* S. J., Studiën Dl. 67. *Smidt,* Spinoza en zijn kring, Dageraad 1895—1896. Leven van N. mannen en vr., II, 291. Revue des deux mondes, 1843, 1867. *Stanislaus von Dunin-Borkowski* S. J., Der junge De Spinoza. Leben und Werdegang im Lichte der Weltphilosophie, Münster i. W. 1910. *J. van Vloten en N. Land,* Benedicti de Spinoza opera, ed. altera, Hagae comitis 1895, Tom. I—III. *Dr. J. H. Leopold,* Ad Spinozae opera posthuma, Hagae comitis 1902.

Anglorum et Francogallorum, quibus aditus facilis patuit ad nobiliores, tum gubernantes tum viros doctos. Ipse Voltaire visendi gratia identidem venit in Hollandiam multosque sibi comparavit amicos et sectatores. Opus ejus, cujus titulus: *Traité sur la tolérance*, Hollandice versum, multorum animos alte commovit. *Contrat social* et *Emile*, opera Rousseau, apud plurimos in delectatione fuerunt. Ipse magno honore celebrabatur „magnus, bonus, eximius vir Rousseau". Fuerunt viri, quales **Cornelius Loosjes** et **Martinus Houttuyn,** feminae, quales **Betje Wolff** [1]**, de Neuville** et **Lucretia van Merken,** qui cum veneratione summa hos philosophos prosequebantur. Fuerunt etiam qui se opposuerint ingruenti incredulitati; nonnulla quoque scripta in aliquibus provinciis prohibita sunt. At pauco cum successu. Anno 1762, Marmonteli *Bélisaire*, Hollandice versum, tantam movit litem ut senatus Hollandiae (Staten van Holland) cogitaverint de instituenda librorum censura. Nihil tamen factum est. Socii *Santhorstiani* opiniones suas rationalisticas exponere perrexerunt in periodico *Vaderlandsche letteroefeningen*. Quorum dux fuit, magister Amstelodamensis, **Burman,** quem „alterum Voltaire" appellabant orthodoxi. Nec solum theologiae et philosophiae, sed etiam jurisprudentiae et literarum magistri frequentiores in dies opinionibus rationalismi inhaeserunt. Societates multae institutae eundem errorem excolendum pervulgandumque curarunt: *De Hollandsche maatschappij van wetenschappen* (1234), *De Maatschappij der Nederlandsche letterkunde te Leiden* (1766), *Groningsche Pro excolendo Jure Patrio* (1768), *Bataafsche Genootschap der proefondervindelijke wijsbegeerte te Rotterdam* (1770), *De Maatschappij tot nut van het algemeen* (1784) etc. Itaque scripta tum Gallica et Anglica tum Hollandica, incredulitatis plena, ad omnes societatis ordines pervenerunt, multorumque animos ad fidem despiciendam et rationalisticis erroribus adduxerunt [2].

---

[1]) *Dyserinck*, Van en over Betje Wolff, De Gids, 1882, II, 134; 1884, III, 1; 1892, IV, 253.

[2]) Cf. etiam *Groen van Prinsterer*, Handboek der Vaderlandsche Geschiedenis, § 610 sq.

PERIODUS ALTERA.

A REVOLUTIONE GALLICA AD NOSTRAM AETATEM.

1789 AD HODIERNA TEMPORA.

CAPUT PRIMUM.

Ecclesia coram revolutione et civitatibus modernis.

§ 165—§ 174.

§ 165. Ecclesia coram revolutione et Napoleonte I.

Gams, Geschichte der Kirche Christi im 19 Jahrhundert, Innsbruck 1853—1856, 3 Bde. *Nippold*, Handbuch der neuesten Kirchengeschichte, 3e Aufl., Berlin 1880—1892, 4 Bde. *Taine*, Les origines de la France contemporaine, 12e éd., Paris 1882, 4 vols. *Delarc*, L'Eglise de Paris pendant la révolution française, Paris 1897, 3 vols. *Sicard*, Les évêques pendant la révolution, Paris 1903. *Rinieri*, S. J., Napoleone e Pio VII. Relazioni storiche su docum. inediti dell' archivio Vaticano, Torino 1906, 2 vol. *Idem*, La diplomazia Pontificia nel sec. XIX: Il concordato, Roma 1902; Riconciliazione del Talleyrand etc., Roma 1902. La secolarizzazione degli stati ecclesiastici della Germania, Roma 1906. Il congresso di Vienna e la santa Sede, Roma 1904. *Idem*, Corrispondenza inedita dei cardinali Consalvi e Pacca, Torino 1903. *Goyau*, L'Allemagne religieuse. Le Catholicisme, Tom. I, Paris 1905, p. 82 sqq. *Giobbio*, La chiesa e lo stato in Francia durante la rivoluzione, Roma 1905. *M. Salvemini*, La rivoluzione franzese, Milano 1905.

1⁰. Francia jam diu maturuerat movendae revolutioni. Oderat populus absolutismum, traditioni adversum, priviligiaque nobilium e medio aevo oriunda, et fere impar pendendo vectigalia aucta valde, prorsus fuit ad abjiciendum jugum paratus. Ob dissipationem principum summa erat regni difficultas nummaria. Instabat ruina ita ut solvendo non esset aerarium, quum L u d o v i c u s XVI (1774—1792) regnare inciperet. Insolita erant tentanda, ut naufragium averteretur. Primores, congressi 1787, negarunt auxilia. Ad haec dein tristissime accidit quod annus proximus adversus frugibus fuit. Auctore N e c k e r administro, rex perfugit ad fidem comitiorum generalium (Etats généraux), quae convocavit ad 27 Aprilem 1789. Tertius civium ordo (tiers-état) duplicato aderat allegatorum numero, ferebantque suffragia viritim, ita ut numero vincerent. Indigne ferentes privilegia nobilium et cleri, consiliisque mutuatis e S i e y è s, vicarii

generalis Carnotensis, libello nefasto: *Qu'est-ce que le tiers-état?* censebant solum tertium ordinem repraesentare nationem. Quare coetum suum **congressum nationalem** (*assemblée nationale*) declaraverunt. Multi et clerici se iis adjunxerunt, magnisque turbis excitatis, 14 Julio 1789, custodia *la Bastille*, impetu facto, a plebe occupata est. Deinceps congressus nationalis sibi dedit nomen **congressum constituentem** (*assemblée constituante*) (1789—1791), capitibusque 17 descripsit *jura humana* (*droits de l'homme*)[1]), abolevit *jus feodale*, rescidit *decimas ecclesiasticas*, proclamavitque *cultus libertatem*. Die 20 Augusto delectis viris, quorum tertiae partes duae laici, reliqui clerici fuerunt, mandatum est ut conficeretur nova rerum ecclesiasticarum ordinatio. Postulante plebe, die 6 Oct., cum *congressu constituente* rex migravit Lutetiam Parisiorum, tenebaturque inde in potestate vulgi. Auctore Talleyrand, die 2—4 Nov. 1789, edictum est **decretum saecularisationis**: bonorum omnium ecclesiasticorum habere facultatem nationem, cui futuram curam de cultus expensis et de alendis clericis. Itaque rei publicae traditae sunt praebendae omnes, bona omnia ecclesiarum, seminariorum, scholarum, nosocomiorum et congregationum religiosarum. Bona protestantium manserunt immunia. Monasteria abrogata, praeter ea quae curandis aegrotis et danda instructione occupabantur, et vota solemnia sunt prohibita. Sororibus licuit in domibus manere[2]). Negligenter valde solvebantur annua clericis et religiosis, et tandem (1795) rescissa sunt. Mense Majo 1790 confecerant viri delecti novam ecclesiae ordinationem, quae, 12 Julio pro lege lata, est appellata **constitutio civilis cleri** (*constitution civile du clergé*)[3]): Parochiarum numerus valde deminutus; episcopatus 134 ad 83 reducti, capitula abolita. Nulli episcopo externo licitum uti jurisdictione in Francia. Parochiae denuo ordinandae ab episcopo, una cum magistratu civili. Parochi eligendi a coetibus, episcopi ab electoribus provinciarum (départements). Episcopus canonice instituendus non a Papa, sed ab archiepiscopo. Licitum tamen ad Papam mittere nuntium de facta

---

[1]) *Walch,* La déclaration des droits de l'homme et du citoyen et l'Assemblée constituante, Paris 1903.

[2]) Les religieuses et la révolution, Etudes, 1907 (Sept-Oct.).

[3]) *Sciout,* Histoire de la constitution civile du clergé (1790—1801), Paris 1872—1882, 4 vols.

institutione. Sacrilegam hanc legem, 24 Augusto 1790, compulsus sancivit rex. Fortiter autem repugnantibus in tota Francia multis, *congressus constituens* decrevit *constitutionem* a clero jurejurando esse firmandam. At a 46 millibus clericorum, e millibus 76, repulsam tulit. Vocabantur *réfractaires*, *insermentés*. Reliqui (assermentés), exempla Talleyrand, Grégoire, Gobel secuti, suspensi sunt a Pio VI, qui *constitutionem* damnavit, clericosque invalide electos declaravit (13 Aprili 1791)[1]. Ulciscendae ejus, quam dicebant, injuriae causa, Pii VI effigiem exusserunt eique possessiones Avenionem et comitatum Vindascinum ademerunt. Frustra conatus die 14 Junio aufugere, rex die 14 Sept. compulsus est jurejurando firmare novam rerum publicarum ordinem, mansitque captivus. Die 1 Oct. 1791, in locum *congressus constituentis* suffectus est **congressus legislativus** (*assemblée législative*) (1791—1792). In quo conventu nullus interfuit allegatus e congressu superiore, viceruntque numero republicani. Compulsi sunt clerici jurare in *constitutionem civilem cleri*, poena expulsionis proposita; abolita monasteria omnia quae supererant, prohibitumque ne veste clericali incederent clerici. Rex autem, quum renueret his legibus subscribere, cum familia sua in custodiam datus est Templi (*le Temple*). Allatis dein iniquis nuntiis de exercitu, contra hostes exteros pugnante, facta est, diebus 2—7 Septembribus 1792, Parisiis horrenda caedes „suspectorum", qua fere 1400, ut alii volunt multo plures, interierunt, inter quos sacerdotes 300.

2⁰. Die 20 Septembri 1792, in locum congressus legislativi institutus est **conventus nationalis** (*convention nationale*) (1792—1795), cujus moderatores fuerunt *Girundini* et *Montagnardi*. Statim proclamata **respublica** est. Mense Novembri inchoata actio in regem, qui suffragiis 387 e 721 mortis damnatus, 21 Januario 1793 capite plexus est, ejusque uxor die 16 Octobri. Actum dein vehementer in clericos, jurare renuentes (réfractaires). Triginta milia eorum deportati, decem milia emigrarunt, viginti milia se occultaverunt, duo milia uxorem duxerunt. Die 6 Octobri abrogarunt chronologiam christianam, et die

---

[1]) Constit. *Caritas*, 13 Aprili 1791. *Pierre de la Gorce*, Pie VI, les affaires religieuses et la Constitution civile du clergé, Le Correspondant 25 Août et 10 Sept. 1908. *Pisani*, Répertoire biographique de l'épiscopat constitutionnel, Paris 1907.

7 Novembri cultum christianum. Dei loco statuerunt colendam deam rationis[1]). Mox soli *Montagnardi*, ducibus Robespierre, Marat et Danton, summa potestate potiti, **terrorem** (1793—1794) inchoarunt, cujus summa fuit libido, quum Robespierre solus saeviret. A die 10 Junio ad 27 Julium, capite plexi 2425, quorum multi sacerdotes. Eandem autem necem (die 27 Julio 1794) ipse Robespierre sortitus est, et alii multi seditiosi. Itaque tandem moderatiores republicani rerum potiti sunt constitueruntque exsequendis legibus **directorium** (1795—1799), quod gubernavit cum duplice consilio, seniorum altero (les Anciens), quingentorum altero (des Cinqcents), juxta formam gubernii elaboratam a *conventu nationali* (1795). Semel iterum (1797) republicani ferociores, rerum potiti, persequi aggressi sunt Ecclesiam multosque sacerdotes interfecerunt aut deportarunt (numero 1500). At multis aegre ferentibus calamitosam totius reipublicae conditionem, victor rediens ex Ægypto Bonaparte[2]), die 9 Novembri 1799 (18 Brumaire), improviso impetu *directorium* dissolvit, ac cum Sieyès et Ducos consulibus, consul ipse, summam auctoritatem occupavit.

3°. Itaque revolutioni finis impositus. Ad ordinem redegit omnia **Napoleon, primus consul**[3]). Statim nova lege rempublicam constituit, specietenus republicanorum votis indulgens, sed re et facto viam ad monarchicam institutionem aperiens. Probe perspiciens, populos sine religionis sanctitate recte gubernari non posse, non quidem statim leges a revolutione latas abrogavit, sed mitigando indulgendoque aliquali pace et tranquillitate instaurata, de Papae advocando auxilio cogitare coepit. Mense Aug. 1799, defunctus in exsilio est Pius VI[4]). Viderat

---

[1]) *A. Mathiez*, Le théophilanthropie et le culte décadaire (1796—1801). Essai sur l'histoire religieuse de la révolution, Paris 1904. Cf. *idem*, Les origines des cultes révolutionnaires (1789—1792) etc., Paris 1904.

[2]) *Delbos*, L'église de France depuis la convocation des états gén. (9 Mai 1789) jusqu'à la chute du directoire (9 Nov. 1799), Toulouse 1853, 2e éd., 2 vols. Mémoires, éd. *Lacroix*, Paris 1904. *Corréard*, La France sous le consulat, 1900.

[3]) *Von Landmann*, Napoleon I, München 1903. *Vandal*, L'avénement de Bonaparte, Paris 1906, 2 vols. *Ch. Macfarlane*, Life of Napoleon Bonaparte, London 1906.

[4]) *Baldassari*, Histoire de l'enlèvement et de la captivité de Pie VI, Bruxelles 1840. *Van Duerm*, Le conclave de Venise, Paris 1896.

Napoleontem occupantem 1796—1797 territorium Pontificium usque ad **Tolentinum,** ubi, 19 Febr. 1797, fuerat pacis foedus ictum, quo legationes Ferrarae, Bononiae et Romaniae ditionis Franciae factae sunt. Quum deinde, eodem anno 1797, vir insolentior Duphot, summus exercitus dux, in seditione Romae esset necatus, Papa abductus in exsilium est (Senas, Florentiam, Parmam, Taurinum, Brigantiam, et Valentiam in Delphinatu). Reclamavit fortiter Papa de tanta injuste illata vi. Quod, si non causa, saltem ansa fuit, cur reliqui Europae principes altera vice coierint, armisque Francogallos iterato vicerint, ex Italia ejecerint et, eversa Romae instituta libera republica[1]), effecerint ut Papae defuncto successor eligi posset. Venetiis, mense Martio 1800, electus est dignus Imolae episcopus, Chiaramonti cardinalis, qui sibi nomen dedit **Pio VII** (1800—1823)[2]). Difficillima res fuit multaeque aerumnae instabant. Austria, occupandarum legationum cupida, impediebat ne Papa Romam adiret. Interea Napoleon, transmisso monte S. Bernardi, Austriacos vicit cruento proelio Marengano (14 Junio 1800). Quo facto, imperatoris administro Thugut mitius agente, Papa Ancona profectus est Romam ibique 3 Julio 1800 cum jubilo receptus. Instaurare *patrimonium* aggressus, postulavit a Napoleonte ut redderentur legationes, quas foedere Lunae-Villae, 9 Februario 1801, ditionis Francicae fecerat[3]).

4⁰. Haud diu post reportatam victoriam Marenganam, significans se desiderare ut catholica religio instauraretur, incepit hac de re tractare Napoleon; unde consecutum est **concordatum anni 1801**[4]). Desiderabat autem vehementer pactum

---

[1]) *Dufourcq,* Le régime jacobin en Italie, Etude sur la république romaine (1798—1799), Paris 1900.

[2]) *Artaud,* Histoire de Pie VII, Louvain 1836, 2 vols. *A. Lumbroso,* Ricordi e documenti sul conclave di Venezia, Roma 1903.

[3]) *Charles van Duerm* S. J.. Vicissitudes politiques du pouvoir temporel des Papes de 1790 à nos jours, Lille (1890).

[4]) *De la Merthe,* Documents sur la négociation du concordat entre la France et le St. Siège, Paris 1901—1905, 6 vols. Mémoires du cardinal Consalvi (éd. *Crétineau—Joly*), Paris 1864. *Crétineau—Joly,* Bonaparte et le concordat de 1801 et le cardinal Consalvi, Paris 1869. *Theiner,* Histoire des deux concordats conclus en 1801 et 1813, Paris 1869, 2 vols. *Rinieri,* Il concordato (vide supra). *Mathieu,* Le concordat de 1801, Paris 1904. *Sévestre,* L'histoire du concordat de 1801, 2e éd., Paris 1906.

Napoleon, non fidei amore — dixerat enim ipse, se Mahumetanum esse in Ægypto, catholicum in Francia — sed quod intelligeret, pacem in rebus fidei requiri ut, tranquillato ordine publico, et sociata unitate cives viverent, et fructuosius ageret Francia cum reliquis regnorum gubernatoribus. Obstacula autem fuerunt talia, qualia vix vinci poterant nisi religiosa sinceritate Pii VII et Napoleontis robore voluntatis. Desiderabant Francogalli ut Papa probaret bona Ecclesiae esse abrepta, sedibus moveret episcopos legitimos, confirmaret eos, qui fuerant invito Papa intrusi, aliaque ejusmodi. Papa vero postulabat ut religio status esset catholica; cui rei vehementer refragabantur multi. Dein regnorum principes, Franciae hostiles, contendebant ne fieret concordatum. Quod ut impedirent, episcopi quoque intrusi et clerici perversi, omni qua poterant ope, conati sunt. Omnium tenacissime obstiterunt principes Borbonici, propterea quod, facta conventione, novum etiam usurpatumque Franciae gubernium a Papa confirmatum arbitrarentur. Concepta a Napoleonte descriptio repudiata a Papa est; quare allegatum suum primus consul Roma revocavit. Profectus tum est Lutetiam cardinalis Consalvi, qui concordatum perfecit. Subscripsit Pius VII, die 15 Augusto 1801[1]. **Praecipua capita** haec fuerunt: multo major pars Francogallorum catholicam religionem profitentur; licitum est publica cultus instituere exercitia; debent tamen provideri, quae ad ordinem tranquillitatemque servanda necessaria sunt. Episcopatus de novo describentur: erunt archiepiscopatus 10, episcopatus 50. Primus consul nominat, Papa confirmat episcopos. Episcopi jurejurando, certa formula, fidem jurabunt primo consuli, clerici reliqui magistratui. Parochiarum fines describentur, consilio inito cum gubernio civili. Nec capitula nec seminaria dotantur a gubernio. Ecclesiae omnes cathedrales et parochiales in usum dantur episcopis. Declarat Papa, bona ecclesiastica direpta manere iis qui possident. Econtra gubernium providebit sustentationi episcoporum et sacerdotum.

5⁰. Re agi coepta, Napoleontis dominandi cupido et simulatio indigna satis jam patuit; at quum ageretur de exsequendo concordato, mala ejus fides ac tyrannica dominatio luce clarius innotuerunt. Etenim, contra quam promiserat, epis-

[1]) Constit. *Ecclesia Christi*, 15 Aug. 1801.

copos 10 ex sacrilege constitutis[1]) confirmavit, dein addidit concordato **articulos organicos 77 [2]),** quibus Ecclesiae liberam agendi facultatem abstulit, ac simulans se ad normam concordati res dirigere, multa decrevit contraria iis, quae in concordato erant statuta. Clerus disjungebatur a Summo Pontifice, impediebatur quominus ab eo consilia peteret in suis negotiis, informandus statuebatur sub tutela potestatis civilis, perpetuo hujus custodiae et molestiis expositus. Praecipua quaedam capita haec fuerunt: *Placeto* subjecta sunt constitutiones Pontificiae omnes, allegatorum missio, et decreta synodorum generalium. Synodi non habebuntur nisi concedente gubernio. Instituta ecclesiastica alia non erunt praeter capitula cathedralia et seminaria. Seminariorum regulae approbandae sunt a gubernio. Magistri scripto promittere debent se *Gallicanismum* docturos. *Numerus* consecrandorum singulis annis gubernio proponetur. In locis ubi alii quam catholici habitant, non licebit exercitia cultus fieri extra aedes sacras. Festa non instituentur nisi concedente gubernio. Matrimonium civile antecedet matrimonio ecclesiastico. Salaria clericorum et pensiones ordinabuntur ita ut ne attingant unam partem decimam quintam pretii bonorum saecularisatorum[3]).

Non potuit non reclamare Pius VII, conquestus de perfidia Napoleontis et obsistens articulis organicis. Quod fecit primum in Consistorio 24 Martio 1802, dein per *Notam* Consalvi cardinalis, ad allegatum Franciae Romanum; tandem iterum per epistolam ad Caprara cardinalem (18 Aug. 1803), communicandam cum *Talleyrand*, qui factus erat administer regni. Irrita omnia. Etiam legationes tres cum Comitatu Vindascino et Avenione ditionis Franciae manserunt. Papa tamen solvit, quae per concordatum promiserat. Jussit ut episcopi omnes abdicarent se dignitate. E legitimis 81, qui supererant, 45 paruerunt, reliqui dejecti sunt, quo facto hi quoque obsecuti sunt, praeter 13, qui constituerunt *Ecclesiam parvam*, seu schisma concordatarium.

---

[1]) *Sciout*, L'épiscopat constitutionnel 1781—1801. Revue des quest. hist., 1895, I, 159 sqq.

[2]) *Portalis*, Les articles organiques, Paris 1845. *Chamard*, La Révolution, le concordat et la liberté religieuse, Paris 1891.

[3]) *Hermens*, Handbuch der gesammten Staatsgesetzgebung über den christlichen Cultus etc., Aachen-Leipzig 1833, 4 Bde.

Episcopi non legitimi omnes, duobus exceptis, dimissionem suam obtulerunt primo consuli. Inter novos nuncupatos episcopos fuerunt 28 dimissi, e quibus non legitimi 10. Festa obligatoria restricta sunt ad quatuor. Pro republica Cisalpina concordatum fuit nonnihil benignius [1]).

6°. Die 18 Majo 1804, Napoleon senatus consulto proclamatus est imperator Franciae [2]). Deinceps **lucta Napoleontis cum Pio VII** acrius intenta [3]). Statim animo versabat ut, sicut Carolus Magnus, coronaretur a Papa, non tamen Romae, sed Parisiis. Anceps diu haesit Pius. Metuebat enim non solum novum imperatorem, sed etiam ne indignarentur reliqui principes, prae ceteris imperator Austriae. Tandem assentitus est, retulitque se id facere „ut solemnitas coronationis redderetur religione sancita" et „ut fidei causae melius provideret". Recepit Pontificem Fonte Bleaudi Napoleon, venatoris habitu indutus, sibi sumpsit locum principem in rheda, ante inchoanda solemnia Pontificem spatium unius horae et dimidiae opperiri se coegit, demum, per summam Pontificis injuriam et indignitatem, caput suum ipse sibi diademate cinxit [4]). Nihil curavit, sua gratia Pium suscepisse longum iter. Petenti Pontifici nihil indulsit. Legationes non reddidit, *articulos organicos* non rescidit, in legum codice (*Code Napoléon*) nihil mutatum voluit. In Francia hinc inde catholicis benevolus, ut eos sibi gratos redderet, non verebatur Pontificem indignis molestiis insectare. Vix fuit Romae Papa redux, quum postulavit imperator ut Papa dissolveret matrimonium Hieronymi Bonaparte cum Patterson; quod facere Papa constanter renuit. Anno 1805, transmisso monte Cinisio, Mediolani se Napoleon Italiae diademate cinxit, Anconam occupavit, Pontecorvum et Beneventum cum terris in Italia meridionali dedit Bernadotte et Talleyrand. Digno sermone reclamavit Pius VII (13 Nov. 1805). Distulit edere responsum Napoleon, usque dum, reportata victoria prope Austerlitz, et facta pace Posoniensi, Monachio dedit ad Pontificem literas, arrogantiae plenas,

---

[1]) *Rinieri,* La diplomazia Pontificia etc. (op. cit. supra).
[2]) *D'Haussonville,* L'église romaine et le premier empire, Paris 1870, 5 vols.
[3]) *Rinieri,* Napoleone e Pio VII (op. cit. supra).
[4]) *F. Masson,* Le sacre et le couronnement de Napoléon, Paris 1908. *Idem,* Livre du Sacre de l'empereur Napoléon, Paris 1908.

quibus timendum significabat ne plura auderet (7 Jan. 1806). Eodem die insolenter scripsit ad Fesch cardinalem, literas Pontificias vocans „risu dignissimas et stultissimas" (*la plus ridicule, la plus insensée*), Papae autem ministros „homines fatuos" (*ces imbéciles*), dicensque se alterum Carolum Magnum esse, animo habere Papatum ad solam dignitatem episcopi Romani detrudere, et nihil tam „stultum" (*déraisonnable*) aestimare quam curiam Romanam. Noluit Pius VII agnoscere Josephum Bonaparte regem Neapolitanum, quapropter Napoleon minitavit eversionem principatus Pontificii. Die 2 Februario 1808, imperatoris copiae, sub belli duce Miollis, per portam „del popolo" Romam intrarunt. Confestim Pius VII reclamationis monumentum affigi jussit. Nihil curavit Napoleon retulitque, cum ingenti contumacia, causas occupatae urbis esse, quod Papa renuerat inferre bellum Angliae (*blocus continental*) armaque jungere cum rege Italiae et Neapolitano; quod regni et exercituum incolumitas exigeret, ne Italia Superior ab Inferiore separaretur territorio hostili Pontificio; quod Carolus Magnus (mon illustre prédécesseur) donationem fecerat in gratiam orbis christiani, non in emolumentum inimicorum religionis [1]). Anno deinde vix elapso, die 17 Majo 1809, Napoleon subscripsit, in loco Schönbrunn, documento, quo **principatus Pontificius ad imperium Gallicum adjunctum est** [2]). Romam vocabat secundum imperii caput. Quo facto, edicta est, 10 Junio 1809, bulla, qua excommunicabantur „qui jura S. Sedis violaverant" i. e. Napoleon ejusque in illo negotio adjutores [3]). Inde intra mensis unius spatium a Radet, ordinis publici Romae praefecto, comprehensus Pius VII, eo ipso die, quo victoriam Wagramensem reportabat imperator, Savonam abductus est; Pacca cardinalis datus est in custodiam castelli Piemontani Fenestrelles. Blandiendo dein, irritando et minitando a venerando Pontifice obtinere contendit Napoleon, ut sibi cederet principatum Romanum sedemque Papa Roma Lutetiam Parisiorum transferret. Quod constans negavit Pius VII [4]).

---

1) *Van Duerm,* Vicissitudes politiques, p. 85—86.

2) *L. Madelin,* La Rome de Napoléon (1809—1814). Paris 1905.

3) Constit. *Quum memoranda illa die,* 10 Jun. 1809.

4) *Crotard,* Le Pape Pie VII à Savone, Paris 1887.

7°. Interea maturuerunt Napoleontis consilia dissolvendi[1]) matrimonii sui cum Josephina Tascher, vidua marchionis de Beauharnais, e qua nulla ei facta stirps liberorum. Quae quum, 15 Decembri 1809, in id assentita esset, senatus Parisiensis matrimonium civile, die 9 Febr. 1796 contractum, solvit et judicium ecclesiasticum Parisiense declaravit matrimonium ecclesiasticum, initum pridie coronationis 1804, fuisse invalidum. Re autem vera matrimonium civile, anno 1796 cum Josephina initum, certo non fuit validum, eo quod instructiones et dispensationes[2]) in rebus matrimonialibus pro Francia, die 28 Majo 1793 a Pio VI ad episcopum Lucionensem missae, in Napoleontis matrimonium non valuerunt. Anno autem 1804, die 1 Dec., coram Ecclesia matrimonium iniens, Napoleon *consensum* non dederat, sed tum Josephinam tum Fesch cardinalem, tum Papam fefellerat, ut neque tum nuptias valide contraxerit. Anno 1810 primum cogitavit de Anna Powlona Russiaca, postea uxore Gulielmi II Neerlandici. At quum, agens de conditionibus, successum non haberet, sibi elegit Mariam Ludovicam[3]), Francisci I Austriaci filiam, quae die 2 Aprili 1810 Parisiis Napoleonti nupsit. At neque hoc matrimonium *in foro externo* patet fuisse validum. Etenim principum matrimonia Papae reservata sunt; quapropter judicio ecclesiastico Parisiensi facultas non fuit declarandi, prius matrimonium fuisse invalidum. Irrita igitur et nulla fuit ejus sententia mansitque primum matrimonium *in foro externo* validum[4]). Unde mirandum non est, cardinales 13 noluisse interesse solemnibus matrimonialibus, voluisse iram imperatoris subire potius quam suam dedecore afficere dignitatem. Jussi

---

[1]) *Masson*, Joséphine répudiée, Paris 1901. *Welschinger*, Le divorce de Napoléon. Paris 1889.

[2]) „Curare fideles debere contrahere matrimonium coram testibus et quidem, quoad fieri potest Catholicis, priusquam municipalitati se praesentes sistant, ut praescriptam a nationali conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt." Pii VI Pont. Max. Acta, quibus ecclesiae cathol. calamitatibus in Gallia consultum est, Romae, Prop. fide 1871, II, 15, n. 3.

[3]) *Helfert*, Maria Louise, Wien 1873.

[4]) *Rinieri*, Napoleone I e Pio VII, Tom. II, cap. 26, p. 25—45. Etudes religieuses (Dudon), 20 Mai 1902, p. 488. Civiltà cat., 18 Aprile 1903, p. 168.

sunt insignia muneris sui deponere et recedere in minores Franciae urbes. Inde cardinales nigri et rubri vocati.

8⁰. Diuturna jam erat separatio cardinalium a Papa, qui consistorium agere non potuit, neque inconsultis cardinalibus voluit confirmare episcopos a Napoleonte creatos. Nuncupabat suos imperator; confirmationem non dedit Papa. Quare imperator, a se nominatos, eligendos curavit *vicarios capitulares*. Eam electionem, repugnantem decretis concilii Lugdunensis IIi (1274), Papa declaravit esse invalidam, reprobavitque simul approbationem electis datam ab archiepiscopo aut episcopo seniore. Majores in dies dein movebantur Papae in regenda Ecclesia difficultates. Spoliato subsidiis demum dejectionem minitabantur. Mense Majo 1811, Savonam misit Napoleon tres episcopos, indigna postulaturos: ut confirmaret Papa episcopos nuncupatos; ut approbaret additamentum, concordato 1802 appositum, quo Papa se obstringeret, ut in posterum episcopos, ab imperatore delectos, intra menses tres confirmaret, ut cederet Franciae principatum Pontificium; ut ne quid decerneret, Gallicanis capitulis adversum; ut principibus catholicis relinqueret facultatem nuncupandi cardinalium tertias partes duas aliaque hujusmodi. Firmus renuit Pius VII, solam dedit verbotenus episcoporum confirmationem, quam non accepit Napoleon. Convenit dein **synodus nationalis 1811** [1]**,** quam coegerat imperator, „ut se populumque suum defenderet ab arrogantia sacerdotis Romani". Pervenerat imperator ad summum culmen fortunae suae, quod, praeter Russiam et Angliam, Europa universa ei erat subjecta et quod natus ei filius perpetuitatis spem Napoleontici imperii praebuerat. Synodus tamen voluntati ejus obsecuta non est, jusque sibi negavit esse explendi sedes episcopales vacantes, quod soli Papae competeret. Suspendit igitur tyrannus synodum et episcopos tres in custodiam abduci jussit. Tandem confectum hoc decretum est: si Papa intra sex menses non confirmaverit delectum, jus confirmandi devolvetur ad archiepiscopum. Quod, nova missa legatione, Pius VII hoc sensu approbavit, quod archiepiscopus, nomine Papae tantum, confirmationem daret. Id noluit imperator, significavitque Papae, se concordatum rescissurum et ipsum episcopos creaturum.

---

[1]) *Ricard*, Le concile national de 1811, Paris 1894. *H. Welschinger*, Le Pape et l'empereur 1804—1817, Paris 1905. Stimm. a. M.-L., III, 485 sqq.

Inchoato bello cum Russis, Papam Savona Fontem-Bleaudi transferri jussit et, ineunte anno 1813, victus redux e bello, quinque dierum spatio institit vexando et fatigando ut Papam ad suam mentem perduceret. Propter Ecclesiae aerumnas aegritudine animi dejectus Pius VII, fractus viribus corporis animique ac consiliariis destitutus, cum Napoleonte elaboravit praeliminaria **novi concordati** conficiendi; quod tamen pro lege non valeret, nisi approbatum prius in consistorio secreto. Summa haec fuit: stato reditu francorum vicies centenorum milium, Papa sedem figet in aliquo vel Italiae vel Franciae loco; plenum jus nominandi episcopos in toto imperio penes imperatorem erit, exceptis episcopatibus suburbicariis et decem aliis indicandis; demum synodi nationalis decretum pro lege valebit. Itaque *implicite* cessum fuit principatu temporali Pontificio. Quod quum cardinales nigri, Pacca, di Pietro et Consalvi, ad Papam admissi, significarent, vicit omnem consolationem Pii VII dolor [1]), quod compulsus subscripserat, misitque ad imperatorem epistolam [2]), qua revocavit quae concesserat et paulo post, id se fecisse nuntiavit imperii episcopis. Vehementer ira commotus imperator, di Pietro cardinalem in exsilium ejecit. Nihil tamen efficere potuit. Adversa vertebatur fortuna Napoleontis armis in Germania. Accepto nuntio, principes congressuros Pragae, auctoribus Consalvi et Pacca, scripsit Papa literas ad principes, fortiter suum sibi ereptum principatum repetens [3]). Principes autem congressi non sunt. Victus proeliis Napoleon, compulsus est abdicare se imperio et in insulam Ilvam recedere. Cum jubilo Pius VII Romam rediit 1814.

9°. Praeter Italiam et Franciam **Germania praesertim** [4]) et Neerlandia, in rebus ecclesiasticis, quae revolutionem consequebantur expertae sunt. Anno 1794, terrae ad ripam sinistram Rheni et pars Palatinatus armis a Francogallis occupatae, nova

---

[1]) Dixit Papa: „Ci siamo in fine sporcificati. Quei cardinali me strascinarono al tavolino, e mi fecero sottoscrivere."

[2]) *Pacca*, Mémoires sur le pontificat de Pie VII, Paris 1860, p. 14 sqq.

[3]) *Pacca*, II, Appendice, n. 5. Hoc documentum a Bernetti allatum est Trajectum ad Mosam, et inde a viro nobili Trajectensi van der Vrecken, mercatoris habitu induto, Vindobonam perlatum.

[4]) *Schmid*, Die säkularisirten Bistümer Deutschlands, Gotha 1858, 2 Bde. *Rodolphi*, Zur Kirchenpolitik Preussens, Paderborn 1897.

omnia. quae respublica invenerat, perpeti debuerunt. Articulus undecimus ex *organicis* rescidit universa instituta ecclesiastica, solis capitulis et seminariis exceptis. Sicut in Francia, ita etiam in his regionibus bona omnia ecclesiastica, decreto 2 Junio 1802, in publicum addicta sunt. Pro provinciis (départements) quatuor Rhenanis decretum est, ut, exceptis episcopatibus, parochiis, capitulis et seminariis, universa instituta ecclesiastica pro abolitis haberentur; ut bona omnia ecclesiastica, etiam ea, quae episcopatuum, parochiarum, capitulorum et seminariorum essent, administrarentur a natione. Quo decreto in publicum addicta sunt (sécularisés) bona universa, solis exceptis aedibus sacris pro cultu necessariis et domibus episcoporum, canonicorum et parochorum. Monasteriorum abrogatorum membris addictus est annuus reditus francorum 300—600. Soli ordines et congregationes, curae aegrotorum et instructioni dicata, esse perrexerunt. Praeterea articulo VII pacis *Lunae-Villa* definitum est, ut principes, qui perdiderant terras ad ripam sinistram Rheni, ex agris ad ripam dexteram compensationem acciperent. Cujus articuli Napoleon sane auctor fuit, qui, eversis principatibus ecclesiasticis, unitatem imperii Germani rescindere meditabatur atque ita Borussiam facere Austriae aemulam. De *compensationibus* egerunt comitia Ratisbonensia (1801). At nihil inter principes convenit. Delectos statuerunt viros; qui antequam congressi sunt, Napoleon ipse sibi negotium dirimendum sumpsit. Accidit tum ut principes Germani, adulando et blandiendo, magistratuum Francogallorum cupiditate abusi sint, propositoque auri pretio, sibi grandiorem aut minorem compensationem sint deprecati. Episcopatuum et abbatiarum quasi mercatura facta est in Germania. Die 2 Augusto 1802, deputati imperatorii constituti sunt, qui, inspectante Francia et Russia, negotium compensationis definirent. Quibus deputatis brevi dedit notam Napoleon, qua „sine ullo partium studio", aiebat, compensationes erant descriptae. Die 25 Februario 1803 demum decretum confectum est (*Reichsdeputationshauptschluss*)[1]. Cui, pro forma quidem, ab imperatore Germaniae subscriptum est; etenim principes omnes suam sibi tributam compensationem

---

[1]) Protokoll der ausserordentlichen Reichsdeputation zu Regensburg, Regensburg 1802, 6 Bde.

jam occuparant. Hac itaque dispositione, una cum spoliatis terris ad ripam sinistram Rheni, Ecclesiae erepta sunt agrorum miliaria □ 1719, cum incolis 3.162,576, redituumque annuorum 210^{ies} centena milia. Statutae quidem pensiones annuae sunt spoliatis episcopis, canonicis et ordinum religiosorum sociis; sed, sicuti in Francia, hic quoque vel male vel omnino non solvebantur. In exsequenda deinde dispositione, ferocia magna et sacrilego agendi modo usi sunt[1]).

Esse perrexerunt principatus ecclesiastici duo: imprimis territorium ordinis Teutonici, eo quod magister generalis esset princeps Austriacus; dein collegiale Ratisbonense, quem fecerunt esse archiepiscopatum, in gratiam Caroli Theodori a Dalberg, Napoleonti gratiosissimo. Doluit merito valde Pius VII de toto hoc rerum eventu, non solum ob damnum pecuniarium, sed magis ob nocumentum spirituale jam illatum et futurum. Episcopi aliqui abdicarunt, alii obierunt. Capitula paulatim exstinguebantur. Rebus autem tam angustis neque Papae nuntius, della Genga, efficere quidquam potuit. Alteri ordinationi conficiendae obstabat iniquitas aulae Franciae et perpetua Papae captivitas. Interea negotiis ecclesiasticis ingerebant se principes protestantes, ita ut non solum principatus iis assignati, sed etiam terrarum suarum episcopatus ab iis regerentur atque episcoporum auctoritas quasi ad nihilum redacta sit.

Anno 1803 inceptum est agi de concordato, pro universa Germania. Successum tamen res habere non potuit, quod principes spiritu Josephistico essent imbuti. Pauco tempore post, coaluit societas Rhenana, qua principes Germani 16, ab imperio Austriaco recedentes, Francofurtum fecerunt novi foederis caput. Dalberg primas eo sedem suam transtulit. Die 6 Aug. 1806, Franciscus II abdicavit se dignitate imperatoris Germani. Quo facto, imperium Germanum esse desiit. Itaque quum hoc ipso concordatum pro universa Germania confici amplius non posset, Napoleon, post foedus pacis Chronopolitanum (Tilsit) (7 et 9 Julio 1807), animo sibi proposuit concor-

---

[1]) *Dr. Heinrich Brück*, Geschichte der katholischen Kirche in Deutschland im neunzehnten Jahrhundert, Mainz 1887, I Bd. De sententia Paccae cardinalis vide ejus: Mémoires etc. II, 355: Discours sur l'état actuel et les destinées futures de l'église catholique.

datum facere pro foederatione Rhenana. Inceptum est Parisiis agi de negotio, sed mox destitum. Etenim N a p o l e o n t i s insolentia et eversio principatus Pontificii (1809) effecerunt, ut de conventione sermo esse amplius non potuerit. Neque posteriora tentamina prospere cesserunt.

10⁰. In **Neerlandia** [1]), jam anno 1795, conati catholici principiis proclamatae libertatis uti, petierunt ab iis, qui ad tempus nationem Hollandicam repraesentabant, ut sibi liceret eligere episcopum. Data licentia est, sed tempora non fuerunt opportuna. Quum L u d o v i c u s B o n a p a r t e constitutus esset rex Hollandiae (1806), articulo VI Constitutionis ei facta est potestas ordinandae Ecclesiae. Quare, die 2 Augusto 1808, delectos viros designavit, qui rem conficerent. Nihil statuere valuerunt, eo quod Papa, cujus licentia requirebatur, eo ipso tempore Savonae in custodiam missus est. Anno 1810 N a p o l e o n ipse ordinare res ecclesiasticas aggressus, die 26 Aprili decrevit ut provincia ad oras Rheni (*département des bouches du Rhin*) unus esset episcopatus, cujus sedes Silvae Ducis. In eo autem vigere jussit „inviolata Ecclesiae Gallicanae principia adversus arrogantiam curiae Romanae". Die 22 Julio 1811 deinde imposuit Hollandiae, non solum concordatum Franciae, sed etiam articulos organicos. Inconsulto Papa, instituit episcopos et Papam reclamantem despexit. Die autem 24 Octobri 1811 praescripsit, ut variae in Hollandia divini cultus species ordinarentur accommodate ad leges Franciae. 24 Jan. 1812 ex omnibus delecti viri sunt nominati, pro catholicis C r a m e r archipresbyter, pro Jansenianis vicarius-generalis W. v a n O s. Voluit omnino imperator, ut fieret unio inter utrumque cultum. Facile patet ei non successisse negotium. C r a m e r censuit episcopatus duos esse creandos; V a n O s voluit redintegrari, quae ordinata fuerant anno 1559. D'A l p h o n s e, commissarius, initio noluit novum erigi episcopatum, postea censuit unum pro septem provinciis episcopatum constituendum, cujus sedes Ultrajecti. Quae omnia Parisiis reprobata sunt. Dejecto autem

---

[1]) *Nuyens*, in de Wachter, Jg. 1880, p. 95, 113, 216. *Hezemans*, ibd. Jg. 1881. *P. Albers* S. J., Geschiedenis van het herstel der Hiërarchie in de Nederlanden. Met eene inleiding van Z. D. H. Mgr. *H. van de Wetering*, aartsb. v. Utrecht, Nijmegen 1903, Dl. I, 6 sqq.

Napoleonte, studiis caesaropapisticis novum gubernium non abstitit [1]).

---

§ 166. Papatus et Italia.

Wiseman, Recollections of the last four popes, London 1857, (etiam in variis versionibus). *Hergenröther*, Der Kirchenstaat seit der französischen Revolution, Freiburg 1860. *Ch. van Duerm*, Vicissitudes politiques du pouvoir temporel des Papes de 1790 à nos jours, Lille 1890. *Dr. A. J. Nürnberger*, Papsttum und Kirchenstaat (1800—1870), Mainz 1897—1900, 3 Bde. *Pierre de la Gorce*, Histoire du second empire. Ouvrage couronné par l'académie française, 7ème éd., Paris 1902, 7 vols., praesertim Tom. 2, 3, 5, 7.

1°. Dejecto Napoleonte, coivit (1814—1815) **Congressus Vindobonensis** [2]), cui etiam interfuit Consalvi cardinalis, allegatus Pontificius. Expertus est cum dolore Pius VII ibi etiam plus valuisse vim et potentiam quam justitiam et gentium jura. Integrum suum territorium Papa non recepit. Avenionense et Vindascinum cum Ferrarensis parte reddita non sunt. Redeunte Napoleonte ex insula Ilva (100 dies), rex Neapolitanus, Murat, iterum occupavit principatum Pontificium, ut Pius VII alteram capessere fugam debuerit. Non fuit exsilium diuturnum. Napoleon victus et abductus est in insulam St. Helenam [3]) († 5 Maii 1821) et Murat damnatus ac glandibus confectus est. In instaurato principatu Pontificio Napoleontis *Code civil* abrogatus, sed ejus instituta administratio pecuniaria servata est. Quae bona Francogalli in publicum addixerant, restituta non sunt. Tamen debita publica delere Papa studuit. Magistratus et ministros, qui prae ceteris studiis Pontifici hostilibus indulserant, amovit Pius, reliquis dedit veniam. Quod jam a principio pontificatus animo volverat, rescindere quae fecerant aulae Borbonicae et Clemens XIV, perfecit Pius VII, die 7 Aug. 1814 edita bulla *Sollicitudo*

---

1) *H. J. Allard*, Antonius van Gils en de kerkelijke gebeurtenissen van zijn tijd, 's Hertogenbosch 1875.

2) *I. Rinieri* S. J., Il Congresso di Vienna e la santa Sede. La diplomazia pontificia nel secolo XIX, Roma 1904, vol. 4. *Idem*, Corrispondenza inedita dei cardinali Consalvi e Pacca nel congresso di Vienna (1814—1815), ricavata dall' archivio secreto Vaticano, Torino 1903.

3) *P. Gomard*, Les origines de la légende napoléonienne. L'œuvre historique de Napoléon à Sainte Hélène, Paris 1906.

omnium ecclesiarum, qua Societatem Jesu per universum terrarum orbem restituit[1]). Cardinales Consalvi et Pacca impenso studio in omnibus Papam adjuvarunt. Romae collegia pristina instaurata sunt *Germanicum*, Anglicum et Scoticum. Congregatio de *Propaganda fide* denuo instituta et novata. Allegati etiam regii pedetentim ad curiam Romanam redierunt: primi Russiacus, Borussiacus, Hannoveranus et Wurtembergicus. Neerlandia inde etiam suum habebat Romae plenipotentiarium. Principes quasi aemuli Romam adierunt veneraturi Pontificem: Austriae imperator (1819), Borussiae rex (1822), rex Neapolitanus (1821). Hispaniae rex jam Romae manserat. Carolus Emmanuel IV, Sabaudiae princeps, Romae vita functus est, Societatis Jesu socius. Napoleontis etiam familia ibi perfugio recepta. Anno 1821, damnavit Pius VII *Carbonarios* aliasque societates occultas. Multasque iniit conventiones cum guberniis[2]). Ingens incendium, quo anno 1823 ecclesia S. Pauli extra muros exusta est, non fuit amplius nuntiatum animam agenti seni. Obiit 19 Julio 1823. Fuit unus e celeberrimis pontificibus, eoque regnante patuit, vel a potentissimo tyranno Ecclesiae mirandam virtutem superari non posse.

2°. Post dierum 25 conclave, electus est **Leo XII** (1823—1829), e gente della Genga[3]). Statim dum a cardinalibus veneratione adorabatur, della Somaglia cardinalem designavit suum secretarium. Consalvi cardinalem instituit *Propagandae* praefectum, animi magni documentum praebens, quod antea ab invicem animo discessissent. Nondum coronatus, celebravit victoriam quam in Hispania Francogalli reportaverant et Ferdinandum VII regem restitutum (1823). Anno 1824, principes regii quatuor Romam viserunt: Borussiae, Bavariae, Hollandiae et Sveciae. Anno 1825, cum solemnitate magna et uberrimo fructu, celebravit Leo XII jubilaeum. Conventiones iniit cum statibus Germaniae, cum Helvetia et Neerlandia. Magnam collocavit curam

---

[1]) Bullar. Rom. XVIII, 323 sqq. De mente cardinalis Pacca et de gaudio populari vide *Pacca*, Mémoires, Tom. II (éd. Paris 1860), p. 146—148.

[2]) *Nussi*, Conventiones de rebus ecclesiasticis etc., Moguntiae 1870. *Münch*, Vollständige Sammlung aller ältern und neuern Konkordate, Leipzig 1830, Bd. I—II.

[3]) *Artaud de Montor*, Histoire du Pape Léon XII, Bruxelles 1843.

promovendis scientiis. Reddidit Jesuitis *Collegium Romanum*, instituitque in eo docendi sedes pro scientia physica, chemica et eloquentia. Praeparavit reaedificandam S. Pauli, subsidiaque recepit ab Austriae imperatore et a regibus Franciae et Neerlandiae (1825). Eodem hoc anno, damnavit Leo XII massonum ordinem, bulla *Quo graviora*, referens quae jam a Clemente VIII, Benedicto XIV et Pio VII erant decreta. Saluberrimum principatui Pontificio fuit Leonis XII regnum. Vectigalia opportune temperata sunt et studia superiora faustissime promota. Obiit, annos natus 69, die 10 Februario 1829. **Pius VIII** (1829—1830)[1], e gente Castiglioni, brevi defunctus est. Damnavit societates biblicas et massonum ordinem, edixitque breve[2]) de matrimoniis mixtis in Germania. Vidit adhuc, mox moriturus, catholicos in Anglia emancipatos.

3⁰. Tristia prospectabantur, quum, post dierum 50 conclave, electus est Mauro Cappellari, antea magister generalis Camaldulensium, qui nomen sibi dedit **Gregorio XVI** (1831—1846)[3]. Tempora postulabant virum, animo forti fidissimoque principiis fidei catholicae. Non defuit Gregorius. Vix electus, vidit revolutionem mensis Julii, occultis Carbonariorum machinationibus e Francia migrantem in Italiam. Franciae, quae isto tempore in negotiis publicis principium tenebat non interveniendi, adversa fuit Austria, quae, annis 1830 et 1832, in territorio Pontificio pacem restituit, atque annos deinde sex occupavit militibus suis principatum Pontificium. Aemula ista gubernia perturbationis multae causa fuerunt et saepe contra jus fasque gubernationi Pontificiae se immiscuerunt, ita ut auxerint odia seditiosorum in Pontificem. Bononiam occupabat Austria, Francia Anconam (1832—1838). Allegati gubernatorum in Europa obtulerunt Papae *memorandum*, quo commendabant reformationes inducendas, ne iterum moveretur seditio. Conatus est Gregorius XVI emendare judicia et rem pecuniariam, compulsusque fuit, a Judaeo Rotschild mutua accipere scudorum tricies centena millia.

---

[1]) *Artaud de Montor*, Histoire du Pape Pie VIII, Paris 1844.

[2]) *Litteris altero abhinc anno*, 25 Martio 1830.

[3]) *Wagner*, Leben und Pontificat des Papstes Gregor XVI, Sulzbach 1846. *Sylvain*, Grégoire XVI et son Pontificat, Lille 1890. *J. A. v. Helfert*, Gregor XVI und Pius IX, Ausgang und Anfang ihrer Regierung, October 1845—November 1846, Prag 1895.

Fortiter agendo adversus seditiosos, aliquot annorum tranquillitatem firmavit. At anno 1843 iterum turbae sunt excitatae. Animos multorum vehementer moverant opera duo, alterum auctore **Vincentio Gioberti** (1801—1852), inscriptum: *Del primato morale e civile degli Italiani*, quod, superbos spiritus nationis Italae fovens, proposuit ut iniretur societas principatuum Italiae, cujus Papa esset caput; alterum **Caesare Balbo** auctore, *Speranze d'Italia*, magis rebus ipsis stabat, significans quid Italis corrigendum, ut sperarent mox se liberatum iri. Interea **Mazzini** († 1872), Ricciardi, Fabrizi, et Pepe ignis seditionis alimenta cumularunt. Farini scripsit *Manifesto di Rimini*. In congressibus quoque scientificis, Pisano (1839), Taurinensi (1840) et Florentino (1841), parabatur seditio. Quibus tamen omnibus fortissime restitit Gregorius. Praeterea multis ipse se laboribus dedit in re scientifica et ecclesiastica, condidit *Musei Gregoriani* et *Museo Etrusco* et ad cardinalatum promovit, celeberrimos viros, Mezzofanti et Mai[1]). Identidem Gregorius praebuit se Ecclesiae defensorem, Russiae imperatorem bis increpavit de crudelitate et injustitia in catholicos atque ausus est praescribere preces, ut cessaret Ecclesiae oppressio in Hispania. Damnavit Lamennais (Paroles d'un croyant), et doctrinas Hermes et Bautain. Floruit Ecclesia, regnante Gregorio, multisque aucta est dioecesibus. Seditiosa tamen agitatio perpetua incrementa cepit. Vita defungente Gregorio, die 1 Junio 1846, imminebat revolutio. Sicuti Gregorii fortitudo, ita benignitas ejus, qui ei successit, praevertere eam non valuit.

4°. **Pius IX** (1846—1878), e gente Mastai-Ferretti, annos 54 natus, prae omnibus praedecessoribus suis diutius gubernavit, licet tempora fuerint valde adversa[2]). Summo statim plausu est consalutatus, quo jubilo seditiosi usi sunt ad plebem concitandam. Indole pronus ad indulgendum, Pius IX veniam proclamavit fere omnibus, qui ob delicta in rempublicam poenis

---

[1]) *G. Gozza-Luzi*, I gran lavori del Card. A. Mai, Bessarion 1904—1905.

[2]) *Dr. W. J. F. Nuijens*, Geschiedenis der regeering van Pius IX, Amsterdam 1862, 2 Dl. *J. M. Villefranche*, Pie IX, sa vie, son histoire, son siècle, 8e éd., Paris 1878. *Pougeois*, Histoire de Pie IX, son pontificat et son siècle, Paris 1877—1886, 6 vols. *Gillet*, Pie IX, sa vie et les actes de son pontificat, Paris 1877. *Hülskamp*, Pius IX in seinem Leben und Wirken, 4e Aufl., auctore *Molitor*, Münster 1875.

fuerant multati; semovit Lambruschini, secretarium publicum, quem multi oderant, concessitque ut, mutata prima lege fundamentali, essent collegia duo deputatorum, quae ederent leges et vectigalia imponerent. Quibus tamen concessis, non fuerunt contenti revolutionis cupidi; econtra, hoc primo successu ad spem majorem erecti, undique plebem concitarunt. Anno 1848 exarsit seditio, Austriacos praesertim odio persequens. Postularunt ut Pius IX conaretur *unam Italiam* sociare et ut bellum inferret Austriae. Quod quum recusaret, proditor patriae vocatus et coactus est permittere ut Mamiani cum reliquis seditiosis sui regni essent administri. Interea in Longobardia armis vicerunt Austriaci. Neapoli quoque res ad meliora sunt compositae. Respiravit itaque Pius semovitque Mamiani cum reliquis administris. Moderatiores, duce **Pellegrino Rossi** comite, rem obtinuerunt. At quum, pugione percussus in gradibus cancellariae, die 15 Novembri 1848, Rossi obiisset, seditiosi invaluerunt fugamque capessvit Gaëtam Pius, die 24 Novembri[1]). Die 5 Februario 1849, consedit Romae conventus constituens, qui Papae ademit regimen civile, liberamque rempublicam proclamavit. Regebant Mazzini[2]), Saffi et Armellini. Spoliatae ecclesiae sunt et bona *manus mortuae* in publicum addicta. At, invocato a Pio IX Austriae, Hispaniae, Franciae et Neapolis auxilio, die 2 Julio 1849 Francogalli, Roma occupata, ad quietem ordinemque res revocarunt. Die 12 Aprili 1850, Pius Romam rediit. Arma Franciae in tuto ponebant omnia.

Verumtamen vera tranquillitas non fuit. Inde ab anno 1848 caput seditiosorum, Victor Emmanuel, Sardiniae rex, otium capere noluit, donec *uni Italiae* ipse imperaret. Machinationis praecipuus auctor fuit ejus administer Cavour[3]), qui jam a puero fuerat seditionis assecla. Probe intelligens, Sardiniam solam potis non esse, reluctante Austria, incepta perficere, aggressus est, Napoleontem III in partem obtinendae unitatis Italiae perducere. In rebus politicis agendis peritissimus, imperatorem permovit. Consecutum imprimis bellum est Franciae et Sardiniae adversus Austriam (1859), quae, victa proeliis ad Magenta et Solferino, cedere Longobardiam debuit. Inchoato

---

[1]) Cf. Le monde catholique à Pie IX dans l'exil.

[2]) *P. E. Gruber*, Gius. Mazzini e la rivoluzione. Trad. del P. Polidori, Roma 1905.

[3]) *Fr. X. Kraus*, Cavour, Die Erhebung Italiens im XIX Jahrh., Mainz 1902. Cf. Studiën, Dl. 58.

bello, quum copiae Austriacae, petente Pio IX, e legationibus egrederentur, multi a Pedemontanis missi seditiosi introierunt, qui auro verbisque plebem insciam induxerunt ut Victori Emmanueli se velle adjungi declararent. In Francia animi adversus Papam moti sunt per libellum *Le Pape et le Congrès*, quo, ad mentem Napoleontis, Romam et Romaniam satis amplum Papae esse territorium dicebatur. Mense Decembri idem Papae scripsit Napoleon. In dies insolentiores facti seditiosi[1]), anno 1860 Marcas et Umbriam Pontifici ademerunt, fortissimo viro Lamoricière cum copiis Pontificiis, ad Castelfidardo et Ancona, viribus Pedemontanorum multo superioribus succumbente. Quae facta esse causati sunt, ut instauraretur ordo in territorio Pontificis. Publice reprobabat hanc illatam vim Napoleon, secreto approbabat. Tertia pars principatus sui Papae relicta. Febr. 1861, comitia Pedemontana proclamaverunt Victorem Emmanuelem Italiae regem, et paulo post in iisdem comitiis declaravit Cavour, Romam esse debere caput regni, imperio spirituali Papae relicto. Non assentitus est Pius, cujus copiae, auxiliantibus Franciae militibus, qui Romam tuebantur, fortiter pugnantes, Garibaldi latrones ad Aspromonte vicerunt (1862). At, inscio Papa, cum Napoleonte anno 1864 iniit Victor Emmanuel perfidam *conventionem*, qua concessum est Victori Emmanueli ut sedem regni Taurino Florentiam transferret, territorio Pontificio integro relicto, promissumque futurum ut intra biennium arma Franciae Roma avocarentur. Quod factum est Dec. 1866. Tum Garibaldi cum suis impetum fecit in terras Pontificias. Coactus communi hominum opinione Napoleon, Pio IX denuo auxilia misit, qui cum Zouavis, die 3 Novembri 1867, ad Mentanam Garibaldianos proelio vicerunt. Tres annos reliquos stetit Papa, auxilio militari Franciae (numero militum 5000) fretus. Avocatis autem 1870 copiis, et captivo facto Napoleonte ad Sédan (2 Sept. 1870), cohortante von Arnim allegato Borussiaco, Victor Emmanuel cum exercitu aggressus est Romam. Horarum quinque spatio tormentis urbe verberata, ne inutiliter sanguis profunderetur, jussit Pius IX vexillum album, deditionis signum, extolli. Per dirutam moenium partem ad **Portam**

---

[1]) Pius ad filios magnanimes sese convertit: Montalembert instituit opus pium *oboli S. Petri* (*C. Daux*, Le denier de S. Pierre, Paris 1907) et Lamoricière congregavit corpus Zouavorum.

piam, die 20 Sept. 1870, Pedemontani ingressi, urbem occupaverunt. Simul introivit congesta undique plebs, cujus majores partes fuerunt in ridicula mendacique simulatione **sciti plebis,** die 2 Octobri 1870[1]. Primo Novembri edixit Pius IX encyclicam, qua reclamando, universo mundo patefaceret cuncta, inde ab anno 1859 injuste facta. Catholici multi reclamationi assentiti sunt[2], e guberniis autem soli *Coeurs d'Alène* e Montibus Saxosis et Ecuador, duce Garcia Moreno. Sibi sumpsit Quirinale Victor Emmanuel. Papae relicta palatia Vaticani, S. Joannis Lateranensis et Castel Gandolfo. Legem autem sponsionis (*loi des garanties*), 15 Maji 1871, qua Papae concedebantur reditus annui francorum 3¼ decies centena milia, jura regia, personae suae inviolabilitas, propria sibi officina pro mittendis accipiendisque litteris cum telegrapho proprio, liberumque cum guberniis commercium, eam non acceptavit Pius. Legis articulus primus „Papae persona sacrosancta et inviolabilis est" sonabat fere sicuti *ave Rabbi*, quo Christo illuserunt Judaei[3].

Neque occupata urbe Roma, Victoris Emmanuelis gubernium destitit persequi Ecclesiam. Statim fere leges Sardiniae, Ecclesiae hostiles, extendit ad universam Italiam, monasteria multa sustulit, bona ecclesiastica in publicum addixit, compulitque clericos ut militiae ascriberentur. Codex poenalis anni 1869 plurima habet decreta Ecclesiae nociva. Anno 1890 plurima instituta pia lege sunt abrepta Ecclesiae, bonaque eorum in publicum tradita. Neque ipsae *Propagandae* possessiones tuta fuerunt a rapacitate gubernii[4].

5°. Quas omnes calamitates patiendo et dolendo factus celeber, Pius IX multo majorem gloriam obtinuit singularibus suis **laboribus pro Ecclesia.** Multa iniit concordata, hierarchiam redintegravit in Anglia (1850) et in Hollandia (1853)[5], erexit archiepiscopatus 29, episcopatus 132, vicariatus apostolicos 33, praefecturas apostolicas 15. Creberrimas celebravit Sanctorum beatificationes et canonizationes. Vix fuit antea Papa ullus, qui

---

[1]) Mensibus post quatuor Romanorum 27,161 optaverunt pro Papa.

[2]) Cf. Sovranità temporale dei Rom. Pontefici, Roma 1868 sqq. Tom. I—VII.

[3]) *S. M. Brandi,* S. J., La dotazione della S. Sede secondo la legge delle guaransige. Civ. Cat. 1904, Tom. 4.

[4]) Archiv für kath. Kirchenrecht, Jg. 59, 62, 63, 64, 72. Cf. *Geigel,* Das Italienische Staatskirchenrecht, Mainz 1886.

[5]) *P. Albers* S. J., Geschiedenis enz., Nijmegen 1903—1904, 2 Dl.

pari modo animos clericorum et laicorum sibi conciliaverit. Quod patuit occasione proclamati dogmatis Immaculatae Conceptionis (1854), canonizationis Martyrum Japonensium (festo Pentecostes 1862) et festi saecularis Apostolorum Petri et Pauli (1867), quibus episcopi primum 200, dein amplius 300, tum vel 500 Pontifici astiterunt. Quam fervidus autem fuerit fidelium in carum parentem amor, manifestatum est, quum jubilaea ageret, anno 25 regni (1871) et anno 50 episcopatus (1877). Facta autem celebriora regni Pii IX haud dubio fuerunt dogmatis Immaculatae Conceptionis B. M. V. proclamatio (8 Decembri 1854), Syllabi edictio (8 Dec. 1884)[1]) et inchoatum (8 Decembri 1869), Concilium Vaticanum, quo infallibilitatis Pontificiae dogma definitum est. Ipsi dies, quibus gesta sunt ea, ostendunt quam pia fuerit Pii IX in B. M. V. devotio. Post regni annos 32 obiit, 7 Februario 1878.

6⁰. Episcopus Perugiae, Joachim Pecci cardinalis, successit, nomen cui **Leo XIII** (1878—1903)[2]). Vastissimo ingenio vir et usu rerum peritissimus, inde ab initio in hoc incubuit ut S. Sedis rationem ad gubernia in meliorem converteret. Edicta, 21 Aprili 1878, encyclica *Inscrutabili*, qua reclamavit de rapto principatu Pontificio, conatus est cum reliquis guberniis pacem componere aut firmare. Ad Germaniam imprimis conversus, agere coepit cum Bismarck atque ita maturavit finem certaminis (*Kulturkampf*). Praeter ceteros praecipuo studio prosequebatur Leo XIII populos Orientis. Quapropter scripsit epistolam ad Russiae imperatorem et encyclicam de Sanctis Cyrillo et Methodio (1880). Hierarchia ecclesiastica in Bosnia et Herzegowina redintegrata, schismate Armenorum composito, et episcopo Hassoun, primo post Bessarion, ad cardinalatum evecto, sperabat Leo fore ut postea etiam reliqui orientales

---

[1]) Constit. *Quanta cura*, *Denzinger*, ed. IX, p. 371 sqq.; ed. X, n. 1688 sqq.

[2]) *Boyer d'Agen*, Un prélat italien sous l'ancien état pontifical. Léon XIII d'après sa correspondance inédite, Paris 1907. *Martin Spahn*, Leo XIII, München 1905. *Ricard*, Léon XIII, Paris 1895. *Boyer d'Agen*, Jeunesse de Léon XIII, Paris 1896. *B. O'Reilly*, Het leven van Z. H. Paus Leo XIII, naar het Engelsch door *F. J. Poelhekke*, 's Hertogenbosch 1887. *Louis Teste*, Léon XIII et le Vatican, 2e éd., Paris 1880. *Mgr. de T'serclaes*, Léon XIII, son action religieuse, politique et sociale, Lille 1894—1907, 3 vols. Die katholische Kirche unserer Zeit. Herausgegeben von der Leo-Gesellschaft, Wien 1898—1902, 3 Bde. Acta Leonis XIII, Freiburg 1880 sqq.; Brugis et Insulis 1887 sqq.

populi ad unitatem facilius reducerentur. At encyclicae *Praeclara* (20 Junio 1894) acerbe respondit A n t h y m u s patriarcha schismaticus[1]). Die 15 Junio 1891, instauravit L e o XIII hierarchiam Japoniae, et Mexicanam uno mense post. Multa meruit L e o XIII de studiis historicis, aditum praebendo ad tabularias Vaticanas (1883). Maximam tamen claritatem dederunt L e o n i celeberrimae ejus encyclicae multiplices, non solum argumento rebusque, sed etiam formae et sermonis venustate eminentes. Reprobavit communismum et socialismum (1878), restituit rectam philosophiam ad principia S. T h o m a e (1879), principibus exposuit quae sit rerum publicarum gerendarum ratio (1881), damnavit massonum ordinem (1884), exposuit quae sit christiana civitatum constitutio (1885). Gravissimi momenti fuerunt encyclicae de libertate humani arbitrii (1888), de operariorum conditione (*Rerum novarum* 1891), de studiis biblicis (1893) etc. Quanta fuerit Pontificis pietas et devotio in B. M. V., ostenderunt encyclicae de rosario, singulis annis, pro mense Octobri „Reginae sacratissimi Rosarii" dedicando, editae. Invocationem hanc et alteram, „Mater boni consilii", addidit Litaniis Lauretanis (1883 et 1903). Mirandum non est L e o n e m XIII, adeo scientia, sapientia et prudentia excellentem, apud principes populosque alte animis insita veneratione esse usum. Anno 1885, a Germaniae et Hispaniae princibus arbiter electus est in negotio de Carolinis insulis. Praesertim cum ter jubilaeum ageret (50 annorum sacerdotii, 3 Dec. 1887; 50 annorum episcopatus, 19 Febr. 1893, et 25 annorum regni, 20 Febr. 1903), luculentissimis testimoniis amorem suum et devotionem significarunt catholici, acatholici quoque honorem et venerationem. Vaticano palatio inclusus Papa, nihilominus, agente Providentia divina, factus est populorum magister et ductor. Celebrato solemniter jubilaeo 1900, quo peregrinantium fere quinque centena milia Romam adierunt, obiit L e o XIII, 20 Julio 1903, annos natus fere 93.

7°. Successit **Pius X** (1903—19...)[2]), qui inde ab initio omnium

---

[1]) *Duchesne*, Antonomies ecclésiastiques. Eglises séparées, 2e éd., Paris 1905, Chap. III, p. 59—112.

[2]) *Dr. A. Hoch*, Papst Pius X. Ein Bild kirchlicher Reformthätigkeit, Leipzig 1907. *A. Marchesan*, Papst Pius X, übersetzt von *Artho*, 1905—1906, 2 Bde. De *veto* electioni Pii X interposito a gubernio Austriaco vide *Dr. A. Eisler*, Das Veto der katholischen Staaten bei der Papstwahl seit dem XVI Jahrh. Wien 1907.

sibi devotos comparavit animos paterna sua caritate et bonitate atque invicta fortitudine. Proposuit sibi: *omnia instaurare in Christo*. In rebus publicis sequitur eadem, quae praedecessores, principia. Quoniam autem quandoque expedit ad incolumitatem religionis et civitatis, ut, qui vocantur conservativi, ne desint in agendis rebus publicis, decrevit ut nonnumquam specialiter dispensetur in antecessorum suorum principio *non expedit*, ut catholici etiam electionibus publicis tractandis intersint[1]. Animo dolens, restitit fortiter Pius machinationibus gubernii Francici, libertatemque Ecclesiae propugnavit, quum vexarent clericos regulares et saeculares et perfide rescinderent concordatum. Maxima pietate et jubilo celebravit annum quinquagesimum (1904) definiti dogmatis Immaculatae Conceptionis B. M. V. Magnam curam ponens in integre servando deposito fidei, impugnansque eos, qui vocantur modernistae (Schell, Muller, Loisy, Laberthonnière, Fogazzaro etc.); a S. Officio damnatas esse probavit[2] propositiones 65, ac paulo post edixit gravissimam encyclicam de doctrina modernistarum[3]. Altera magni momenti constitutione[4] reformavit Congregationes, Tribunalia et Officia Romana.

---

§ 167. **Ecclesia in Hispania et Lusitania.**

Pius Gams, Die Kirchengeschichte von Spanien, III Bd., Regensburg 1879. *La Fuente*, Hist. eccles. de España, 6 Tom., Madrid 1873—1875. *H. Brück*, Die geheimen Gesellschaften in Spanien und ihre Stellung zu Kirche und Staat von ihrem Eindringen in das Königreich bis zum Tode Ferdinands VII, Mainz 1881. *Pfeilschiffter*, Die kirchlichen Zustände in Spanien, Würzburg 1842.

1°. Jam d'Aranda Caroli III administro, penetravit in **Hispaniam** impietas. Nec melior conditio illata, regnante Josepho Bonaparte, qui rescidit inquisitionis judicium, disjecit religiosos eorumque bona in publicum addixit. Redeunte rege legitimo, redierunt etiam religiosi, vel ipsi Jesuitae. Ubique

---

[1]) Constitut. Certum Consilium, 11 Julio 1905. Anno 1901 numerabantur Italiae incolae 32.475.298, quorum catholici 31.539.863.

[2]) Decretum *Lamentabili*, 4 Julio 1907.

[3]) Vide Litterae encyclicae SS. D. N. Pii PP. X de modernistarum doctrinis: *Pascendi dominici gregis*, 8 Sept. 1907. *Denzinger*, ed. X, n. 2001 sqq.

[4]) Constit. Sapienti Consilio, 7 Julio 1908. Cf. Commentarium P. Bened. Ojetti S. J., Romae 1910.

dabantur missionum exercitia. Quod indigne ferentes, societates occultae seditionem moverunt (1820), ac simul violentam Ecclesiae persecutionem, quae perduravit donec, anno 1823, Francogallorum exercitus seditiosos vicit, Ferdinandum VII e vinculis solvit, regnumque firmavit. Annis 1823—1829 facta est instauratio. Ultimo hoc anno Ferdinandus duxit Mariam Christinam, e quo matrimonio una sola filia, **Isabella** nata est 1380, in cujus gratiam Ferdinandus abrogavit legem salicam. Quo mortuo, triennio post (1833), exarsit revolutio. Altera enim Hispaniarum pars parebat Isabellae, regnanti sub tutela matris suae, altera sequebatur Ferdinandi fratrem **Don Carlos.** Quoniam autem huic adhaerebat clerus, praesidia sibi quaesivit Maria Christina ab Ecclesiae hostibus. Falso pervulgato nuntio, cisternas esse a religiosis veneno infectas, exorta est persecutio. Caesaraugustae, Barcinone, Matriti monasteria igne diruta sunt, religiosi a plebe trucidati. Paulo post, ut aerarii publici inopiae gubernantes mederentur, crebris decretis (1836) monasteria virorum omnia, mulierum aliquot sublata sunt eorumque bona omnia in publicum addicta.

Haud longa mora, seditione religiosa in civilem publicam conversa (1840), Maria Christina cum filia sua ex Hispania egredi guberniumque coacta est relinquere duci de la Vittoria **Espartero,** qui omne commercium cum Papa solvit nuntiumque Pontificium expulit. Anno 1841, episcoporum numerus fuit in Hispania ad octo redactus. Frustra reclamavit Papa, cujus ipsum pulcherrimum breve, datum 22 Febr. 1842, Hispani despiciebant. Universo tum orbi catholico praescripit precationes pro Hispania Gregorius XVI. Anno proxime sequenti cedere Espartero debuit Narvaes, quo facto pax est restituta. Fuerunt viri celeberrimi, Balmes (†1848) et Donoso Cortes (†1851), qui Ecclesiae jura defenderunt. Initum concordatum (1851)[1]) concordiam cum S. Sede firmavit. At anno 1854 iterum praevaluit Espartero, qui statim in publicum addixit bona omnia vocata *manus mortuae*, cui tamen decreto subscribere Isabella regina noluit. Cedere mox iterum Espartero debuit (1856). Nova facta conventione cum S. Sede (1859), bona pacis experta est Hispania, donec 1868 quarta vice revolutio erupit per *pronunciamento* Prim et Serrano. Iterum exsulare

---

[1]) *Nussi*, Conventiones etc., p. 281.

debuit Isabella (1869). Frustra quaesitus qui esset rex, atque ita ansa reperta belli inter Borussiam et Franciam. Proclamatae dein reipublicae constitutio fuit tum Ecclesiae tum omnino religioni hostilis. At post annos duos (1875), auctore Martinez Campos, Isabellae filius, **Alphonsus XII** († 1886), restitutus est. Neque is tamen pacem firmare patriae valuit, eo quod turbas moveret Don Carlos, nepos fratris Ferdinandi. Constitutione nova, anno 1876 confecta, Ecclesiae jura satis vindicabantur. At tum Alphonsus tum ejus vidua Maria Christina, tutelam agens filii sui, saepius administris uti compulsi sunt, qui, omni quo poterant modo, molestias Ecclesiae et clericis facesserunt. Anno 1889 licitum est declaratum inire matrimonium mere civile. Majorennis factus anno 1900, **Alphonsus XIII,** quo pollet animo fideique fervore, exspectationem praebet futurum ut in Hispania fides indies uberius efflorescat[1]).

2⁰. **Lusitania,** anno 1808 a Francogallis expugnata, in Brasiliam a Lusitania separavit. Defuncto Joanne VI, anno se coronandum curavit imperatorem Brasiliae, atque ita Brasiliam a Lusitania separavit. Defuncto Joanne VI, anno 1826, Don Pedro in Lusitania bellum civile concitavit: ne frater suus minor, Don Miguel, pulsus olim a patre, regnum occuparet, jura sua cessit filiae suae Mariae da Gloria, pro qua minorenni ipse gubernacula tenuit (1829). Fuit autem Ecclesiae persecutor. Conjecit episcopos in vincula, monasteria dissolvit, decimas rescidit, nuntiaturam Pontificis amovit. Remisse valde egit Ulisipponensis patriarcha, Patricius da Silva. Intenta persecutio est quum, mortuo Don Pedro, Maria da Gloria successisset. Maritus enim ejus, Coburgi princeps, causa fuit cur nimia Angliae auctoritate Lusitania premeretur et regeretur a massonum secta. Parum in melius mutatae res sunt, regnantibus filiis Mariae da Gloria († 1853), Don Pedro V (1853—1861) et Ludovico I (1861—1889). Anno adhuc 1862, severa epistola ad episcopos missa, Pius IX increpavit eorum animum mollem in repugnando potestati publicae. Tempore post Concilium Vaticanum, exoptatior fuit ratio ad S. Sedem. Anno 1877 patriarcha Ulisipponensis Romam adiit et anno 1881 nova descripta est dioe-

[1]) Anno 1901 erant Hispaniae incolae 18.250.000, quorum 50.000 non catholici.

cesium partitio, qua archiepiscopatus erecti sunt tres, Ulisippone, Eborae et Bragae, et episcopatus 9. Die 2 Febr. 1908, Don Carlos rex ejusque filius natu major impetu revolutionario interemti sunt. Filius natu minor, Manuel, patri successit, onus grave juvenilibus viribus suscipiens. Non enim desunt seditionum cupidi, qui perpetuo regiam dignitatem amovere machinantur [1]).

§ 168. Ecclesia in Francia.

Nettement, Histoire de la restauration, Paris 1860—1863, 3 vols. *Thureau Dangin*, Histoire de la monarchie de Juillet, Paris 1884—1892, 7 vols. *Idem*, L'Eglise et l'état sous la monarchie de Juillet, Paris 1890. *Pierre de la Gorce*, Histoire du second empire, 7e éd , Paris 1902 sqq., 7 vols. *Idem*, Histoire de la seconde république, Paris 1896, 2 vols. *Zevort*, Histoire de la troisième république, Paris 1896—1901, 4 vols. *A. Debidour*, L'église catholique et l'état sous la troisième république, Paris 1906—1910, Tom. I—II. *Bourgain*, L'église de France et l'état au XIX siècle, Paris 1901, 2 vols. *Baunard*, Un siècle de l'église de France (1800—1900), Paris 1901. *Lecanuet*, L'église de France sous la troisième république (1870—1878), Paris 1907. *A. Picard*, Le bilan d'un siècle 1801—1900, Tom. I, Paris 1906.

1⁰. Ludovico XVIII (1814—1824) ad regnum accedente, inchoata est, quae vocatur, **restauratio.** Animo in religionem vere pio is numquam fuit. Sufficere arbitrabatur externum Ecclesiae splendorem. Novum concordatum (1817), quo Napoleontis quum concordatum, tum articuli organici et Gallicani rescindebantur, inferre, ut pro lege valerent, non potuit, quod comitia repugnarunt [2]). Ludovicus tamen ab opere incepto non destitit, restituitque Ecclesiae, anno 1821, jus possidendi immobilia. Ipso hoc anno, episcopatus numero sunt aucti, ita ut paulatim essent archiepiscopatus 15, episcopatus 66. Etiam religiosis ut redirent et libere operarentur permisit. Numerosi fuerunt qui Ecclesiae jura defenderent. Quorum praeclariores sunt Joseph de Maistre († 1821) [3]), Chateaubriand († 1848) [4]),

---

[1]) Anno 1900 in Lusitania numerabantur incolae 5.428.659, quorum 500 protestantes, 200 Judaei.

[2]) *Feret*, Le concordat de 1817. Revue des quest. hist., Janvier 1902.

[3]) *Latreille*, Joseph de Maistre et la papauté, Paris 1906.

[4]) *Blennerhassett*, Chateaubriand, Mainz 1903.

de Bonald († 1840) Frayssinous († 1841), Lamennais[1]) etc. Iis, qui, liberius de rerum publicarum negotiis sentientes, scripta saeculi XVIII philosophica propagare studebant, opposuerunt catholici societatem ad pervulgandos libros bonos („l'union catholique pour la diffusion des bons livres"). At quieti non se dederunt novarum rerum studiosi. Quod quidem certamen multo concitatius actum est, regnante Carolo X (1824—1830). Coronari se fecit Rhemis quaesivitque praesidia a partibus seditiosis adversantibus. Quos tamen subigere non valuit. Post concertationis turbarumque annos tres, quibus multa acta sunt non solum principibus Borbonicis, sed etiam Ecclesiae nefasta[2]), tandem auferendo scribendi et scripta edendi libertatem, dimittendo comitia et conficiendo novam electionum legem, ansam dedit **revolutioni mense Julio.**

2⁰. Quae quidem fuit Ecclesiae hostilis regemque constituit, „gratia populi", Ludovicum Philippum[3]) (1830-1848), filium Philippi, qui cognominabatur *Egalité*. Noluerunt catholicismum esse religionem status, sed ut, ex concordato Napoleontis I, religionem catholicam diceretur profiteri multo major incolarum pars. Indigna multa acta sunt in aedibus sacris. S^ae^ Genovefae ecclesia profanum Pantheon facta est. Errores quoque plures exortae. Platel sacerdos studuit constituere *ecclesiam catholicam francicam*, alii *Templariorum* et *Saint-Simonistarum* societates. Quae tamen omnia successu vitaque caruerunt. Anno 1830, Lamennais, Lacordaire, Montalembert[4]) et Gerbet, sociati, instituerunt periodicum **L'Avenir,** cui tessera: *Deo et libertati*. Facundia et vi dicendi magna praediti, postulabant Ecclesiae libertatem, sed ita ut separaretur Ecclesia a statu; simulque, ut majorem Ecclesiae independentiam vindicarent, negarunt publica clericis subsidia esse augenda. Accesserunt opiniones traditionalisticae aliaeque erroneae Lamennais.

---

[1]) Stimm. a. M.-L., Bd. 54. *Mercier*, Lamennais 1895. *Ch. Bontard*, Lamennais, sa vie et ses doctrines, Paris 1908, 2 vols.

[2]) *Geoffroy de Grandmaison*, La Congrégation (1801—1880), Paris 1889 *Feret*, Les ordonnances de 1828, Revue des quest. hist., Avril 1904.

[3]) *Crétineau—Joly*, Histoire de Louis Philippe d'Orléans et de l'Orléanisme, Paris 1862—1863, 2 vols.

[4]) *Foisset*, Vie du R. P. Lacordaire, Paris 1870, 2 vols. *Lecanuet*, Montalembert, 2e éd., Paris 1902, 3 vols.

Quapropter, etsi virorum in Ecclesiam pietas scribendique eloquentia multos ad saniora sentienda inducebant, errores tamen eorum catholicos ad repugnandum excitarunt. Provocavit ad S. Sedem *L'Avenir*. Quo facto Papa, die 15 Augusto 1832, principia periodici damnavit. Scriptores omnes obsecuti sunt, praeter Lamennais, qui ab eo inde tempore in dies longius aberravit. Clades tamen haec et damnatio virorum, qui strenue rem catholicam defenderant et quasi catholicorum omnium primores habebantur, haud parum catholicarum partium vires debilitarunt. Vicisse videbatur impietas animosque in dies magis invasit. Non tamen animis ceciderunt catholici. Lacordaire, verba faciens in suggestu S. Mariae Parisiensis (1835), ad frequentissimum populum, et post eum de Ravignan[1]), ad spem meliorem erexerunt animos. Ozanam[2]) cum juvenibus aliquot instituit saluberrimas Conferentias S. Vincentii a Paulo. Montalembert catholice certabat in senatu (chambre des pairs). Interea, qui duces habebantur partium catholicarum, recesserunt a defendendis juribus regum, et episcopi cum reliquis clericis, suadente S. Sede, arctius adjunxerunt se partibus regis, revolutione mense Julio constituti.

Anno 1830 promissa, sed nondum statim concessa est instructionis juventutis libertas. Postulaverunt eam imprimis Montalembert et Falloux. Anno 1833 libera reddita est instructio inferior, reliqua manente sub gubernii moderatione. Quam temperationem impugnarunt praesertim Montalembert et Ludovicus Veuillot. Quibus, cum essent laici, initio episcopi suspicaces parum praebuerunt fidem, postea paulatim omnino incepta comprobantes. Contendebat Dupanloup in periodico suo *Ami de la religion*, Veuillot diurnis actis suis *Univers*. Montalembert condidit periodicum *Correspondant*. Universitates vero defendebant gubernii moderamen et, inde ab anno 1842, praesertim impetebant Jesuitas. Quapropter celeberrimum suum librum edidit de Ravignan: *de l'Existence et de l'Institut des Jésuites*. Quorum tamen collegia interdicta sunt. Haec vero multiplex plurium actio id effecit ut catholice opinandi agendique ardor, per universam Franciam, excitatus rursus et novatus sit.

---

[1]) *Ponlevoy*, Vie du Père de Ravignan, Paris 1880, 2 vols.
[2]) *Mgr. Ozanam*, Vie de Frédéric Ozanam, Paris 1882. *Fournier*, Ozanam Sa vie, ses œuvres, Paris 1906.

3⁰. Anno 1848 Ludovicum-Philippum amovit revolutio, sed in catholicam religionem sanctam observantiam adhibuit. Nulla ecclesia violata est, neque ulla specularia, ne in domibus Jesuitarum quidem, effracta sunt. Gaudens acceptum id retulit Pius IX Montalemberto et validae factioni catholicae[1]). Affre archiepiscopus in objecto vallo caesus est, in ipso ardoris sui conatu glande confectus[2]). Cavaignac, belli dux, compescuit turbas. Altera libera respublica proclamata est, praeside Napoleonte, Ludovici Bonaparte, regis Hollandiae, filio. Cui, clero se adjungenti, initio vel ipse Veuillot fidem habuit. Synodi provinciales habitae 1849—1850. Quo ultimo anno instructionem mediam cessit liberam Napoleon. Qui etiam, 2 Dec. 1852 factus imperator, Ecclesiae favit. Gallicanismus dilabebatur. Ordines religiosi varii multaeque congregationes in Francia consederunt. Episcopis major agendi libertas concessa est. Attamen catholicorum primores multi (Montalembert, Lacordaire, Pie cardinalis[3]) fidem imperatori magnam non habebant. Recte quidem. Etenim Ecclesiae adversari coepit, quum occidere eum temptasset Orsini (4 Jan. 1858). Pellectus ab astuto viro Cavour, bellum intulit Austriae (1859) et machinatus est insidias principatui Pontificio[4]). Praeterea, ut Cardinali Pie adversaretur, *appellationem ab abusu* iterum pro lege valere decrevit, molestias deinde movit societati S. Vincentii et religiosis, refragatusque est *Syllabo*. Multitudinem interea pervertebant scriptores impii, Renan *Vie de Jésus*, Eugène Sue, George Sand, Dumas aliique plurimi, et, quod fortasse pessimum fuit, scenae fabulae libidinis plenae. Praeibat pravo exemplo aula Versaliensis.

4⁰. Ambigua sua in administrandis rebus publicis agendi ratione Napoleon nec catholicis neque inimicis Ecclesiae satisfecit. Post cladem Sedanensem (2 Sept. 1870), imperium concidit. Meritas poenas luit Napoleon, exsul mortuus in Anglia (1873). Parisiis, a mense Martio ad Majum 1871, atroces fure-

---

[1]) *P. Thureau Dangin*, L'Eglise et l'état sous la monarchie de Juillet, Paris 1880, p. 449.

[2]) *Alazard*, Denis A. Affre, arch. de Paris, Paris 1905.

[3]) *Baunard*, Vie du Cardinal Pie, Paris 1888, 2 vols.

[4]) Vide supra § 166, n. 4.

bant turbae (la Commune), quibus Darboy archiepiscopus cum sacerdotibus 40 trucidati sunt. Initiis, libera **respublica tertia** (1871) Ecclesiae inimica non fuit [1]). Praeside Mac Mahon, catholicis facta facultas est erigendi universitates, gradusque scientiarum in iis conferendi (1879). At eo ipso anno, abdicante se praeside, mutata statim est gubernii mens, ac facultas erigendi universitates et gradus conferendi catholicis adempta. Die 29 Martio 1880, Jesuitae aliique ordines pulsi, praeter Carthusianos et Trappistas. Brevi post, semoti sunt ex exercitu sacerdotes (aumôniers), decretumque ut seminariorum alumni, nisi ante aetatis annum 26 essent sacerdotio initati, et ipsi sacerdotes, qui munere publico non fungerentur, in exercitu militarent (1887). Anno praecedente, subsidia clericorum jam erant deminuta, ordinum et congregationum socii e scholis ejecti, ex institutis publicis cruces sublatae, ac praescriptum ut instructione scholari pueri uterentur [2]); simul libri usui scholarum destinati, qui essent catholici, ejecti; demum 31 Majo 1884 divortium lege concessum. Persecutores praecipui fuerunt Gambetta, Julius Ferry et Paulus Bert.

Hortante Leone XIII, ut catholici rerum publicarum constitutioni acquiescerent, quo et ipsi in partem ferendarum legum vocari possent, aliquantisper satis quieta tempora fuerunt. At, actione Dreyfusana, multis turbis ferbuit Francia (1899—1906). Unde opportunitatem capientes, Waldeck-Rousseau cum reliquis administris, persequi Ecclesiam denuo inchoarunt. Lege lata 1 Julio 1901, magnam partem monasteria solvebantur [3]). Quam legem, qui successit administer, Combes security exsequendam curavit. Anno 1903 congregationibus, quae veniam, ut essent in Francia, a gubernio nondum acceperant, injunxit ut eam veniam peterent, dissolvendae ni id intra tres menses facerent. Multae exinde congregationes et scholae sublatae sunt. Anno 1904 jus docendi ablatum est iis ipsis congregationibus, quae veniam, ut essent, ab anterioribus gubernatoribus

---

[1]) *Lecanuet*, L'église de France sous la troisième république (1870—1878), pontificat de Pii IX, Paris 1907. Cf. Hist. Pol. Bl., 140, p. 278 sq. *Vic de Meaux*, Souvenirs politiques (1871—1877), Paris 1905.

[2]) *George Goyau*, L'école d'aujourdhui, Paris 1899.

[3]) Anno 1901 Francia numerabat incolas 38.900.000, quorum 36.100.000 catholicos.

petierant decretumque est, ut intra annos 10 solverentur. Ordines, caritatis operibus dediti, paulatim ex institutis caritatis et nosocomiis ejecti sunt, ut laicis darent locum. Cruces e tribunalibus sunt amotae. Separatio Ecclesiae a statu, praeparata a Combes (occasione capta, quum Loubet viseret Romam et Papa episcopos duos Romam acciret, ut se purgarent), administro Rouvier edicta est. Lege 9 Dec. 1905 rescissum est concordatum anni 1801[1]), subsidia cultui omni sublata, decretumque ut bona omnia mobilia et immobilia traderentur societatibus pro cultu instituendis (*associations cultuelles*), sub tutela legis. Insuper statutum est, ut, nisi societates eae intra annum informarentur, bona omnia ecclesiastica addicerentur civitatibus pagisque, ut magistratus inde pauperibus aliisque egentibus providerent. Aedes sacrae decernebantur esse reipublicae, sed certis conditionibus in usum dari posse societatibus istis, pro cultu informandis. Quam acerba fuerit ea injuria, Ecclesiae illata, luculenter patet, si haec decreta conferuntur cum concordato 1801. Congressi sunt episcopi, consilia collaturi, quid faciendum, rebus adeo angustis. Dein, 11 Febr. 1906, Pius X edidit encyclicam *Vehementer nos*, damnans separationem decretam, et 10 Augusto 1906 interdixit, ne formarentur istae societates, nisi certa lege plene et irrevocabiliter in tuto esset positum, Ecclesiam esse divinitus constitutam, Pontificis Romani et episcoporum esse jura immutabilia, praesertim in aedes sacras et bona Ecclesiae reliqua. Episcopis porro reliquit Pontifex ut indagarent an possent alio modo jura Ecclesiae tutare et cultus necessitatibus providere. Itaque hodie nullum est in Francia Ecclesiae catholicae jus; tota exlex est. Ab altera parte Gallicanismus interiit. Praeclaro exemplo, episcopi et clerici praebent se Ecclesiae et Romano Pontifici devotissimos, a quo solo, qui bono animo sunt, salutem sperari posse censent[2]).

---

[1]) Livre blanc du Saint-Siège sur la séparation de l'église et de l'état en France, Rome 1905.

[2]) L'épiscopat français depuis le concordat jusqu'à la séparation (1802—1905). Ouvrage publié sous la direction de la société bibliographique, avec le concours de 90 collaborateurs. Préface de Mgr. Baunard, Paris 1907. Archiv für Kirchenrecht, 1906, p. 195—252. Hist. Pol. Bl. Jg. 1900—1906. Revue des deux Mondes, Ann. 1900—1906. Etudes religieuses, 1900—1906, ubi, praeter chronicon totius persecutionis, inveniuntur passim elucubrationes solidae.

§ 169. Ecclesia catholica in Helvetia.

Siegwart—Müller, Der Kampf zwischen Recht und Gewalt, Altdorf—Zürich 1864—1868, 3 Bde. *Friedrich Hurter*, Die Befeindung der Kirche in der Schweitz seit 1831, Schaffhausen 1842. Hist. Pol. Blätter, XXXI Bd. *Rolfus—Sickinger*, Kirchengeschichtliches in chronologischer Reihenfolge, Mainz 1877—1882, 3 Bde. *Woeste*, Histoire du Culturkampf en Suisse, Bruxelles 1887. *A. Büchi*, Die katholische Kirche in der Schweiz, München 1902. Katholische Schweizerblätter, Jg. 1885, p. 27 sqq.

1º. Arma Francogallorum, anno 1798, mutarunt regimen aristocraticum **pagorum Helveticorum,** Genevam ad rempublicam Franciae adjungentes, et „rempublicam Helveticam indivisam" (*république Helvétique indivisible*) constituentes, sub protectione Franciae. Genevae, cultus catholicus instauratus est, sed, tum ibidem tum alibi, nonnullae ecclesiae expilatae et religiosi expulsi sunt. Ipse nuntius fugam capere compulsus est (1798). Lex mediationis (*l'acte de médiation*), 19 Febr. 1803, injuriam reparavit instituitque *foederationem*. Anno 1815, aliquousque consolidata sunt jura aequalia catholicorum et protestantium. Magna dein libertas in rebus cultus ordinandis pagis singulis relicta est. Deinceps nova descripta rerum ecclesiasticarum temperatio. Episcopatus sex erecti: Churae, Basileae, Sione, Fani St. Galli [1]), Lausannae-Genevae; Tessinone ad tempus manente sub ditione Com:. Nuntius Pontificius, Lucernae sedens, archiepiscopali munere fungebatur. Anno autem 1834, Badenses articuli, quibus Ecclesia reddebatur statui subjecta, novam moverunt persecutionem. Pagi multi expulerunt religiosos, donec Austria, intercedens, pacem restituit. Factio catholica vicerat Friburgi (1837), Lucernae (1841) et Valasii (1844). Hoc ipso autem anno, quum Lucernenses admisissent Jesuitas, factio incredulorum (*les radicaux*) impetus in territorium fecerunt et Josephum Leu consiliarium interfecerunt. Unde consecutum est foedus **Sonderbund** [2]), pagorum catholicorum. At, exorto bello, ingentem acceperunt cladem (1847). Anno 1848, Marilley, episcopus Lausannae-Genevensis, in litem incidit cum guberniis pagorum quinque, quibus constat ejus dioecesis.

---

[1]) *Dierauer*, Der Kanton St. Gallen in der Regenerationszeit (1831—1840), St. Gallen 1902.

[2]) *Crétineau-Joly*, Histoire du Sonderbund, Paris 1850, 2 vols.

Eo usque res deducta est, ut gubernia episcopum eligendum jusserint a suis allegatis. Quod cum literis, ad gregem suum datis, episcopus reprobasset, ejectus est in exsilium (1848—1856).

Peracto concilio Vaticano, gubernium Genevense ejecit congregationum socios, qui instructioni dabant operam eorumque scholas occlusit. Mermillod, *vicarius apostolicus* recentis vicariatus Genevensis, exsulare compulsus est, ejusque aedes sacrae traditae sunt veteribus catholicis (*vieux catholiques*). Catholici ipsi suos eligebant parochos, qui, quum renuerent illicita jurare, ejiciebantur, veteribus catholicis in eorum locum institutis (Hyacinthus Loyson). Basileae, anno 1870, seminarium sublatum est clericisque vetitum docere Papam esse infallibilem. Lachat episcopus censuras edixit in clericos, qui gubernio paruerant. Quare dejectus et expulsus est (1873). Anno proximo, post capitulum rescissum et bona ecclesiae in publicum addicta, Bernae gubernium ejecit parochos et in eorem locum substituit sacerdotes apostatas et veteres catholicos (1874). Anno 1876, exsilii haec decreta retractata sunt, sed Basileae non ita cito pax restituta. Anno 1884, quum Tessino[1]) separaretur a dioecesi Mediolanensi et Comensi, praefectus ei est *administrator apostolicus*. Ad quod munus gerendum elegit S. Sedes expulsum episcopum Basileensem, Lachat, quem non amplius recusavit gubernium. Genevae autem noluerunt admittere, nisi mortui Mermillod successorem (1891). Sunt in Helvetia catholici numero inferiores[2]), sed accrescunt nec spes deest fore ut meliora tempora videant.

---

[1]) *Peri*, La questione diocesana Ticenese, Ticino 1892.

[2]) Anno 1900 fuerunt in Helvetia incolae numero 3.327.336, quorum catholici 1.383.135.

§ 170. Ecclesia catholica in Germania.

Brück, Geschichte der kath. Kirche in Deutschland im 19 Jahrhundert, Mainz 1887—1905, 4 Bde. *Longner*, Beiträge zur Geschichte der oberrheinischen Kirchenprovinz, Tübingen 1863. *L. König*, Pius VII. Die Säcularisation und das Reichskonkordat, Innsbruck 1904. *G. Goyau*, L'Allemagne religieuse. Le catholicisme (1800—1848), Paris 1905, 2 vols. *Idem*, Les origines du Culturkampf allemand, Revue d. deux mondes, sér. 5, tom. 43—44. *J. Rinieri*, Il congresso di Vienna e la S. Sede (1813—1815), Roma 1904.

1⁰. Noluerunt, congressi Vindobonae, civitatum allegati pristino suo statu instaurare **Germaniam.** Frustra Consalvi conatus est id efficere. Nec successit, quod proposuerat Dalberg[1]) ejusque allegatus Wessenberg, eo fine ut unum concordatum iniretur pro universa Germania, essetque ecclesia nationalis, praeside patriarcha (Dalberg). Foederis unus solus articulus (XVI) tractat de rebus ecclesiasticis, omnibusque confessionibus christianis paria dat jura. Tamen vix quidquam Ecclesiae Germaniae magis necesse haberi poterat quam certa ordinationis hierarchicae temperatio. Fuit enim hoc tempore **tristissima Ecclesiae conditio.** Factis ruinis belli triginta annorum, vix inchoarat recipere vires, quum nefastum saeculum XVIII philosophia falsa et intemperantia animos perturbavit pervertitque. Multi deinde e praecipuis Germaniae episcopis indulgebant studiis curiae Romanae infensis. Insuper ex Napoleontis decretis plurimae dioeceses ditionis factae erant principum protestantium, et universe catholici opinionibus Josephisticis erant imbuti. Quare mirum minime fuit, Caesaropapistico more undique res tractari[2]). Decernebat status gubernium, an et quibus legibus Ecclesia admitteretur (*jus reformandi*). Statui tribuebatur non solum rerum omnium ecclesiasticarum custodia, sed etiam tutela (*jus advocatiae*). Maxime demum status cavebat pericula sibi, ut causabatur, ab Ecclesia imminentia (*jus cavendi*). Consequens fuit universa oppressionis ratio: jus inspiciendi res omnes, quibus dicebant posse abusus ecclesiasticos irrepere, synodos, religiones, monasteria, processiones, missiones, aliaque; postulabatur *Placet* pro omnibus scriptis Papae et episcoporum; vindicabant jus provocandi a

---

[1]) *Beaulieu-Marconnay*, Karl von Dalberg und seine Zeit, Weimar 1879, 2 Bde.

[2]) *P. Gams*, Geschichte der Kirche Christi im XIX Jahrh., Innsbruck 1853—1856, 3 Bde.

judicio ecclesiastico ad civile (*appellatio ab abusu*); demum exigebant jus inspiciendi administrationem bonorum ecclesiasticorum[1]). In Borussia pro lege fuit *jus regionale universum* (*Landrecht*) 1794, quo statui tribuebatur statuere dies festos, nominare episcopos, dare facultatem cogendi synodos, confirmare synodorum decreta, paroecias circumscribere etc. In Bavaria quoque princeps elector omni fere utebatur potestate ecclesiastica et, in distribuendis officiis, gratiam protestantibus faciebat. In territorio Badensi catholicus vir nullus muneri ampliori praefectus. Borussiae rex, etiam in regni partibus catholicis, multis protestantibus munera civilia deferebat jussitque milites catholicos interesse exercitiis cultus protestantium. Tristissimo etiam loco fuit *res matrimonialis*. In Bavaria et ducatu Badensi matrimonia catholicorum cum protestantibus, qui civile divortium fecerant, pro validis habebantur, licet sedes Romana reclamaret. Preces omnes dispensationum mittebantur per manus imperii civilis. *Matrimonia mixta*[2]), etiam quae non obtenta dispensatione, nec coram Ecclesiae ministro contrahebantur, ubique habebantur legitima. Qua fide instruerentur liberi, imperium civile definiebat. In nonnullis statibus, pro sexu sequebantur aut patrem aut matrem, in Nassavia et Borussia educabantur in patris fide[3]). Catholicorum autem puerorum instructioni valde male provisum. Scholis inferioribus saepissime praeerant ludi magistri protestantes, etiam in catholicorum partibus. In gymnasiis autem dabatur institutio mere civilis, ita ut instructio religiosa negligeretur, cujus insuper custodiam habebat gubernium civile. Ex universitatibus catholicis duodeviginti, nulla superfuit. Episcopi in nullam partem erant magisterii theologiae catholicae. Herbipoli statutum est ut Paulus, qui negabat Christum esse Deum, doceret theologiam, Schelling philosophiam. Ac quum studiosi nulli adessent, transformavit gubernium seminarium superius[4]).

2⁰. His tristissimis rerum angustiis, non potuit in multis Ger-

---

[1]) *Roskovany*, Monumenta catholica pro independentia potestatis eccl. ab imperio civili, Quinque-Eccles.-Nitriae 1847—1879, Tom. 1—13.

[2]) *Roskovany*, De matrimoniis mixtis, Quinque-Ecclesiis 1842.

[3]) Cf. *Brück*, Geschichte der kath. Kirche in Deutschland, Bd. I, p. 212—224.

[4]) *Kremer-Auenrode*, Aktenstücke zur Geschichte des Verhältnisses zwischen Staat und Kirche im 19 Jahrh., Leipzig 1873.

maniae partibus non desiderari ut fierent **concordata** [1]). Prima conventio facta est cum **Bavaria.** Subscripserunt Romae, die 5 Julio 1817, Consalvi et Bavariae orator, episcopus coadjutor Häffelin, et deinceps, nonnihil mutata, etiam Monachii rata est habita. Statutum ut dioeceses Augustana, Passaviensis et Ratisbonensis essent suffraganeae archiepiscopi Monachiensis-Freisingani, dioeceses autem Aichstadiensis, Herbipolitana et Spirensis pertinerent ad archiepiscopatum Bambergensem. Satis amplum traditum est principi jus eligendi, econtra valde exigua attributa sunt subsidia dioecesibus, seminariis et nonnullis monasteriis. Decretum insuper est ut Ecclesiae catholicae in tuto essent jura et privilegia omnia, quae ex Dei ordinatione et e legibus ecclesiasticis ei competunt. Haud magna mora, gubernium retractavit conventionem tulitque 1818 *edictum religionis*, quo, contra Ecclesiae commodum, concordatum mutatum est [2]).

Annis 1821—1827, iniit S. Sedes concordatum cum civitatibus (Wurtembergensi, Badensi, Hassia et Nassavia), quibus constabat **provincia ecclesiastica Rheni superioris.** Diu prius et laboriose actum est. Auctore et interprete Wessenberg, *declaratio* et *statutum organicum* descripta sunt. Prior declaratio oblata Papae, alterum statutum secreto retentum est, ut post erectos episcopatus pro lege publica proclamaretur. At quum Papa non annuisset declarationi, haec, retractata, facta est *instrumentum fundationis* et statutum novatum est in *pragmaticam ecclesiasticam* (*Fundationsinstrument*, *Kirchenpragmatik*). Quod ultimum, si acceptum esset, originem dedisset schismati. Anno 1821, inter partes convenit de episcopatibus [3]). Archiepiscopatus Friburgensis in territorio Badensi, episcopatus Rottenburgensis in Wurtenbergia, dein Fuldensis, Moguntinus et Limburgensis. Bona immobilia, quae essent episcopatuum dotatio, promissa, sed non data sunt. At nova intercessit difficultas de juranda *pragmatica ecclesiastica*. Tandem, anno 1827, res confecta, episcopi confirmati sunt [4]), concessumque est *Veto Hibernicum* [5]). Gubernia concesserunt ut essent Seminaria conformia decretis

---

[1]) *Nussi*, Conventiones de rebus ecclesiasticis, Moguntiae 1870. *Münch*, Vollständige Sammlung aller ältern und neuern Konkordate, Leipzig 1830, 2 Bde.

[2]) *Lerchenfeld*, Zur Geschichte des Bayerischen Konkordates, Nördlingen 1883.

[3]) Constitut. *Provida solersque*, 16 Augusto 1821.

[4]) Constitut. *Ad Dominici gregis custodiam*, 11 Aprili 1827.

[5]) Id est jus removendi candidatos, tribus exceptis.

Tridentinis, ut liberum esset commercium cum S. Sede et alia. Quae tamen postea salva semper non fuerunt.

Hannoverani erecti sunt, anno 1824, episcopatus duo: Hildeshemensis et Osnabrugensis. Hic etiam concessit S. Sedes *Veto Hibernicum*. Saxoniae suus jam fuit Vicariatus (1816). Vicariatus autem Septemtrionis complectebatur Hamburgum, Bremam, Lubecam, Megalopolim (Meckelenburg), Daniam et Holsteniam. Primus tamen Vicarius, Laurent, admissus non est[1]).

Cum **Borussia** iniit concordatum S. Sedes anno 1821 [2]). Quo erecti sunt archiepiscopatus Coloniensis cum episcopatibus Trevirensi, Monasteriensi et Paderbornensi, archiepiscopatus Posen-Gnesenus cum episcopatu Culmiensi. Ermelandensis et Vratislavienisis (Breslau) manserunt episcopatus exempti. Non tamen unquam concordatum fuit satis accurate exsecutioni traditum. Etiam his dotatio promissa, non data est. Loco bonorum immobilium promissorum, solvebantur subsidia ex aerario publico, unde consequens fuit imprimis ut, minuto auri argentique pretio, etiam subsidia minuerentur, dein ut Ecclesia esset quasi imperii civilis ministra [3]).

3°. Anno circiter 1830, obortum est acre de **matrimoniis mixtis** certamen [4]), quo valde sunt, tum in Borussia tum alibi, hominum animi turbati. Extenderat, anno 1825, Berolinense gubernium suam de matrimoniis mixtis ordinationem (1803) ad **Westphaliam et provinciam Rhenanam,** declaravitque obligationem de educandis liberis, qua se obstrinxerant inde ab anno 1803, qui matrimonium inierant, non amplius esse exigendam. Per se patet parochos, nonobstante hac declaratione, perrexisse postulare a nupturientibus ut promitterent, se omnes natos catholice educaturos. Monuit episcopos gubernium, qui petierunt ut res dirimeretur a Papa. Quapropter misit Papa breve, 25 Martio 1830 [5]), ad episcopos Rhenanos, expli-

---

[1]) *Möller* (soror Gertrudis Trevirensis) Leben und Briefe von J. Th. Laurent, Titularbischof von Chersones, Apost. Vikar von Hamburg und Luxemburg, Trier 1887, 3 Bde.

[2]) Constitut. *De salute animarum*, 14 Julii 1821.

[3]) Cf. Hist. Pol. Bl., Bd. 63; der Katholik, Bd. 47 (1833), p. 310 sqq.

[4]) *Maurenbrecher*, Die preussische Kirchenpolitik und der Kölner Kirchenstreit, Stuttgart 1881. Kurze und unparteiische Beschreibung der Bischofsangelegenheiten in Köln von einem Sachsen aus gemischter Ehe, Leipzig 1838.

[5]) Constit. *Litteris altero abhinc anno*, 25 Martio 1830.

cans quae canonice requirantur pro matrimoniis mixtis. Archiepiscopus Coloniensis, von Spiegel comes, valde animo timidus, *secretam conventionem* iniit cum gubernio, ut breve ad mentem gubernii interpretaretur, ac Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem episcopos ad idem opinandum induxit. Non fuit tam uber ejus conventionis fructus. Etenim multo plures parochi, contra mentem episcopi, rectum tuebantur brevis sensum. Inde acris animorum commotio. Anno 1836, sedem Coloniensem occupavit Clemens Augustus von Droste-Vischering, qui tanta fuit fortitudine et obedientia, quanta von Spiegel inobedientia fuerat et remissione. Cum Hommer, episcopo Spirensi, convenerat von Spiegel: assistentiam parochi passivam, eo quod nimis esset odiosa, adhibendam tum solum esse, quum catholicus cum contemptu formali Ecclesiae matrimonium iniret; parocho, ante matrimonium, non licere inquirere, qua religione parentes essent instructuri natos; confessario licitum non esse, exigere ut catholice educarentur nati, nec negare absolutionem, si promittere nollent. Statim Clemens Augustus praescripsit parochis ut in omni matrimonio mixto exigerent, tanquam conditionem sine qua non, ut catholica religione imbuerentur infantes. Parochi paruerunt. Opposuit se gubernium exegitque, 17 Septembri 1837, a Clemente Augusto ut staret decretis *conventionis secretae* 1834. Qui quum jussa facere nollet, neque, pro mandato gubernii, officio se abdicaret, die 20 Nov. 1837, Coloniae comprehensus et custodiae datus est in castello Mundae. Jam 10 Dec. reclamavit de illa vi Gregorius XVI *Allocutione*[1]), cujus exemplar ad aulas omnes, etiam ad Borussiacam, missum est. Molestum id fuit gubernio Berolinensi, quod conatum est suam agendi rationem apud reliqua gubernia defendere[2]). Quare S. Sedes in publicum tradidit acta omnia, catholicisque guberniis persuasit jure et recte se egisse[3]). Multa in utramque partem scripta sunt edita. Plurimum animos movit

---

[1]) Cf. Tübing. Quartalschr., Jg. XIX, p. 195 sqq.

[2]) Darlegung des Verfahrens der preussischen Regierung gegen den Erzb. v. Köln, Berlin 1837.

[3]) Esposizione dei fatti documentata su quanto ha proceduto e seguito la deportazione di Monsignor Droste, Arcivescovo di Colonia (Germanice: Denkschrift des h. Stuhles etc., Augsburg 1838).

Athanasius[1]), auctore Josepho von Görres, qui perspicacia singulari, Clementem Augustum omni culpa vacare demonstravit. Monasteriensis et Paderbornensis episcopi ad sententiam archiepiscopi transierunt, capitulum autem Coloniense gubernio servire perrexit. Cladem vero sibi illatam, gubernium negare non potuit.

Provinciae orientales[2]) autem, expergefactae per breve Gregorii XVI et litem Coloniensem, et ipsae recesserunt a praxi, quam gubernium anno 1803 imposuerat. Martinus von Dunin, archiepiscopus Posen-Gnesensis, et Culmiensis et Ermelandensis episcopi mandatis gubernii parere renuerunt. Scripserunt epistolam ad clerum. et, excommunicationis poena proposita, vetuerunt quemquam adesse matrimonio mixto, nisi facta praevia promissione, liberos fore catholice educandos. Dunin archiepiscopus semotus et menses sex castello inclusus est. Reclamavit iterum S. Sedes defenditque episcopos[3]). Paulatim agnovit rex se errasse. Cujus filius Fredericus Gulielmus IV captivum von Dunin e custodia emisit et Clementi Augusto concessit ut haberet Joannem von Geissel[4]) coadjutorem, cum jure successionis. Literis pastoralibus eum introduxit Clemens Augustus, qui ipse, Romam profectus, summo cum honore receptus est. Cardinalatum etiam ut acceptaret efflagitanter rogatus, constans respuit, et redux vixit Monasterii († 19 Oct. 1845)[5]).

In **Bavaria** quoque oborta concertatio est, quum peteret princeps elector, ut etiam in illicitis matrimoniis mixtis proclamationes fierent et dimissoriales darentur. Episcoporum remissa agendi ratio parochis cuncta reliquit integra. Unde brevi praxis valde varia est oborta (1819—1825). Tandem inter ipsos episcopos discidium natum. Alteris (Monachensi, Ratisbonensi, Passaviensi) Ecclesiae jura propugnantibus, alteri (Herbipolitanus, Spirensis, Bambergensis, Augustanus et Aichstadiensis) nimia

---

[1]) Regensburg 1838. Intra annum quater editus.

[2]) *Franz*, Die gemischten Ehen in Schlesien, Breslau 1878.

[3]) Tüb. Quartalschrift, Bd. 20, p. 720 sqq.

[4]) *Pfülf* S. J.. Cardinal von Geissel. Aus seinem handschriftlichen Nachlass geschildert, Freiburg 1895–1896, 2 Bde.

[5]) *Clément August de Droste-Vischering*, De la paix entre l'église et les états, suivie de quelques remarques sur l'exposé de Berlin, Trad. de l'Allemand Louvain 1843.

gubernio cedebant. Epistola autem Apostolica 27 Maji 1832 ad pacis et conscientiae unitatem eos reduxit. Concessis anno 1834 tandem 1838 gubernium assentitum est.

4⁰. In aliis quoque Germaniae partibus, vel in ipsa Austria, horum certaminum causa, difficultates sunt motae. Sed molestias omnes superans, Ecclesia majorem in agendo libertatem sibi comparavit. Quod tamen non sine contentione peractum est. Etenim praeter certamina de matrimoniis mixtis **aliae difficultates** multae natae sunt. Ut libertatem Ecclesiae vindicarent, praeside archiepiscopo von Geissel[1]), anno 1848, libertati propitio, episcopi Germani congressi sunt Herbipoli[2]). Quo facto, a guberniis petierunt ut plena haec agendi libertas concederetur. Cujus quidem voti plerumque non fuerunt statim compotes facti. At quum praelati re et facto libere suis juribus uterentur, atque ideo in multis locis nascerentur molestiae, ad sanitatem reversa sunt gubernia. Conventiones paulatim inierunt: **Hassia-Darmstadium** (1854), **Wurtembergia** (1857), **Baden** (1859) et **Nassavia** (1861). Nec tamen postea difficultatibus cum guberniis vacuae res fuerunt (v. Ketteler[3]) et Herman v. Vicari). **Bavariae**[4]) principes universe Ecclesiae favebant. At de obsequiis funebribus Carolinae reginae, quae protestantismo adhaeserat, excitatum certamen est (1841), diuturnae discordiae origo. Moliente Lola Montez, cedere debuit Abel administer, et Ludovicus I (1825—1848), a liberalismi fautoribus protrusus, nonnullis decretis, Ecclesiae nocivis, subscripsit. In **Austria** quoque, inde ab anno 1848, libertas amplior concessa est. Franciscus Josephus rescidit *Placet* (1850) et iniit, anno 1855, concordatum cum S. Sede. Quod tamen, post annos 13, anno 1870 renuntiavit gubernium, causans post definitam Papae infallibilitatem, aliam jam esse gubernii et S. Sedis rationem[5]).

---

[1]) *Dumont*, Schriften und Reden von Johan von Geissel, Köln 1869—1870, 3 Bde.

[2]) *Sauze*, Pour la réorganisation catholique; l'assemblée épiscopale de Wurtzbourg. Préface de M. G. Goyau, Paris 1897.

[3]) *G. Goyau*, Ketteler, Paris 1908.

[4]) *Strodl*, Kirche und Staat in Bayern unter dem minister Abel und seinen Nachfolgern, Schaffhausen 1849.

[5]) Anno 1900, numerabantur in Austria incolae 26.500.000, quorum catholici 20.661.000; in Hungaria 19.500.000, quorum catholici 10.179.05.

5°. Qua sola indiget Ecclesia libertate ut vires vitamque suam exerat in salutem populi christiani, ea usque ad certamen culturae **(Kulturkampf)**[1]) non quidem perfecta, sed sufficiens fuit. Inde ab anno 1848, in Germania catholici in societates varias coierunt. Hoc ipso anno, Lennig canonicus instituit *Piusverein*, ad libertatem Ecclesiae vindicandam promovendamque. Haud mora, multae hujusmodi societates enatae floruerunt et, inde ab anno 1858, in variis Germaniae et Austriae civitatibus quotannis congredi solebant[2]). Inde ab anno 1870, solemni celebritate eminuerunt annui catholicorum Germanorum congressus (*Katholikentage*). Ipso hoc anno, definita a Vaticano Papae infallibilitate, catholicae Ecclesiae inimici ad summam irae improbitatem devenerant. Quare catholicis opus fuit ut arma pararent. Qui Borussiae comitiis (*Landtag*) intererant membra catholici, die 13 Decembri 1870 conjunxerunt se in factionem (*Fraktion*), cui, suadentibus Savigny et Augusto Reichensperger, dederunt nomen **Centrum**[3]).

Duces praecipui fuerunt Windhorst[4]), von Mallinckrodt, Augustus Reichensperger ejusque frater Petrus Reichensperger. Itaque stabant armati catholici, ad defendendam Ecclesiam parati. Nec longa pugnae mora fuit. Novati, 18 Januario 1871, imperii Germanici quasi caput fuit cancellarius imperii, **Otto von Bismarck.** A puero imbutus opinionibus pristinis, infinitam esse civitatis civilis auctoritatem, spem sibi fecerat fieri posse ut, auxiliantibus liberalismi fautoribus, protestantibus et veteribus catholicis, Ecclesiam catholicam Germanam penitus imperio civili subjiceret. Causam invenerunt dogma infallibilitatis Pontificiae, quod pro civitate civili periculum imminens esse dicebant. Primum in alloquio ad

---

[1]) *H. Brück*, Geschichte der kath. Kirche in Deutschland, IV Bd., I, Mainz 1901. *Majunke*, Geschichte des Kulturkampfes in Preussen-Deutschland, Paderborn 1886. *Schulte*, Geschichte des Kulturkampfes in Preussen, Essen 1882. *Pfülf*, Hermann von Mallinckrodt, 2e Aufl., Freiburg 1901. *Ludwig Pastor*, August Reichensperger, 1808—1895. Sein Leben und sein Wirken auf dem Gebiet der Politik, der Kunst und der Wissenschaft, Freiburg 1899, 3 Bde. *G. Goyau*, L'Allemagne religieuse. Le Catholicisme. T. III—IV, Paris 1909.

[2]) *Marx*, Generalstatistik der katholischen Vereine Deutschlands, Trier 1871.

[3]) *Martin Spahn*, Das Deutsche Zentrum, Mainz und München s. a..

[4]) *Hüsgen*, Ludwig Windhorst, Köln 1907.

imperatorem, misso a comitiis imperii (Reichstag), acri sermone descripta est ratio non interveniendi in causa erepti Papae principatus Pontificii. Dein articuli 15 et 18 primae legis Borussiacae, qui tutabantur catholicorum cultus libertatem, inserti non sunt primae legi imperii. In Borussia, 8 Julio 1871 sublata est, quae instituta erat anno 1841, pars catholica in ministerio pro cultu. Causae, cur id factum esset, enumerabantur imprimis *Syllabus* et infallibilitas. Die 11 Martio, lata est lex, qua scholae *omnes* collocabantur sub custodia gubernii civilis.

Interea, anno 1871, **imperii leges** duae latae erant: *altera*, quae vocata est lex de suggestu (*Kanzelparagraph* vel *Maulkorbgesetz*), quae poenas statuebat in clericos, qui in suggestu agerent de negotiis ad rempublicam spectantibus; *altera*, quae dicta est lex de Jesuitis, qua Jesuitae et ordines omnes cum iis aliqua propinquitate cognati (Redemptoristae, Lazaristae, congregatio S. Spiritus et sorores SS. Cordis) imperio expulsi sunt. Ut ostenderet, id non sine gravissima causa esse factum, misit Bismarck, die 14 Majo 1872, literas ad guberniorum omnium allegatos, scripsitque rem esse lubricam, definita infallibilitate, Papae auctoritatem agnoscere, eo quod episcopi nihil aliud praeter ejus instrumenta esse possent. De quibus omnibus reclamavit Pius IX, die 24 Junio 1872, allocutione sua ad societatem legentium Germanorum (*Leseverein*). Episcopi quoque congressi die 20 Sept. reclamarunt. Frustra.

Anno demum 1873 vera incepit persecutio. Quam Dr. Virchow (17 Jan. 1873) appellavit *Kulturkampf*. Luctaminis causam nominavit Bismarck: *potentem factionem Centri;* von Roon: *infallibilitatem;* cultuum administer, Dr. Falck, Bismarcki praecipuus adjutor: *rerum ecclesiasticarum, inde ab anno* 1848, *pessimam conditionem*. Vera autem causa fuit omnium factionum odium Ecclesiae. Die 4 Aprili 1873 decretum est, ut retractaretur jus ecclesiasticum imperii. Latae deinde sunt nefastae **leges Maji** (Maigesetze), 11—14 Majo 1873[1]). Quarum summa haec:

---

[1]) *Siegfried*, Aktenstücke den preussischen Kulturkampf betreffend, Freiburg 1882. *Rintelen*, Die kirchenpolitischen Gesetze Deutschlands, Paderborn-Münster 1887.

Si quis clericus non studuerit annos tres in aliqua Universitate Germaniae, et non fuerit examinatus a magistratu civili de philosophia, historia et literatura Germaniae, ejusque nomen et officium non fuerit relatum ad provinciae praefectum, invalide muneri praeponitur (11 Majo).

Soli superiores ecclesiastici Germani valide clericos poenis afficere possunt. Integrum tamen clerico est provocare ad judicium regium pro negotiis ecclesiasticis, quod in hunc finem constituitur. Ab hoc judicio provocari non potest (12 Majo).

Superiores ecclesiastici solis poenis spiritualibus punire possunt, excommunicando et adimendo jura et bona spiritualia. Vetat lex publice infligi excommunicationem aut inhabilitatem cum quis usus fuerit juribus publicis aut paruerit legibus civilibus (13 Majo).

Quisquis coram judice loci, in quo habitat, declarat se egredi e societate ecclesiastica, hoc ipso, omni onere ecclesiastico levatur (14 Majo).

Episcoporum libellus supplex, oblatus ante legem latam, rem non praevertit. Ad epistolam, manu sua scriptam a Pio IX, respondit Gulielmus I, se episcopos seditiosos et catholicos hostes aestimare. Quo facto, episcopi ministerio imperii declararunt se non posse harum legum exsecutioni collaborare. Fortiter quoque decertarunt *Centri* duces: „numquam his legibus parebimus" (Hermanus von Mallinckrodt et Schorlemer-Alst). „Passive resistere debemus; id volumus et faciemus" (Windhorst). Episcopi sua agere perrexerunt, quasi non essent leges latae. Damnabantur episcopi et sacerdotes, in dies plures. At, electionibus habitis 12 Novembri 1873, *Centri* vires auctae sunt.

Die 4 Majo 1874 nova lata est arduae persecutionis lex. Decretum enim est, ut administrare dioeceses vacantes nemo posset, qui non jurasset leges Majas. Quodsi capitulum agere ex hac lege renueret, dioecesis administranda tradebatur delectis a gubernio viris. Die 22 Aprili 1875 lata est lex, cui nomen *Sperrgesetz*, qua sublata sunt subsidia omnia, sublevandis quibuscumque negotiis catholicis concessa. Die 13 Majo 1875, lege finibus expulsi sunt religiosi omnes, exceptis qui aegrotis ministrarent, eorumque bona potestati civili tradita administranda. Die 20 Junio 1875 decretum est, ut de bonis ecclesiasticis sola potestas civilis decerneret, qua sententia omnis

controversia dirimeretur. Die 4 Julio 1875 plures aedes sacrae, catholicis ereptae, in usum traditae sunt veteribus catholicis.

Vacabant paulatim episcopatus 9: episcopi 3 defuncti, sede semoti 6, ad vincula damnati 5. Parochiae fere 1000 parochis destitutae, sacerdotes amplius 2000 pecunia multati aut in custodiam traditi. Licet, patienter sic resistentibus catholicis, gubernium demum inops consilii esset, atque in rebus multis conniventia uteretur, licet insuper fremere inchoarent ipsae partes protestantium, tamen agi posse de retractandis legibus negabant (*nicht discutirbar*). Defuncto autem, 7 Febr. 1878, Pio IX succedens, Leo XIII nuntium suae electionis misit ad imperatorem, dolens de angustiis. Imperii haeres, ad tempus res publicas administrans, reconciliandis rebus inclinabatur. Stupentibus cunctis, Bismarck tum agere coepit cum Masella, nuntio Pontificio Monachii. Die 14 Octobri 1879, cessit munere suo Falck tradiditque cultuum ministerium Puttkammer. Autumno 1879, Bismarck cum Jacobini, nuntio Vindobonensi, congressus est Gastenii atque ita suum ingressus est iter Canossense. Novellis tribus legibus (1880, 1882 et 1883) instauratum est episcopatuum regimen. Ultimo loco expletae sunt sedes Coloniensis (1885) et Posnaniensis (1886). Jam 1882 nuntiatura ad S. Sedem redintegrata est. Anno 1886 et 1887, novellis duabus fere rescissae omnino leges Maji. Sola obligatio dandi nomen (*Anzeigepflicht*) servata est. Demum Gulielmo II, anno 1890, theologiae studiosos militia, tempore pacis, levante, iter Canossense confectum est. Lex adversus Jesuitas partim rescissa demum est, inchoato saeculo XX. Bismarck autem, verus legum auctor, mercedem dignam jam receperat. Ab imperatoris familiaritate semotus atque anno 1890 cedere coactus, ad mortem usque (1898) vixit in villa Friedrichsruh[1]). Qui ei successit, comes von Bülow, gubernavit cum *Centro* usque ad 1906, quo anno constituit pactum inter conservatismi et liberalismi fautores[2]).

---

[1]) De his omnibus conferri etiam potest: Denkwürdigkeiten des Fürsten Chlodwig zu Hohenlohe-Schillingfürst, im Auftrage des Prinzen Alexander zu Hohenlohe-Schillingfürst, herausgegeben von Friedrich Curtius, Stuttgart und Leipzig 1907, 2 Bde.

[2]) Anno 1900 imperium Germanum numerabat incolas 56.367.178, quorum catholici 20.321.441.

§ 171. Ecclesia catholica in Neerlandia.

P. Albers S. J., Geschiedenis van het herstel der Hiërarchie in de Nederlanden, Nijmegen 1903—1904, 2 Dl. *W. J. F. Nuijens*, Geschiedenis van het Nederlandsche volk van 1815 tot op onze dagen, Amsterdam 1883 sqq. 4 Dl. *De Gerlache*, Histoire du Royaume des Pays-Bas, (1814—1830), Bruxelles 1859, 3 vols. *Ch. Terlinden*, Guillaume I, Roi des Pays-Bas et l'église catholique en Belgique (1814—1830), Paris 1906, 2 vols.

1⁰. Nefasto valde consilio, congressa Vindobonae gubernia **Hollandiam** cum **Belgio** conjunxerunt. Populis, qui indole, religione studiisque erant diversi, praefectus est G u l i e l m u s I rex, e gente Arausicana. Infelicissime accidit ut novus rex consiliis uteretur nonnullorum catholicorum Belgicorum, qui fide carebant, et quorumdam fanaticorum Calvini asseclarum Hollandicorum. Hi enim omnes idem spectabant, ut abolerent catholicum cultum. Jam lex fundamentalis, anno 1815, catholicae Ecclesiae adversa fuit. In Hollandia universe acceptata, in Belgio contra movit animos ad refragandum. Episcopi Belgici, libello supplice ad regem dato, conquesti sunt declaraıuntque legem fundamentalem esse Ecclesiae menti adversam et repugnantem decretis concilii Tridentini. Tamen est Belgis imposita. Quod quidem adeo est inopportune factum, ut vix alio modo facilius Belgium ab Hollandia separavissent. Qui Romae erat Neerlandiae allegatus, conatus est perficere ut admitteretur Ecclesiae Neerlandicae ordinatio, quae catholice probari non poterat. Interea populum Belgicum decretis tyrannicis irritabant. Constituebantur scholarum superiorum et mediarum magistri fere unice gubernii asseclae. Ordinibus religiosis prohibitum admittere novitios; societates catholicae solutae; episcopi et presbyteri, Papae obsequentes, difficultatibus et molestiis obruti sunt. Anno 1823, petente G u l i e l m o I, Hagam Comitis venit allegatus Pontificius N a s a l l i, concordati faciendi gratia. At ministri putabant, „id praesertim in emolumentum Papae et cleri futurum", ac malebant gubernare per vim potius quam per benignitatem. Placuit iis ferre „legem, quae clerum compelleret, poena custodiae proposita". Annis 1815—1830 certa consuetudo fuit, in conferendis muneribus, pro re quum civili tum militari, postponendi catholicos [1]). Annis 1823—1826, of-

[1]) Cf. *P. Albers* l. c., I, p. 284.

fensi gravissime catholici sunt sublatis seminariis, et instituto nefasto isto *collegio philosophico*, quod fuit quasi *seminarium generale*, totum sub regimine gubernii, in doctrina dubium, et ad informandum debito modo clerum prorsus ineptum. Anno 1826, conatus est Gulielmus I cum administro van Maanen ordinare res catholici cultus (*organisatie op het R. K. Kerkgenootschap*). At schismatica haec ordinatio non successit[1]). Tandem de Celles comes missus est Romam, descripturus concordatum, cujus necessitas undique sentiebatur. Licet gravissime oppugnaretur, tamen intra sex menses rem confecit (1827). Patuit hoc loco praesertim, qua bona fuerit voluntate Gulielmus I. Summa haec fuit: concordatum anni 1801, initum pro partibus meridionalibus, declarabatur etiam valere pro septemtrione. Singulis dioecesibus suum concedebatur capitulum et seminarium. Sedes Mechliniensis statuebatur metropolitana, cum suffraganeis Leodiensi, Namurcensi, Tornacensi, Gandavensi, Brugensi, Amstelodamensi et Silvaducensi. At serum fuit. Dolendum sane. Sagacissimus vir, Capaccini internuntius in agendo interceptus, et ordinatio septentrionis impedita est revolutione 1830[2]).

2⁰. **Belgio,** separato ab Hollandia, datus est rex Leopoldus I (1831—1865), e Saxonia-Coburgo. Lex fundamentalis, anno 1831, in tuto posuit libertatem cultus et instructionis et jus ineundi societates. Exserere vires et novo vigore excrescere potuit vita catholica. Condiderunt episcopi plura collegia et, prae ceteris, universitatem Lovaniensem (1835), cujus innumera sunt fidei et scientiae merita. Erecta pro ludimagistris seminaria eo spectabant, ut emendatior et perfectior daretur instructio in scholis inferioribus. Has etiam multas sibi susceperunt religiosae congregationes. Jesuitarum ordo quoque paulatim succrevit et plura instituit in Belgio collegia. Universe vita religiosa valde effloruit. Non tamen exstincta est factio fautorum liberalismi. Pridem cum his se conjunxerant catholici, ut Hollandos expellere possent. Postquam sui juris facti sunt, diuturna amicitia esse non potuit. Econtra facti sunt adversarii, acriter invicem impugnantes. A partibus catholicis steterunt van Bommel episcopus, Sterckx cardinalis, Malou episcopus, de Ram primus

---

[1]) ibd. I, 87 sqq. et Bijlage IV, p. 487 sqq.
[2]) ibd. I, p. 146 sqq. et Bijlage XXIII, p. 534 sqq.

rector universitatis Lovaniensis. Liberalismi fautores servarunt opiniones et agendi modum, quo de Potter utebatur; multa mala perfecerunt; numero viribusque aucti, saepius rerum publicarum potiti sunt. Quod ut factum est, statim instituerunt scholas, quae neutrius essent partis, et nuntium Roma avocaverunt (1880). In quibus rerum angustiis catholici Belgici animo magno et munificentia ingenti usi sunt. Suis sumptibus ubique instituerunt scholas catholicas, ita ut scholae publicae fere vacuae discipulis manserint[1]). Liberalismi sectatorum ferocia multitudinem sibi infensam reddidit usque eo, ut anno 1884, factis electionibus, „geuzi" sedibus gubernii dejecti sint, nec potuerint usque ad nostra tempora eas iterum occupare. Leges Ecclesiae alienas, quantum necesse fuit, abrogarunt gubernatores catholici, regnumque ad magnam prosperitatem evexerunt. Sunt tamen inter catholicos adhuc multi, nimium opinionibus falsi liberalismi imbuti, qui, desidia et defectu spiritus fidei, magno impedimento sunt, quominus ulterius vita catholica efflorescat[2]).

3⁰. In separata a Belgio **Hollandia,** spes obtinendae certae ordinationis ecclesiasticae fere omnis evanuerat. Vivebant catholici oppressi a gubernio protestantium, quasi contempti in domo paterna. Nec repugnabant, trecentos jam annos eadem passi. Anno 1840, Gulielmo II facto rege, spes revixit. Capaccini, qui annis 1828—1830 de negotio ecclesiastico tractaverat, iterum Hagam Comitis venit 1841. At vix pedem posuerat internuntius in Hollandia, quum, vehementer reclamantibus protestantibus, regis animum nimius timor occupavit. Mansit missio Hollandiae demandata curae archipresbyterorum. In Brabantia septemtrionali vicariatus apostolici instituti sunt Silvae-Ducis et Bredae. In Limburgia, jam uno abhinc anno, res erant eodem modo ordinatae. Libertatis autem desideria, anno 1848, undique concitata, etiam

---

[1]) *Matthieu*, Enseignement primaire en Belgique, Compte rendu du III congrès scientifique des catholiques. Sciences hist. Bruxelles 1895, p. 457 sqq. et praesertim *Pierre Verhaegen*, La lutte scolaire en Belgique, Gand 1906. *Ch. Woeste*, Echos des luttes contemporaines, 2 vols., Bruxelles 1906.

[2]) Confer insuper *Sylvain Balau*, Soixante dix ans d'histoire contemporaine de Belgique (1815—1884), 4e éd., Louvain 1890. Hodie Belgium numerat incolas fere 7.000.000, qui omnes catholici sunt, demptis fere 20.000 protestantium et Judaeorum.

in Hollandia protestantes ad mitiora sentienda propulerunt. Anno 1847, *Placet* e legibus expunctum est. Ipso hoc anno laici nobiliores libellum supplicem miserunt ad Papam, petentes ut hierarchia instauraretur. Quos secuti sunt plures alii, etiam vicarii apostolici, et comitiorum membra (1849—1851). Tandem, 4 Martio 1853, edidit Pius IX breve *Ex qua die arcano*, redintegrans hierarchiam ecclesiasticam: archiepiscopatum Ultrajectinum cum suffraganeis Harlemensi, Silvaducensi, Bredano et Ruraemundensi. Quo facto, statim cedere compulsus est administer Thorbecke, orta feroci protestantium commotione (Aprilbeweging). Catholici pacate dum procella transiret exspectarunt et, quae ordinata fuerant, unum post alterum exsecuti sunt. Quasi ultionis gratia, lata est lex de cultibus, cujus summa haec fuit, quod episcopis non licere edicebatur sedem suam publice figere Ultrajecti et Harlemi. Postea tamen etiam haec rescissa sunt (1868—1872). Interea parochiae descriptae, capitula instituta. Anno 1865, Silvae Ducis coacta est synodus provincialis, cui subsecutae sunt, anno 1867, in singulis dioecesibus synodi dioecesanae. Statutum tamen ut, loco synodi provincialis, singulis annis episcopi congrederentur, utque, loco synodi dioecesanae, conventus praesynodalis haberetur. Anno 1857, Hollandiae impositae sunt scholae neutrae. Unde orta lucta de scholis catholicis. Die 22 Julio 1868, episcopi ediderunt litteras ad catholicos de instructione ordinanda. Excitati ad fervorem, catholici scholas multas condiderunt, innumeras aedificarunt aedes sacras. Quibus omnibus manifestum est, Ecclesiam in Hollandia laetissima incrementa cepisse. Anno 1889 publica subsidia concessa sunt scholis inferioribus, anno 1905 etiam superioribus. Nec monasteria defuerunt. Eximia opera effecerunt, tum in re scholari tum in officiis aliis caritatis. Scientia etiam ecclesiastica praeclare effloruit, quum apud clerum saecularem tum apud regularem [1]).

Luciburgio, usque ad obitum Gulielmi III cum Hollandia juncto, datus est anno 1841 vicarius apostolicus, qui tamen 1847 aufugere debuit. Anno 1870 facta est sedes episcopalis.

---

[1]) Anno 1902 computabantur in Hollandia incolae 5.347.182, quorum catholici 1.790.000.

§ 172. Ecclesia catholica in Anglia, Hibernia et Scotia.

J. Blötzer, Die Katholikenemancipation in Grossbrittanien und Irland, Freiburg 1905. *W. Church*, The Oxford movement. Twelve years (1833—1845), London 1899. *A. B. Donaldsen*, Five great Oxford leaders, Keble, Newman, Pusey, Liddon and Church, London 1900. *Paul Thureau-Dangin*, La renaissance catholique en Angleterre au XIX siècle, Paris 1902—1905, 3 vols. *Amherst*, History of catholic emancipation and the progress of the catholic church in the British isles, London 1886, 2 vols. *Bellesheim*, Geschichte der katholischen Kirche in Irland, Mainz 1890—1891, 3 Bde. *Idem*, Geschichte der katholischen Kirche in Schottland, Mainz 1883, 2 Bde.

1°. In **Anglia,** rege Georgio III (1760—1820), catholici fuerunt numero paucissimi, perpetuae oppressioni obnoxii. Exeunte saeculo XVIII, numerus ad milia 70 deminutus. Tum tamen lux affulsit. Ex bellis enim Americanis et revolutione Gallica cessatum est a persequendo. At diuturna mora fuit donec pari jure ac protestantes fruerentur. Expergiscente tamen Hibernia, auctore et duce **O'Connel,** post longum certamen vir eximius omnibus in regno Britannorum catholicis hanc jurium aequalium constitutionem obtinuit (1829). Quae victoria multum contulit ad Ecclesiae in Anglia emolumentum. Privilegia protestantium, inde ab aetate reformationis usurpata, paulatim rescissa sunt. **Commotio Oxoniana** (Oxford movement) plurimum ad id efficiendum contulit (*Puseyismus*, *Tractarianismus*). Jam pridem enim in ecclesia Anglica (*High Church*) multi, non probantes quae fierent, rerum mutandarum erant cupidi. Quorum alii opinionibus liberalioribus indulserunt, alii vero ad catholicismum inclinaverunt. Centrum fuit Oxonia. Ibi **Pusey** et **Newman**[1]), anno 1833, instituerunt elucubrationes pro temporum adjunctis (*tracts for the times*), redintegrarunt caeremonias catholicas, agebantque exercitia religiosa, ad altaria ornata, in aedibus splendide instructis (*Ritualistae*). Celeberrimi viri (Newman, Faber, Henry et Robert Wilberforce, Allies, Manning[2]) aliique), ad fidem catholicam reversi, verbis et

[1]) *Hutton*, Cardinal Newman, London 1891. *Lucie Félix-Faure*, Newman, sa vie, ses oeuvres, Paris 1901. *Brémond*, Newman, Essai de biographie psychologique, Paris 1907.

[2]) *Purcell*, Life of cardinal Manning, London 1869. *Hemmer*, Vie du cardinal Manning, Paris 1898.

exemplo multos allexerunt. Gladstone, diu anceps haerens, eos sequi ausus non est[1]). Die 29 Sept. 1850, Pius IX brevi *Universalis Ecclesiae* redintegravit hierarchiam, instituitque archiepiscopatum Westmonasteriensem cum suffraganeis 12. Ingens inde excitata a protestantibus commotio (no popery). Comitia, anno 1851, vetuerunt episcopum catholicum nominari a nomine episcopatuum Anglicanorum, utive clericos vestitu clericali etc. Primus archiepiscopus, Wiseman[2]) cardinalis, scripsit libellum ad populum Anglorum, quo animos vehementer movit. Multi ad catholicam fidem redierunt. Jam anno 1852 potuit agi synodus provincialis Oscott. Quae Wiseman uberrima fecerat, post ejus obitum (1865) ulterius prosecutus est, qui ei successit, Manning. Vita quoque religiosa, etsi fortiter oppugnata, tamen uberrime floruit. Multi religiosi fructuose laborant incumbendo scientiis, instructioni et animarum curae. At multo plures numero religiosae feminae curae aegrotorum et instructioni puellarum operam dant, quum in scholis inferioribus tum in superioribus. Solae fere his laboribus incumbunt. Interea non cessant multi ad catholicam fidem redire[3]). Episcopatuum numerus jam crevit ad 15. Universam vero nationem ad Ecclesiam Romanam reversuram, exspectari nondum potest. Anno 1896, bulla *Apostolicae curae*, Leo XIII edixit ordinationes clericorum, ab Anglicanis collatas, invalidas esse censendas. Demum, anno 1908, cum ingenti solemnitate Londini habitus est congressus Eucharisticus, quo, cum pluribus cardinalibus, centenis episcopis et innumeris sacerdotibus, primus post Pole cardinalem, allegatus Pontificius, Vanutelli cardinalis, terram Anglicam ingressus est.

2⁰. Georgius III primus fuit rex, qui **Hiberniam** non oppresserit. Unde ad meliorem prosperitatis spem erecta est terra. Jus eligendi pro comitiis Anglicis allegatos Hibernis concessum est annis 1792—1793. Quam tamen emancipationem constituere volebat Fitzwilliam vice-rex, Pitt impedivit. Ineunte

---

1) *John Morley*, The life of William Ewart Gladstone, London 1903, 2 vols.

2) *Ward*, Life and rimes of cardinal Wiseman, London 1897, 2 vols.; in Gallic. serm. vertit *Cardon*, Paris 1900.

3) Der Katholik, Bd. 34 (1906), p. 331 sqq. Officieller Staatsbericht über die Ausdehnung des Ritualismus.

saeculo XIX, laborare pro Hibernis coepit O'Connel[1]). Adversus societatem Arausicanistarum condidit societatem catholicam (*catholic association*). Allegatus ad comitia anno 1828, comparavit, eodem hoc anno, populi sui emancipationem, jus suffragii in comitiis et facultatem fungendi muneribus publicis[2]). Jusjurandi quoque formula emendata est, ne occurrrerent catholicis odiosa. Dein, anno 1838, sublatae sunt decimae, quae Hibernos tamdiu presserant. Incepit tum certamen diuturnum, ut ipsi sibi gubernandi comitia obtinerent (repeal-association). Ad vincula damnatus O'Connel anno 1844, sed provocatione sua ad senatum liberatus, obiit Genuae, anno 1847. O'Brien certare persecutus est. Valde multa bona perfecit Mathew capucinus, institutis societatibus temperantiae. Gladstone, lege 1868, abrogavit ecclesiam publicam Anglo-Hibernicam. Unde Ecclesia catholica, libertati restituta, ad prosperum statum pervenit, licet incolarum numerus perpetua emigratione minueretur. Universitas catholica Dubliniensis, egregia in multitudinem vulgata folia et clerus bene informatus ad salutem incolumitatemque populi catholici perpetuo conferunt.

3°. In **Scotia** persecutio cessavit, quum Napoleon de invadendo regno Britannico consilia cepisset. Ineunte saeculo XIX, fuerunt paucissimi numero catholici, quibus praeerant episcopi missionarii tres et presbyteri 40. Augebatur autem perpetuo numerus, quum missionariorum laboribus tum migrantibus ex Hibernia incolis. Anno 1827, aestimabantur numero 70.000. Emancipationis lex etiam in Scotia promulgata est (Wellington, Peel), etsi fuerit res obtinendo difficillima. Manserunt tamen prohibita monasteria, scholae destitutae subsidiis et catholici obligati ad pendenda stipendia annua pro Presbyterianis. Primum monasterium sororum erigi potuit anno 1832. Civitas universa Edemburgensis celebravit religiosarum pietatem. Wiseman cardinalis, jam anno 1864, et Manning cardinalis, anno 1868, verbo agere coeperant de instauranda hierarchia Scotica. Anno 1877, promissa fecit Pius IX, at, omnibus praeparatis, morte interceptus est. Leo XIII autem, anno primo pontificatus, bulla *Ex supremo apostolatus apice*,

---

[1]) *Baumstark*, O'Connel, Freiburg 1873.

[2]) Der Katholik, Bd. 32, p. 201 sqq.

instituit archiepiscopatus duos: Edemburgensem, cui subsunt suffraganei 4, et Glascuensem, cum solo titulo et honore. Abrogata tum quoque fuit lex odiosa, praecipiens ut matrimonia omnia, etiam aliter sentientium (*dissenters*), inter quos etiam catholici computabantur, a clericis ecclesiae publicae proclamarentur [1]).

---

§ 173. Ecclesia catholica in Russia et Scandinavia.

Theiner, Neueste Geschichte der katholischen Kirche in Polen und Rusland, Augsburg 1841. Archiv für Kirchenrecht, Bd. 17, 18, 20. *Pierling*, La Russie et le St. Siège, Paris 1896—1907, prod. vol. 4. *Wilbois*, L'avenir de l'Eglise Russe, Paris 1907. *A. Palmieri*, La chiesa Russa, Firenze 1908. *Gondal*, L'Eglise russe, Paris 1901. *P. Lescœur*, L'Eglise catholique en Pologne sous le gouvernement russe (1772—1875), 2e éd., Paris 1876, 2 vols. *Pelecz*, Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom, Wien 1870—1880, 2 Bde. *Likowski*, Geschichte des allmähligen Verfalles der unierten ruthenischen Kirche im 18 und 19 Jahrhundert. Aus dem Polnischen Posen 1885—1889, 2 Bde.

1⁰. In **Russia** catholici fere non sunt, nisi in provinciis ad occidentem versus, quae olim ditionis Poloniae fuerunt. Qui catholici valde multa mala perpessi sunt annos 300. Incepit persecutio, quum anno 1595, Jesuitis auctoribus[2]), *Rutheni* schismatici *Unione Brivatensi* (Brest)[3]) ecclesiae catholicae adjungerentur. Fuerunt inde in Polonia catholici, ritum Latinum observantes, et catholici ritus Graeci (*Rutheni*). Id Graecis schismaticis valde invisum fuit. Anno 1623, Ruthenorum agros depopularunt et eorum archiepiscopum, S. Josaphat, cosaci trucidarunt. Tabuit inde Ruthenorum ecclesia, donec, Joanne Sobieski rege (1674—1696), novi ei sunt animi additi. Prolapsum schisma est et, anno 1710, universus clerus Ruthenus

---

[1]) *Theiner*, Sammlung einiger wichtigen Aktenstücke zur Geschichte der Katholiken in England, Mainz 1835. *Lilly-Wallis*, Manuel of the law affecting catholics, London 1893. Anno 1903 regnum Britannicum computabat incolas 42.522.926, quorum catholici 5.250.000, quorum in Anglia 1.500.000, in Scotia 433.000, reliqui in Hibernia.

[2]) *Stanislaus Zalenski*, Hist. Societatis Jesu in Polonia (1555—1905), polonico idiomate annis 1896—1906 conscripta, Tom. I, cap. IX.

[3]) *E. Likowski*, Die Ruthenisch-römische Kirchenvereinigung genannt Union zu Brest. Aus dem Polnischen von Jedzink, Freiburg 1904.

ad catholicam fidem reversus. Quae confirmata est unio synodo Samostena (1720), cui interfuerunt episcopi 8 et sacerdotes 200, praeside nuntio apostolico.

Novam persecutionis aetatem aperuit Poloniae partitio (1772—1795). Promiserat quidem Russia, se catholicos utriusque ritus tuituram; at contrarium fecit. Catharina II (1762—1796) sustulit parochiarum 10 milia et monasteria 150, compulitque per vim ad schisma octogesies centena milia unitorum. Paulus I (1796—1801) et Alexander I (1801—1825) multo benignius in catholicos egerunt. Imo vero ille favebat iis, redintegravit episcopatus 6, tuebatur Jesuitas aliorumque ordinum socios. Quam tamen gratiam diu persequi nequivit, propter odium fanaticum clericorum schismaticorum et praesertim Siestrencewics, viri indigni, metropolitae Mohiloviensis. Quod deinde instituit Alexander I *collegium Romano-catholicum*, quo magistratus civiles plurimum schismatici regerent catholicos, Papa non probavit. Anno 1820 etiam Jesuitae in perpetuum e Russia ejecti sunt. Nicolaus I (1825—1855) tyrannico more egit in catholicos: abstulit monasteria, scholas catholicas esse vetuit, compulitque Ruthenos iterum ad schisma. Etiam in Latinos dure egit. Congresso cum Gregorio XVI (1845) imperatore, concordatum initum quidem est, sed exsecutioni non mandatum. Alexander II (1855—1881) ipsos etiam Latinos per vim Russiacae ecclesiae adjungere contendit, adhibito exsilio, vinculis et supplicio, et episcopatibus duobus sublatis[1]). Alexander III (1881—1894) novum inivit concordatum, quod tamen post breve tempus magna ex parte rescissum est. Nicolao II regnante (1894—), initio tyrannica gubernandi ratio remissa non est. At fortuna adversa belli Japonici (1903) et turbae domesticae ad mutanda consilia propulerunt. Ab anno inde 1905, jam non pro crimine habetur egredi ex ecclesia schismatica aut administrare sacramenta conversis. Concedere etiam coeperunt aequalia jura civilia catholicis. Unde consecuta est iterum frequentior schismaticorum ad Ecclesiam catholicam reversio[2]).

---

[1]) Archiv für Kirchenrecht, Bd. 39, p. 428 sqq.; Bd. 42, p. 447 sqq.

[2]) In Russia anno 1897 fuerunt incolae fere 102.000.000, quorum 80.000.000 schismatici, catholici 11.326.804, reliqui protestantes et Judaei.

Daniae gubernium rescidit, anno 1847, leges vexantes concessitque catholicis libertatem cultus et plenam omnium jurium civilium aequalitatem. Fructuose laborant missionarii. Est Hafniae (Coppenhagae) episcopatus, parochiae plures et collegium Jesuitarum. Sorores quoque religiosae instructioni et operibus caritatis incumbunt.

Svecia liberum cultum catholicis demum 1873 concessit. Non tamen est libertas integra. Proclamationes matrimoniorum catholicorum fieri debent in protestantium templo. Nulla institutio catholica, nullum monasterium est a gubernio probatum. Residet episcopus Holmiae (Stockholm).

Norvegia anno pariter 1873 libertatem cultus consecuta est. Sed postea, a Svecia separata, multo plura concessit. Sedet Vicarius apostolicus Christianiae. Aedes catholicorum sacrae et alia instituta catholica fere omni vectigali exempta sunt. Ordines religiosi omnes admittuntur, praeter Jesuitas. Sorores religiosae multo cum fructu operibus caritatis se dedicant [1]).

---

§ 174. Ecclesia catholica in America.

O'Gorman, A history of the Roman Catholic Church in the United States, New-York 1895 (Tomus IX American church history series, 12 vols). *Vicomte de Meaux*, L'église catholique et la liberté aux Etats-Unis, Paris 1893. *Zimmermann*, Die Universitäten in den Vereinigten Staten. Ein Beitrag zur Culturgeschichte, Freiburg 1896. *Markham*, History of Peru, Chicago 1892.

1⁰. Bellorum pro recuperanda libertate susceptorum exitus (1776—1783) Americanis septemtrionalibus attulit cultus libertatem. Prima lex **Statuum Unitorum** haec habet: „Non licet Congressui ferre legem, quae cultum aliquem declaret publicum, aut cultui alicui libertatem auferat". Concessit Unio ut omnium cultuum clerici vacent militia et ut bona ecclesiastica vectigali sint levata. Econtra decrevit ut unusquisque cultus suis ipsius sumptibus agatur. Ea suffecit Ecclesiae catholicae libertas, ut cito floreret et late excresceret. Primus episcopatus erectus est Baltimorae, anno 1789, primusque episcopus fuit

---

[1]) Anno 1907 Daniam incolabant catholici 12000, Sveciam 2538 et Norvegiam 2400.

Joannes Caroll, pridem membrum Societatis Jesu, tum suppressae. Augebantur valde numero catholici, partim quidem protestantibus reversis et nigritis ad fidem catholicam adductis, praesertim vero migrantibus ex Europa incolis. Operarii quoque in hac vinea Domini, primordiis, fere omnes ex Europa advenerunt. Ordines omnes et congregationes cum fructu magno laborarunt. Anno 1829 jam numerabantur episcopi 8, qui ipso hoc anno in synodum provincialem congressi sunt. Quae synodi crebrae res omnes ecclesiasticas ad ordinem adigebant. Anno 1869 convenit Baltimorae synodus provincialis decima. Cogebantur etiam synodi nationales, ad studiorum usuumque unitatem servandam multaque salutaria decernenda. Prima convenit anno 1852, altera anno 1866, tertia 1884[1]). Disceptabant in his, an et qui essent episcopatus novi erigendi, de negotiis ad matrimonia mixta spectantibus, de scholis neutris et aliis hujusmodi rebus. Accrevit autem celerrime ecclesia Americana. Medio saeculo XIX jam distinguebantur provinciae ecclesiasticae sex, exeunte eodem saeculo quatuordecim, quarum dioeceses 73[2]). Anno 1858 episcopus Baltimorensis dignitate primatus honoratus est. Ad informandum clerum sunt seminaria et, inde ab anno 1889, etiam una universitas catholica Washingtonii. Uberrime quoque effloruit vita religiosa. Omnium fere virorum ordinum socii operam dant curae animarum et instructioni. Sorores autem religiosae tanta frequentia instructioni et operibus caritatis incumbunt, ut vix numerari possint. In sola civitate Neo-Eboracensi (New-York) incolabant, anno 1895, domos 39, in civitate Chicago 57. Quia tamen multo numerosior catholicorum proles est, quam ut scholis catholicis contineantur, Satolli legatus Pontificius anno 1892 concessit ut, certis legibus, utantur scholis publicis. Aliquamdiu etiam molestias experti sunt catholici a fanaticis. Majus autem malum imminebat a laicis, qui se insinuabant in negotia ecclesiastica, a consiliariis parochorum quoque, qui, nolentes episcopis parere, ipsi administrare bona ecclesiarum satagebant. Vincere tamen non potuerunt[3]).

---

[1]) Acta et decreta concilii plenarii Baltimorensis tertii, Baltimore 1886.

[2]) *L. W. Bacon*, A history of American Christianity, New-York 1897. Cf. *Schinz*, Revue chrétienne, année 1901.

[3]) Anno 1909 computabantur in Statibus Unitis catholici 14.235.000.

2°. Etiam in iis **Americae** partibus, quae **Britannicae** ditionis sunt, res catholicae incrementa ingentia ceperunt. Anno 1844 solus fuit archiepiscopatus Quebec, cum episcopatibus tribus. Hodie provinciae ecclesiasticae distinguuntur 9, episcopatus 23, vicariatus apostolici 4 et una praefectura apostolica. Catholici numerantur 2.240.000. Universitates inveniuntur Quebec et Monte Regali (Montréal) (1889).

3°. In **America media et meridionali**[1], terra **Mexicana** primo loco est referenda. Impulsa praecipue exemplo Statuum Unitorum, anno (1820—1821) sejunxit se ab Hispania, suique juris esse declaravit. Deinceps non cessarunt turbae internae, neque studia Ecclesiae catholicae aliena. Anno 1833 sublata monasteria sunt et bona missionum in publicum addicta. Juarez *dictator* persecutus est Ecclesiam, in exsilium ejecit episcopos et monachos, vetuit quemquam veste clericali indui, spoliavitque aedes sacras. Maximilianus imperator (1863—1867) approbavit hierarchiam temperatam, ita ut essent archiepiscopatus tres et episcopatus 15 (1863). Non tamen sat polluit viribus ut leges abrogaret, quibus Juarez Ecclesiam insectarat. Praeterea jam 1867, captivus factus, glandibus confectus est[2]. Inde deteriore loco res esse coeperunt. Quaecumque ad Ecclesiam pertinebant, ea omnia republicanis odio erant. Eo demum progressi sunt ut sorores caritatis expulerint, vetuerint in fidei rebus instrui pueros, et separationem Ecclesiae a Statu proclamarint.

Tamen, praeside Porphyrio Diaz, res jam in melius nonnihil mutatae. Religiosae expulsae redierunt utunturque jure communi. Largitionibus fidelium clerici aluntur. Pulcherrimae ecclesiae aedificatae sunt: B. M. V. Aquae-Lupiensis (Guadeloupe), cathedrales S. Ludovici de Potosi, Pueblae et Mexicana. Sunt magisteria (facultates) theologiae et juris canonici quatuor: Mexici, Guadalaxarae, Pueblae et Meridae. Dividitur terra Mexicana in provincias ecclesiasticas sex, quarum sunt episcopatus 28[3].

---

[1]) Stimm. a. M.-L., 1906, Bd. I, p. 53—1547. *J. Fehr*, Geschichte des XIX Jahrhunderts, Bd. I, IV.

[2]) *Pierre de la Gorce*, Histoire du second Empire, Tom. IV, Paris 1904, p. 1—115; 307—390; Tom. V, Paris 1903, p. 81—148.

[3]) Stimm. a. M.-L., Jg. 1906.

Brasilia secessit a Lusitania, anno 1822, et principem Lusitanum, Don Pedro (1822—1831), imperatorem sibi elegit. Eo et postea filio ejus, Don Pedro II (1831—1889), regnantibus, re et facto res publicas moderabantur liberalismi sectatores et massones. Altera media parte saeculi XIX, multi catholici, imo vero etiam clerici, huic sectae nomen dederant. Est archiepiscopatus S. Salvatoris de Bahia, et episcopatus 11. Quibus tamen vix quidquam potestatis fuit adversus gubernium incredulum. Annis 1871—1875 instituta est Ecclesiae persecutio. Anno 1891 lata est prima lex, Ecclesiae infensissima. Concessa libertas cultus est, at non probavit matrimonia nisi civilia, eripuit clericis omne jus suffragii tum activi tum passivi arcuitque religiosos omnes a scholis inferioribus, quibus praeesse solis laicis licuit. Non tamen hic e separata Ecclesia a statu tanta mala eveniunt, quanta alibi exinde proficiscuntur. Studia ecclesiastica eximie promovent ordines religiosi (Jesuitae, Dominicani, Franciscani, Lazaristae, Salesiani). Numerantur incolae 14.333.915, quorum catholici 14.176.615.

Reliqui etiam status Americae meridionalis, quae vocantur **reipublicae,** secessionem ab Hispania fecerunt annis 1817—1824. Inde perpetua consecuta sunt undique bella civilia, seditiones et Ecclesiae persecutiones. In omnibus fere, lege Ecclesia a statu est separata. *Chiliensis* respublica satis mansit in pace, unde etiam Ecclesiae conditio satis prospera. Unus est archiepiscopus, Santiagenus, cum suffraganeis tribus. Anno 1898 instaurata est nuntiatura ad S. Sedem. Numerantur incolae 3.500.000, quorum catholici 3.189.070. *Æquatoris* respublica splendidam vidit aetatem, praeside viro mirabili, Garcia Moreno (1861—1875). Inierat concordatum cum S. Sede. At anno 1875 a sicariis est trucidatus. Quo facto, etiam Ecclesiae pax ablata est. Anno 1877, rescisso concordato, Josephus Ignatius Checa archiepiscopus insidiose necatus est. Ultimis tamen annis in melius res sunt mutatae. Delegatum S. Sedes nominavit, Limae sedentem. Sunt incolae 1.400.000, quorum catholici 1.137.250. Unus est archiepiscopus, episcopi sex. *Peruviana* respublica quoque multas passa est turbas. Habet hodie nuntium gubernii ad S. Sedem et S. Sedis delegatus, Limae sedens, causas agit Peruviae, Boliviae et Æquatoris. Est unus archiepiscopus Limanus et suffraganei septem. Sunt numero incolae 3.050.000, quorum catholici 2.754.010. *Venezuelana* respublica iniit con-

cordatum, quum anno 1862 separaretur a Columbia. Anno tamen 1870, acriter insectari Ecclesiam coepit Blanco praeses. Sustulit seminaria et monasteria, in exsilium ejecit episcopos, jura civilia eripuit clericis. Refragante autem vehementer populo, anno 1875 pax composita est et leges invisae suspensae. Est unus archiepiscopus, Caracasinus, suffraganei quinque. Numerantur incolae 2.238.900, quorum catholici amplius vicies centena milia. *Colombensis* seu *Nova-Granatensis* respublica etiam vidit Ecclesiam iterato vehementer impetitam (1845, 1852, 1859, 1861, 1863). Identidem Pius IX conquestus est de clericis et regularibus male tractatis. Inde tamen ab anno 1863 satis ad pacem fuerant res reductae, ut anno 1868 synodus provincialis haberi potuerit. Leo XIII, anno 1887, iniit conventionem, qua praesertim negotium de bonis ecclesiasticis, in publicum addictis, definitum est. Est delegatus apostolicus, sedens in urbe capite. Unus est archiepiscopatus Bogotensis, cum suffraganeis undecim. Nondum abscisso territorio Panamensi, erant incolae 3.321.000, quorum catholici 3.218.725. *Boliviana* respublica, quae praesertim multis bellis cum finitimis civitatibus turbata fuit, unum habet archiepiscopatum, Laplatensem, cum suffraganeis tribus. In *Argentiniana* republica, episcopatus Buenos-Ayres factus fuit archiepiscopatus (1854), ejusque sunt suffraganei septem in Argentinia et unus in Uruguay. Post diuturna luctamina inventus est *modus vivendi* inter Ecclesiam et statum, non descriptus, sed verbotenus datus et acceptus, quo sat pacis et libertatis Ecclesiae concessum est. Convenerunt episcopi Americae Latinae Romam 1899 in synodum plenariam, qua multa salutaria decreta sunt. Reguntur autem hae ecclesiae Literis Apostolicis, 18 Aprili 1897, Decreto Congregationis 6 Julio 1899, decretis 1 Januario et 4 Majo 1900.

CAPUT ALTERUM.

Errores theologici. Ulterior explicatio doctrinae ecclesiasticae.

§ 175—§ 176.

§ 175. **Errores theologici.**

Schwane, Dogmengeschichte der neueren Zeit, Freiburg 1890. *K. Werner*, Geschichte der katholischen Theologie in Deutschland, 2e Aufl., München 1889. *J. Bellamy*, La théologie au XIX siècle. Paris 1904. *H. Brück*, Geschichte der katholischen Kirche in Deutschland, II—III Bd.

1⁰. Saeculum XVIII hoc habuit proprium, quod plenum fuit incredulitatis, rationalismi, materialismi et pantheismi[1]). Qui errores, sicuti revolutioni favebant, ita vice versa per revolutionem penitius animis infigebantur. Quare in omnibus fere orbis terrarum partibus, ineunte saeculo XIX, dominabatur religionis despicientia et incredulitas. Quo modo res durare non poterant. Jam saeculo superiore identidem Ecclesia massonum ordinem damnaverat. Haud magna mora, quum viri docti catholici plurimi defendere Ecclesiam ejusque fidem aggressi sunt, tum ipsa Ecclesia usa est omni opportunitate definiendae et ulterius explicandae doctrinae suae adversus incredulorum impetus. Dolendum tamen est viros doctos catholicos saepius opinionibus suis definitiones Ecclesiae praevertisse, atque hac de causa a recta via aberrasse. Sic, currente saeculo XIX, efformati sunt plures errores, *Hermesianismus* et *Guntherianismus* in Germania, *ontologismus* in Italia et Belgio, *traditionalismus* in Francia et, vergente ad finem saeculo, *Americanismus* in America, et *modernismus* in universa fere Europa. Non desiit tamen Ecclesia invigilare, ne traditus sibi fidei thesaurus dissiparetur aut corrumperetur.

---

[1]) Vide supra § 164.

2°. **Hermesianismi** pater fuit Georgius Hermes, natus in Westphalia, anno 1775. Scientiis incubuit Monasterii et legendo praesertim Kant et Fichte devenit ad suum systema, quod est e genere rationalistico. Factus professor theologiae Monasterii prius, deinde Bonnae, multorum mentes erroribus suis infecit[1]), praesertim tum, quum von Spiegel esset archiepiscopus Coloniensis. Is enim ardenter Hermesium fovebat. Haud magni temporis intervallum, magisteria fere omnia philosophiae et theologiae ab Hermesianis occupabantur, non solum Bonnae, sed etiam in seminariis Coloniensi, Vratislaviensi (Breslau), Brunonis-Montensi (Braunsberg) et Trevirensi. Dubium *positivum* Hermes omni disquisitioni theologicae supposuit fundamentum, et humanam rationem unicum vocavit cognitionis supernaturalis obtinendae instrumentum. Fides ipsi non est ut pro vera res habeatur propter alterius auctoritatem, sed eam censet esse humanae rationis fructum, quae sua sibi operatione persuadet, veram esse christianam doctrinam. Universum ejus systema in hoc fundatur, quod nimium tribuit humanae intelligentiae. Itaque tota fere periclitabatur doctrina ecclesiastica. Nihil contra tentatum. Erant enim professores fere triginta et alii multi amplissimi viri, qui Hermesii systema defenderent. Paulatim tamen obloqui inchoatum est et acrior in dies oborta controversia causa fuit, cur post Hermessi obitum natum sit periodicum Hermesianum[2]). Nuntios valde benevolos de Hermesianismo misit Romam von Spiegel archiepiscopus; alii vero praelati conquerebantur de exitiosis effectibus erroris. Disquisitum est Romae, duorum annorum spatio (Reisach card., Perrone). Demum, 26 Sept. 1835, edixit Gregorius XVI breve *Dum acerbissimas*, quo Hermesii doctrina damnata est ejusque libri in Indicem relati[3]). Sicuti fecerant Jansenistae, ita Hermesiani quoque *silentium obsequiosum* servarunt, distinxeruntque inter *jus* et *factum*. Mox autem discordia ingens oborta est Bonnae. Theologiae studiosorum major pars exierunt et benevole excepti sunt ab episcopo

---

[1]) Philosophische Einleitung in die Theologie, Münster 1819. Einleitung in die christl. katholische Theologie, Münster 1829. Ejus theologia dogmatica ex scriptis autographis post mortem ejus edita est ab Achterfeld professore, Monasterii 1834—1836.

[2]) Zeitschrift für Philosophie und katholische Theologie, Bonn 1832 sqq.

[3]) *Denzinger*, ed. IX, p. 350 sqq.; ed. X, n. 1618 sqq.

Clemente Augusto. Braun, qui Bonnae, et Elvenich, qui Vratislaviensis professor erat, Romam adierunt; nihil tamen mutatum obtinuerunt. Abducto Clemente Augusto, audacius iterum Bonnae agere coeptum. Von Geissel vero finem imposuit Hermesianismi dominationi[1]). Pius IX confirmavit, 26 Julio 1847, damnationem Hermesii[2]). Scientifica ratione systema impugnaverunt Jesuitae Perrone et Kleutgen.

3⁰. Dum pantheismum oppugnaret, **Günther** etiam aberravit. Fidei certitudo, quae legendo opera Kant juvenili aetate ei fuerat attenuata, postea a S. Clemente Maria Hofbauer iterum confirmata est. Anno 1820 sacerdotio ornatus, praesertim errorem pantheismi impetere studuit. Quoniam autem doctrinam scholasticam ad id idoneam esse negabat, excogitavit systema, quod novae praesertim Hegelianae philosophiae nitebatur. Günther quoque fidem aequiparavit scientiae naturali. Docuit insuper creationem necessariam, tritheismum, negavit Verbi incarnati unionem hypostaticam etc. Ne repugnare fidei videretur, definitiones Ecclesiae ad tempus tantum valere contendit, donec nova scientia novam invenissset formulam adhibendam[3]). Multos nactus est Günther asseclas in Austria et Germania, prae ceteris Knoodt Bonnae, Merten Treviris et Baltzer Vratislaviae. Doctrina autem ista anno 1857 a Pio IX damnata[4]), omnes paruerunt, etiam ipse Günther. Ejus praecipui oppugnatores fuerunt Joseph Kleutgen S. J., qui defendit doctrinam scholasticam[5]), et vir laicus F. J. Clemens († 1862), professor Bonnae et Monasterii.

4⁰. **Ontologismus** [6]) cognosci vera docuit visione Dei immediata. Censent ontologistae, humanam mentem primo suo actu videre esse divinum, in quo quasi lumine videat omne verum intellectuale. Nomen habet error a malae famae viro Vincentio Gioberti, qu eum docuit libro suo: *Introduzione allo studio*

---

[1]) *O. Pfülf*, Cardinal von Geissel, Freiburg 1896, I Bd., 199 sqq.

[2]) Cf. praesertim der Katholik, Bd. 44, 45, 46, Jahrg. 32 sqq.

[3]) Inveniuntur errores in operibus ejus: Vorschule zur speculativen Theologie des positiven Christenthums, Wien 1828. Süd- und Nordlichter am Horizont speculativer Theologie, Wien 1832. Der letzte Symboliker, Wien 1834.

[4]) Tübinger Quartalschr., Bd. 40, p. 177–182.

[5]) *Knoodt*, Anton Günther, eine Biographie, Wien 1881.

[6]) *Thomas Zigliara*, Della luce intellettuale e dell' Ontologismo, Roma 1874. *P. Lepidi*, Examen philosophico-theologicum de Ontologismo, Lovanii 1874.

della filosofia, *Torino* 1839. In multas scholas penetravit ontologismus, in ipsas etiam praeclarissimas. Defensores habuit, prae ceteris multis, Rosmini-Serbati, e Roboreto († 1855)[1]), et Patrem Gratry Oratorianum, libro *Connaissance de Dieu*, et in Belgio Laforêt († 1871) et G. C. Ubaghs († 1875), professores Lovanienses[2]). Anno 1861 decrevit S. Officium, theses sibi propositas septem *tuto tradi non posse*[3]). Quum autem Ubaghs, effugii causa, diceret, theses istas respicere pantheistas Germanos, scripsit epistolam Patrizi cardinalis ad archiepiscopum Mechliniensem, confirmavitque S. Officii decretum. Ontologismi oppugnatores praecipui fuerunt J. Kleutgen, J. M. Cornoldi, M. Liberatore, Jesuitae; tum J. Bouix et Dominicani A. Lepidi et Zigliara cardinalis.

5°. **Traditionalismus** certitudinis criterium posuit non in hominum singularium intellectu, sed in auctoritate generis humani communi, quem vocabant *sensum communem*. Praeterea docebant, primum hominem habuise primas ideas, ideam infinitudinis, tum etiam loquendi et scribendi artem non per naturae vires, sed per revelationem divinam, eaque ita revelata tradidisse posteritati. Insuper dicebant, humanam mentem exigua valde conferre ad actum fidei, negabantque eam posse certo cognoscere esse Deum, neque per miracula et prophetias demonstrare revelationem. Eam doctrinam excogitavit descripsitque Ludovicus Gab. de Bonald[4]), ac strenue defendit Hugo Fel. Rob. Lamennais[5]), qui Sept. 1832 et Julio 1834 damnatus est[6]). Bautain Argentoratensis[7]) eundem errorem docuit, at prima principia (*les idées mères*) desumenda dixit a S. Scriptura, quod revelatio primordialis, humano generi facta, postea esset corrupta. Anno tamen 1840 humiliter se subjecit[8]). Pater Joachim Ventura († 1861), prius Pii IX familiaris, dein

---

[1]) Damnavit Leo XIII, *Denzinger*, ed. IX, p. 423 sqq.; ed. X, n. 1891 sqq.

[2]) Plura sunt ejus opera: Anthropologie, Théodicée, Ontologie, Essai d'idéologie ontologique.

[3]) *Denzinger*, ed. IX, p. 362; ed. X, n. 1659 sqq.

[4]) Recherches philosophiques, Paris 1848. Oeuvres complètes, Paris 1859, 7 vols.

[5]) Essai sur l'indifférence en matière de religion, Paris 1822, 4 vols. Paroles d'un croyant, Paris 1834.

[6]) *Denzinger*, ed. IX, p. 343; ed. X, n. 1613 sqq.

[7]) *De Regny*, L'abbé Bautain, sa vie et ses œuvres, Paris 1884.

[8]) *Denzinger*, ed. IX, p. 352; ed. X, n. 1622 sqq.

Roma pulsus propter studia sua seditiosa, traditionalismum mitigatum docuit, sicut etiam Ludovicus Bonnetty (†1879), qui edidit *Annales de philosophie chrétienne*[1]).

6⁰. Procacius multo egerunt **Germano-catholici**[2]). Anno 1844, facta Treviris expositio sacrae tunicae apud protestantes et incredulos Germaniae commotionis vehementis ansa fuit. Concitavit animos praesertim epistula publica, a Joanne Ronge scripta ad Arnoldi, episcopum Trevirensem. Sacerdos iste apostata, calumniatus episcopum, provocavit ad Germaniae incolas ut finem facerent tyrannidis Romanae. Malae famae sacerdotes, Czersky et Kerbler, se Rongio adjunxerunt. Ipse condidit coetus Germano-catholicos Berolini, Vratislaviae, Lipsiae, Hildeshemii, Kreutznachii et in aliis locis. Crevit in dies adhaerentium numerus. Jam anno 1845 potuit agi prima synodus, qua, rejecta confessione, coelibatu et Sanctorum cultu, sola sacramenta duo, baptismus et coena, recepta sunt. Cum obiret Germaniae terras, tanquam homo sanctus colebatur Ronge. Filius regis Borussiae eum excepit in aedibus suis, viri docti protestantes laudibus et honore eum ornabant. Secta primordiis valde augebatur numero, ita ut mox essent coetus fere 200, asseclae 40 millia. Diuturna tamen ubertas non fuit. Quum anno 1848 Germano-catholici se adjungerent seditiosis, eorum coetus prohibiti sunt. Indifferentismus deinde et incredulitas, fota a synodis (1847 et 1850), effecerunt ut res omnis dilaberetur. Hodie vix quidquam superest.

7⁰. Ex occasione concilii Vaticani, anno 1870, natus est **vetus-catholicismus**[3]). Quae proposuerat Hohenlohe, administer Bavariae, ut gubernia omnia communi conatu resisterent

---

[1]) *Denzinger*, ed. IX, p. 360; ed. X, n. 1649 sqq.

[2]) *Brück*, Geschichte der katholischen Kirche in Deutschland, II, 512 sqq. *Kampe*, Geschichte der religiösen Bewegung der neueren Zeit, Leipzig 1852 sqq., 3 Bde. *Gervinus*, Die Mission der Deutsch-katholiken, Heidelberg 1845. *G. Goyau*, L'Allemagne religieuse. Le Catholicisme 1800—1870, Paris 1905—1909, 4 vols.

[3]) *J. F. Schulte*, Der Altkatholicismus, Geschichte seiner Entwicklung, inneren Gestaltung und rechtlichen Stellung in Deutschland, Giessen 1887. *E. Michael*, Ignaz von Döllinger, Ein Charakterbild, Innsbruck 1892, II Aufl. Hist. Pol. Blätter: Schweizer Briefe in Bd. 71—78, 86, p. 419. *Dr. H. Brück*, Geschichte etc., Bd. IV. *Friedrich*, Ignaz von Döllinger, München 1899—1901, 3 Bde. *Kannegieter*, Les origines du vieux-catholicisme et les universités allemandes, Paris 1901.

definitioni infallibilitatis, irrita manserant. Nihilominus plurimi erant animo a concilio alieni. In Germania Döllinger professorum Monachiensium ducem se praebuit noluitque parere decretis (1870). Ad quorum partes se adjunxerunt professores aliquot Friburgenses, Vratislavienses, Pragenses et Monasterienses. Commotionis universae principes mox fuerunt professores Bonnenses. Die 27 Aug. 1870, Nurembergae habitus est conventus ad reclamandum. Episcopi contra, congressi Fuldae (1870), communi sermone monuerunt catholicos Germaniae omnes, ut caverent. Postularunt ut professores se subjicerent. Renuerunt Döllinger et Friedrich; quare sunt excommunicati. Bonnae Dieringer paruit; Hilgers vero, Reusch, Langen et Knoodt recusarunt, quapropter primum sunt suspensi, dein excommunicati (1871). Vratislaviae perrexerunt resistere Reinkens, Baltzer, Weber et von Schulte. Orto certamine *Kulturkampf*, patet veteres-catholicos stetisse a partibus gubernii. Bismarck iis tradidit catholicorum aedes sacras. In Bavaria, ab iis accitus Loos, Jansenistarum archiepiscopus Ultrajectinus, sacramentum confirmationis ministravit (1872). Primus jam veterum-catholicorum conventus (22—24 Sept. 1871), Monachii coactus, declaravit fidem Jansenistarum esse rectam, voluitque societatem conjungere cum ecclesiis Russiaca et orientalibus. Quo facto Döllinger, qui noluit altare altari opponere, reclamavit et ab iis recessit. Conventus alter, Sept. 1872 Coloniae habitus, legibus circumscripsit curam animarum et episcoporum electionem. Ad quod officium, 4 Junii 1873, elegerunt Josephum Hubertum Reinkens, quem consecravit, 12 Augusto Rotterodami, Heykamp Jansenistarum episcopus Daventriensis. Gubernia Borussiacum, Badense et Hassiacum eum agnoverunt eique priora duo dederunt annuos reditus thalerorum 18.000. Diebus 12—14 Sept. Constantiae nova hierarchia confirmata est. Bonnae deinde plures synodi coactae: prima (Majo 1874) rescidit obligationem confitendi et jejunii legem; altera (Martio 1875) minuit dies festos et impedimenta matrimonialia. His etiam annis 1874 et 1875, ut unio cum Graecis sociari posset, plura dogmata pluresque usus abrogarunt: Immaculatum conceptum B. M. V., indulgentias, libros deuterocanonicos, *Filioque* etc. Synodus tertia (1876) induxit *rituale* Germano idiomate, quarta (1877) sermonem patrium, etiam pro liturgia. Coelibatum servarunt, rogante Reusch, qui tamen

praevertere non potuit ne 1878 abrogaretur. Quare ab iis recessit. Ea autem inita nova via, haud parum ubique auctoritatis veteres-catholici perdiderunt. Quo tempore maxime schismaticus error floruit (1878), supputabantur in Germania veteres-catholici non amplius 50.000 [1]).

In Austria, ob decretum de infallibilitate, concordatum renuntiatum est. Veteres-catholici tamen communione cum Reinkens episcopo colligati non sunt. Quod saepius frustra assequi contenderant, tandem 1878 obtinuerunt: agniti sunt, sed solo decreto in folio publico. Ad florentem aetatem et conditionem numquam pervenerunt.

In Helvetia sacerdotes, qui infallibilitatem negarent, adhuc anno 72 fuerunt 3. Nonnulli postea sacerdotes apostatae accesserunt. Quod voluit efficere Carmelita apostata Hyacinthus (Loyson), ut robur et vitam factioni adderet, successum non habuit. Nequidquam etiam electus est episcopus Herzog, nequidquam congressi sunt Reinkens et Loyson cum Henrico Cotterie, Scotiae episcopo, et Herzog. Successum non habuerunt. In Italia, in ipsa civitate Romana, Loyson instituit (1872) agentium collegium veterum catholicorum (comité). Neapoli quoque est magna oborta commotio, auctoribus Prota-Giurleo, Dominico Panelli et Trabucco. At paucos consecuti sunt factionis asseclas.

In Hispania, Antonius Aguayo sacerdos ad negandam infallibilitatem induxit alios sacerdotes fere 50.

In Francia conatus est Loyson condere ecclesiam et tandem eo devenit, ut duxerit viduam Meriman, quam secum ex Anglia adduxerat. Habitavit Parisiis *Recteur de l'église catholique gallicane*, cujus tamen vis aut momentum nullum fuit.

---

[1]) *Friedberg*, Aktenstücke, die altkatholische Bewegung betreffend, mit einem Grundriss derselben, Tübingen 1876. Cf. (*Dölllinger*) Janus, Leipzig 1869; et econtra (*Hergenröther*) Anti-Janus 1870.

§ 176. Ulterior explicatio doctrinae ecclesiasticae.

Perrone S. J., De immaculato B. M. V. conceptu, an dogmatico decreto definiri possit, Romae 1853. *Passaglia*, De immaculato B. M. V. Conceptu, Romae 1854. *L. Kösters*, Maria die Unbeflekt Empfangene Geschichtl.-theologische Darstellung, Regensburg 1905. *Tosi*, Vorlesungen über den Syllabus, Wien 1865. Die Encyclica P. Pius IX vom 8 Dec. 1864, Freiburg 1866 sqq. 2 Bde. *Granderath* S. J., Geschichte des Vatikanischen Konzils, herausgegeben von Konrad Kirch S. J., Freiburg 1903—1906, 3 Bde. La Civiltà cattolica, 3 Aug. 1907: Il recente decreto della S. Inquisizione contro i nuovi errori. Etudes religieuses, 5 Août 1907: Décret de la sainte Inquisition du 3 Juillet 1907. Acta Pii PP. X modernismi errores reprobantis collecta et disposita cum licentia Ordinarii, Oeniponte 1907.

1⁰. Pio IX Pontifice, una res fuit e celeberrimis et fidelium animis gratissima dogmatica definitio **Conceptus Immaculati** Beatissimae Virginis Matris Dei Mariae. Jam pridem multi episcopi, e Franciae praesertim et Americae partibus, supplices et instanter petierant ut S. Sedes definiret doctrinam, cui annis abhinc 400, inde a Sixto IV († 1584), Pontifices Romani faverant praecipuo affectu eamque promoverant. Quare, 2 Febr. 1849, Pius IX, eximius B. Virginis cultor, epistolam misit ad universi orbis episcopos, rogans quae esset fidelium et episcoporum mens de Conceptu Immaculato B. M. Paucis exceptis, consenserunt omnes petieruntque ut Papa ne diu differret de mirabili Virginis privilegio decernere. Die 1 Aug. 1854, petiit Pius IX ut totius orbis terrarum fideles rem tanti momenti precibus Deo commendarent, convocavitque episcopos Romam, in diem 8 Decembrem. Quo die, circumdatus episcopis et cardinalibus 200 „ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, inquit Pius IX, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus, *doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*"

2⁰. Die 8 Decembri 1864, edixit Pius IX encyclicam *Quanta*

cura et cum ea simul celeberrimum **Syllabum** [1]), quo referuntur praecipui illius temporis errores, jam antea allocutionibus, bullis aliisque litteris Apostolicis damnati. His propositionibus 80 damnavit Pius IX praecipue modernam hominum mentem, monuitque catholicos ut caverent a perniciosis opinionibus hominum vel omnino vel partim fide destitutorum. Reprobavit cuncta rationalismi effluvia: indifferentismum, latitudinarismum, communismum, socialismum, societates occultas et liberalismi fautorum associationes; praeterea errores plurimos de Ecclesiae cum Statu ratione, de matrimonio christiano, de potestate temporali Pontificum. Tum jam damnavit sententiam „Romanum Pontificem posse et debere cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere" (24). Mirandum non fuit, Syllabum, quo societatis humanae vulnera quasi digito ostendebantur, vehementer esse oppugnatum. Ipsa nostra aetate vix desedit ira massonum, hominum incredulorum et magistratuum fide ac religione vacuorum. Fidelibus vero gaudium ingens praebuit Syllabus. Est enim quasi pharus, significans qua sit via inter scopulos fluctusque errorum vehendum.

3°. Eo ipso anno 1864, 6 Decembri, rogavit Pius IX cardinalium sententiam de cogenda synodo oecumenica, quae indagaret quibus remediis possent averti temporum angustiae, saluti incolumitatique Ecclesiae adversae. Anno proxime sequenti, e cardinalibus delecti viri sunt, qui mensibus Aprili et Majo ad episcopos occidentis 36 miserunt literas, ut inquirerent, quid in concilio de doctrina et de disciplina esset tractandum. Anno insequenti, ejusdem argumenti literae missae sunt ad episcopos orientis. Anno 1867, pro singulis rerum argumentis singuli delecti viri nominati sunt. Postquam deinde episcopis amplius 500, qui pro celebrandis festis saecularibus Apostolorum Petri et Pauli Romam convenerant, consilia sua aperuit Pius IX, demum 29 Junio 1868, bulla *Aeterni Patris*, episcopos omnes convocavit ad **concilium Vaticanum** [2]), 8 Dec. 1869 inchoandum.

---

[1]) *Denzinger*, ed. XI, p. 371—386; ed. X, n. 1700—1780. *Lehmkuhl*, Theologia moralis, ed. VIII, p. 782 sqq. Archiv für Kirchenrecht, Bd. VIII, 314 sqq.

[2]) Collectio Lacensis, Acta et decreta s. conciliorum recentiorum, VII, Friburgi 1886. *Friedberg*, Sammlung der Aktenstücke zum ersten Vatic. Concil., Tübingen 1872. *Martin*, Die Arbeiten des Vatic. Koncils, Paderborn 1873. *Denzinger*, ed. IX, p. 386 sqq.; ed. X, n. 1781 sqq.

Brevi 8 Sept. 1869, *Arcana divinae Providentiae*, schismaticos invitavit, brevi 13 Sept., *Jam vos omnes*, protestantes. Harum pauci tantum (Guizot, Pusey, Reinhold et Baumstark) confessi sunt, bona mente Pontificem scripsisse. Incoepta tamen jam erat oppugnatio, quam aggravavit nuntius e Francia, in periodico *Civiltà cattolica*, Februario 1869, relatus[1]), quo dicebatur bonos omnes desiderare ut definiretur infallibilitas et Syllabus. Vehemens ob id scriptis controversia est orta[2]). *Sessione prima*, habita 8 Dec. 1869, inchoatum est concilium. *Sessione secunda*, 6 Jan. 1870, professi sunt patres confessionem fidei Tridentinam. Deinde reliquis sessionibus negotia ipsa tractanda sumpserunt. Statuerant ut jure suffragii uterentur, praeter cardinales et episcopos, etiam episcopi titulares, magistri et abbates generales ordinum religiosorum et *praelati nullius;* ut vero episcoporum procuratores et *vicarii capitulares* solo jure subscribendi fruerentur. Quo tempore plurimi convenerant, fuerunt qui suffragii jure gaudebant numero 747. Deputatorum collegia quatuor sua quaeque schemata de *fide*, de *disciplina*, de *ordinibus religiosis*, de *missionibus*, offerebant patribus, congregatione generali congressis (quales congregationes habitae sunt 88); in his reprobabantur aut approbabantur proponenda sessionibus solemnibus (quales fuerunt 4). Schema primum (*constitutio dogmatica de fide catholica*), die 24 Aprili 1870, in sessione *tertia*, omnibus assentientibus, probatum est. Agit de Creatore, de revelatione, de fide et de habitudine fidei et rationis. Alterum schema (*constitutio dogmatica de Ecclesia Christi*) jam diu erat praeparatum, sed in eo inserta non erat doctrina de infallibilitate Pontificia. Quare, die 31 Januario 1870, patres 400 libellum supplicem miserant, petentes ut contra Gallicanismum praesertim et Febronianismum definiretur infallibilitas. Commotionem vehementem is libellus concitaverat, tum in concilio tum extra. Patres numero minore reclamaverant, partim quod infallibilitatem definiri omnino nollent, partim quod ad id tempus opportunum esse negarent.

---

[1]) Civ. Catt. Ser. VII, vol. V, p. 345 ss.

[2]) (*Döllinger*) Janus, Der Papst und das Concil, Leipzig 1869. (*Hergenröther*) Anti-Janus, Freiburg 1870. Le Concile in Le Correspondant, Oct. 1869. *Dupanloup*, Lettre au clergé de son diocèse, 11 Nov. 1869. *Mgr. Maret*, Du concile général et de la paix religieuse, Paris 1869. *P. Gratry*, Lettre à Mgr. Deschamps, Paris 1870. Coblenzer Laienadresse, Coblenz 1869. Adresse der Katholiken im Zollparlament, Hist. Pol. Bl. Bd. 69. Et plura alia.

Epistola Hohenlohe (a Döllinger descripta) ad gubernia manserat irrita[1]). Die 13 Julio 1870 convenit congregatio generalis 85[a]), qua definitio infallibilitatis praeparata est. E patribus 591, suffragium *Placet* tulerunt 491, *Non Placet* 56 et *Placet juxta modum* 44. Tum qui definitioni adversabantur petierunt a Pio IX ut differretur definitionis decretum; quod concedi amplius non potuit. Episcopi 55, e Germania, Austria et America, epistolam deinde miserunt ad Pium IX, qua iterabant suam sententiam a definitione alienam; dicebant, afferentes excusationem, se non interesse posse sessioni solemni, sed se obsecuturos S. Sedi[2]). Qui quum abiissent, die 18 Julio habita est sessio *quarta*. Patribus duobus exceptis, reliqui 535 suffragium *Placet* tulerunt. Itaque constitutio dogmatica I de Ecclesia Christi, *Pastor aeternus*, probata est definitumque „*Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejus modi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.*"

Propter calores, qui sunt eo anni tempore, et ortum bellum (19 Julio) Germaniae cum Francia, multi patres domum redierunt. Capta autem Roma (20 Sept.), continuari concilium non potuit. Quare 20 Oct. Pius IX id ad meliora tempora procrastinavit[3]). Postea Leo XIII *Concilium Vaticanum* declaravit terminatum. Etsi animorum commotio non statim desedit, paulatim tamen episcopi Ecclesiae catholicae omnes paruerunt. Contumaces clerici et laici ad veteres-catholicos transierunt[4]).

4⁰. Recenti tempore, in ipso Ecclesiae gremio natus est funesta **modernistarum** agitatio. Provocantes ad opiniones modernas, excogitarunt systemata, quibus non solum principa-

---

[1]) Denkwürdigkeiten des Fürsten Chl. Hohenlohe etc. I, p. 351 (cf. supra § 170 ad finem).

[2]) Collectio Lacensis, VII, 99.

[3]) Constit. *Postquam Dei munere.*

[4]) Cf. editionem ornatam: Actes et histoire du Concile de Rome, premier du Vatican, publiés sous la direction de Victor Frond, Paris 8 vols in fol.

liora dogmata Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis evertuntur, sed ipsa etiam dogmatis significatio pessumdatur, ut Ecclesiae nihil reliquum detur praeter somnia quaedam religiosa, sublato dogmate, auctoritate, aeternitate, ipso Christo. In Francia factionis caput est Loisy[1]). In Italia late diffusus error est. *Studi Religiosi* Florentini tuentur evolutionismum, Fogazzaro opiniones (Il Santo) divulgatissimae sunt, et periodici *Rinnovamento* scriptores publice resistere pergunt auctoritati ecclesiasticae. In Germania errores Schell aliorumque pariter effluunt e pantheismo, et evolutionismum religiosum pro fine habent[2]). Quod enim scripsit Schell: *Deus causa sui*, pantheismum Hegel in memoriam revocat. In Anglia Tyrrell non horruit proponere, ut universa fiat omnium dogmatum novatio, quod patuit ex ejus tristissima epistola et elucubrationibus, in periodicis *Rinnovamento* et *Quarterly Revue*. In America, jam abhinc pluribus annis Leo XIII damnavit *Americanismum*, seu liberiorem catholicismum, quem docuerat Hecker († 1888) ejusque asseclae. Inde etiam ab aliquo tempore apparuit omni freno vacua Scripturistarum licentia, qua non solum inspirationis verae rationem pervertere, sed integros etiam S. Scripturae libros eliminare conabantur. Non solum theologi et exegetae hos errores impugnarunt, sed etiam apologetae moderni[3]). Qui, falsae philosophiae scepticae principiis innitentes, nefasto ausu conati sunt praevertere ne fides repugnet scientiis modernis, neque animadvertisse videbantur se, ipso hoc malorum putato remedio, jam in errorem impegisse[4]). Quare S. Officii decretum **Lamentabili,** die 3 Julio 1907 approbante Pio X editum, propositiones 65 damnavit, quae, in speciem altioris scientiae et inquisitionis historicae, videntur dogmata defendere et ad penitioris scientiae rationem adigere, sed ex se et facto ea corrumpunt et auferunt. Primae theses 8 damnant crimen contemptae auctoritatis decretorum ecclesiasticorum, negantque virorum doctorum, censurarum auctoritatem

---

[1]) Ejus opera: *L'Evangile et l'Eglise* et *Autour d'un petit livre* Leo XIII in Indicem retulit.

[2]) Dogmaticam Schell jam pridem Leo XIII damnavit et in Indicem retulit.

[3]) *Laberthonnière*, Le dogmatisme moral, Paris 1906. *Blondel*, Quinzaine, 1904.

[4]) *J. F. de Groot* S. J., Een nieuwe grondslag voor de apologie; Geschiedenis en dogma volgens Blondel, Studiën 1904, Dl. 62, p. 383 sqq.; Dl. 63, p. 427. sqq.

infra se positam arbitrantium, autonomiam. Theses 9—19 damnant novam de S. Scriptura theoriam, tuentur ejus inspirationem et inerrantiam et reprobant prae ceteris horrendam sententiam Loisy, scriptores quum synopticos tum Evangelii quarti mutasse et aggravasse facta, quo homines facilius ad fidem converterentur. Theses 20—26 reprobant opiniones modernas de revelatione, de fide, de dogmate et dogmatis definitione. Theses 27—38 damnant christologiam Loisy, qui Christum qualem catholica fides profitetur putat legendarium et negat eum resurrexisse a mortuis. Theses 39—51 reprobant novae scholae doctrinam de sacramentis. Theses 52—57 damnant theoriam de Ecclesia modernam, toto caelo a vera Ecclesia discrepantem. Theses demum 57—65 reprobant evolutionismum absolutum et infinitum, qui omne verum absolutum et aeternum menti humanae denegat, negat certam Christi doctrinam et eadem semper manentia Ecclesiae dogmata, et putide docet, non posse cum vera scientia hodiernum catholicismum reconciliari, nisi mutetur et fiat catholicismus dogmatibus vacuus, i. e. nisi transeat in protestantismum liberalisticum (thes. 65)[1]. Die 8 Sept. 1907 edixit Pius X gravissimi momenti encyclicam **Pascendi dominici gregis mandatum.** Exponit, quae sint modernistarum principia philosophica et qua ratione his utantur in tractanda fide, theologia, historia Ecclesiae, scientia critica et apologetica et reformatione, quae eorum judicio valde est necessaria. Demum praescribit Papa, quae sint adhibenda remedia, ne pergat ulterius serpere error[2].

---

[1]) Nouvelle Revue théologique, 1907, p. 445. Nederl. Kath. Stemmen 1907, p. 197 sqq: Allocutie van Z. H. Pius X en de moderne dwalingen. Stimm. a. M.-L. 1907, II, p. 125 sqq.; p. 137 sqq.; p. 238 sq.; 1908, I, p. 583 sqq. Hochland, Mai 1907, p. 182 sqq.; Juli, 50. Etudes religieuses, 1907, III, p. 305, 393, 413. Civiltà cattol. 3 Aug. 1907, p. 257. Cf. Etudes 20 Mai, 5 Juillet, 5 Août. Rinnovamento, 1 Jan. 1907. *Le Roy*, Dogme et critique, Paris 1907. *George Tyrrell*, A much abused letter, London 1906. *Loisy*, L'Evangile et l'Eglise, Paris 1902. *Blondel*, Histoire et dogme, La Quinzaine, 1, 16 Février 1904. *Denzinger* ed. X, n. 2001 sqq.

[2]) Civiltà Cattol. Quad. 1375 Sept. 1907 et Quad. 1376: La condanna del Modernismo. *Denzinger*, ed. X, n. 2071 sqq.

CAPUT TERTIUM.

Ordines religiosi et congregationes. Missiones exterae.

§ 177–§ 178.

§ 177. Ordines religiosi et congregationes.

Otto Braunsberger S. J., Rückblick auf das katholische Ordenswesen im XIX Jahrhundert. Ergänzungsheft zu den Stimmen a. M.-L. 79, Freiburg 1901. *Dr. Max Heimbucher*, Die Orden und Congregationen der katholischen Kirche, II Bd., Paderborn 1897. *E. Keller*, Les congrégations religieuses en France, Paris 1880.

1⁰. Vix invenias historiae aetatem, quae frequentia vocationum et institutorum religiosorum aequet saeculum XIX. Licet destruere **ordines religiosos** saeculum XVIII inceperit et revolutio Gallica fere penitus perfecerit, tamen non solum emerserunt ordines antiquiores et paulatim damna accepta resarserunt, sed ortus est novarum congregationum ingens numerus, quae in partem laborum venerunt et nova perficienda creaverunt, temporum necessitatibus accommodata. Quamobrem, exeunte saeculo XIX, multo numerosiores fuerunt religiosi quam exeunte saeculo XVIII, licet **antiquiores ordines** nondum ad pristinam amplitudinem recipiendam attigissent.

2⁰. **Ordinis Benedictini** [1]) revolutioni superstites fuerunt abbatiae vix 30, fere omnes e congregatione Montis Cassini. Hodie supputat ordo monasteria 130, socios fere 5500. Constat pluribus congregationibus, inde ab anno 1893, sub regimine unius abbatis-primarii sociatis.

Cisterciensium ordinis numerosior est reformata pars **Trap-**

---

[1]) Revue de la Suisse catholique, Fribourg 1897. Statistique monastique. S. patriarchae Benedicti familiae confoederatae, Monte Cassino 1894, ed. *H. Walter*, Romae 1903. *Battandier*, Le cardinal J. B. Pitra, Paris 1896.

pistarum, quorum exeunte saeculo XVIII fuerunt monasteria 4, nunc fere 60 et socii 3500[1]).

Carthusianorum domus 135, tempore revolutionis, fere omnes perierunt. Saeculo XIX non nisi lentissime quae supererant convaluerunt. Sunt hodie earum 26[2]).

Praemonstratenses etiam, paulatim refocillati, nondum domus amplius 26 incolunt in Neerlandia, Francia et Austria-Hungaria[3]).

Qui antea numerosissimi fuerunt, **Eremitae S. Augustini,** anno 1895 provincias instituerunt 3, Hollandiae, Germaniae et Hispaniae. Sunt eorum domus fere 200, socii 2500.

Carmelitarum ordo quoque iterum incrementa cepit computabatque, exeunte saeculo XIX, socios fere 2800, quorum amplius 1800 ad discalceatos pertinent, amplius 900 ad calceatos.

Multas calamitates experti sunt **Franciscani** in Europae partibus meridionalibus. Ipse Leo XIII voluit esse ordinis protector et, anno 1897, sociavit familias **Observantium** quatuor, qui hodie sunt numero ad 17000. **Capucini** quoque aucti valde sunt, ut numerent hodie socios amplius 9200. **Conventuales** accreverunt ad socios amplius 1500. Sorores **S. Clarae** vivunt maxime in Italia. Sunt earum domus 144. Anno 1883, Leo XIII emendavit **tertium ordinem,** regulamque mitigavit ut multorum necessitati sit apta[4]).

Ordini **Praedicatorum,** auctore Lacordaire, aetas florentissima nata est. Per omnem terrarum orbem diffusi et scientia non minus quam eloquentia praeclari, numerantur socii fere 4400[5]).

Societas Jesu, suppressa a Clemente XIV (1773), sed esse pergens facto et jure in Russia, spiritum suum et indolem transmisit usque in saeculum XIX. Restituta die 7 Aug. 1814, vidit iterum tempora persecutionis et prosperitatis. Dum regna principum Borbonicorum everterentur omnia, accrevit perpetuo Societas, imo celerius quam ante suppressionem. Leo XIII

---

[1]) *Ch. Egremont,* L'année de l'Eglise 1899, Paris 1899, p. 26.

[2]) Der Karthäuserorden von einem Karthäuser der Karthause Hain, Dülmen 1892.

[3]) Stimm. a. M.-L., Bd. 46, p. 577.

[4]) Cf. *P. Braunsberger,* p. 54.

[5]) L'année Dominicaine, Paris 1897. *Cormier,* Vie du R. P. Jandel, Paris 1890. *Chocarne,* Vie du P. Lacordaire, Paris 1866, 2 vols.

confirmavit, 13 Julio 1886, privilegia, quae ei inde a S. Ignatii aetate fuerunt concessa [1]). Anno 1909 erant socii 16160, quorum 3522 operabantur in Missionibus exteris.

3⁰. E **novis virorum institutis, saeculo XIX** natis, memorari hic debent: **Congregatio Picpus** [2]), condita pro missionibus exteris, anno 1801, Parisiis, a P. H. Coudrin, et anno 1817 a Pio VII confirmata, nomine Societatis SS. Cordium Jesu et Mariae. Laborant praesertim socii in insulis Oceaniae et in quibusdam partibus Americae meridionalis.

Oblatos Mariae Immaculatae instituit, anno 1816, E. de Mazenod, episcopus Massiliensis. Sunt numero fere 1800 [3]), laborantes in regionibus torridis zonae tropicae et in terris algidis Americae septemtrionalis.

Maristae quoque anno 1816 instituti sunt a sacerdote Colin, et confirmati a S. Sede anno 1836. Sunt eorum domus fere 60 et socii amplius 800. Habent collegia et seminaria et praecipue laborant in insulis Oceaniae.

Assumptionistae, seu Augustiniani de Assumptione, fundati sunt 1840 a J. d'Alzon, vicario generali Nemausano. Innotuerunt praesertim per opera typographica et instruendis peregrinationibus in Terram Sanctam. Leo XIII iis demandavit ut unioni ecclesiarum Orientalium operam darent [4]).

Societas **Missionum Africae,** erecta a Marion de Brésillac, vicario apostolico Coimbatourensi, numerat socios 250, laborantes in terris ad sinum Guineensem.

Congregatio S. Spiritus, instituta a Poullard-Desplaces († 1709), anno 1848 unita est cum Congregatione **Sancti atque Immaculati Cordis Mariae,** fundata a Libermann († 1852). In variis missionibus laborant socii fere 1500.

Associatio Missionariorum **Mill-Hill** ortum habet a Vaughan cardinali, anno 1866, qui pro fine habuit ut in iis terrarum paganorum partibus, quae prae ceteris essent neglectae, Evangelium praedicaretur. Ad hanc *Societatem S. Joseph*

---

[1]) Vide breve Institut. Soc. Jesu, Florentiae 1892, Tom. I, p. 452 s.

[2]) Les Missions catholiques, Lyon 1901, p. 27.

[3]) Kath. Missionen, Freiburg 1900, p. 115.

[4]) *B. Fleury,* Statistique monastique. Revue de la Suisse cath., 28e année, 1827.

Hollandi multi accesserunt; missionum operibus incumbunt in Australia America et Africa [1]).

Societas missionum verbi divini **Steyl,** ab Arnoldo Janssen anno 1875 instituta, celerrime increvit. Sunt ejus socii hodie amplius 600, qui in variis missionibus dispersi sunt et etiam dandis exercitiis spiritualibus de populo christiano bene merentur [2]).

Magno zelo in Mongolia laborat Societas missionum Belgica de **Scheutveld,** quae fere 600 missionarios numerat (1863).

Salesiani Taurini conditi sunt a Don Bosco, juventutis neglectae apostolo. Scopus congregationis princeps est educare et ad vitam bene agendam instruere orphanos. Inceptis benedixit Deus. Anno 1900 erant societatis domus 243, socii 3655, qui discipulorum 400.000 curam habent [3]).

Fratrum laicorum congregationes praecipuae sunt **Fratres instructionis christianae,** instituti annis 1816—1820 a J. de Lamennais [4]). Anno 1900 jam numerabant fratres 2517, domibus 446 dispertitos. **Fratres Mariae,** fundati a Marcellin Champagnat (1817), qui computant fratres fere 8200, domibus amplius 750 divisos. Eodem fere tempore de la Chaminade canonicus instituit Burdigalae **fratres societatis Mariae** (Marianistes), qui instructioni primariae incumbunt; habent etiam aliqua majora collegia, quorum unum in Japonia. Praeterea in Hollandia oborti sunt **Fratres Scholarum S. Aloysii,** Oudenbosch (1840); **Fratres B. M. V. Misericordiae,** Tilburgi (1844) et praesertim **Fratres Immaculatae Conceptionis,** Trajecti ad Mosam (1840), quorum sunt domus 12, fratres amplius 400 [5]).

4⁰. **Feminarum instituta saeculo XIX** numerosa sunt. Principaliora memorentur: **Dames du Sacré Coeur,** anno 1800 institutae a beata M. S. Barat († 1865) [6]). Pro fine habent erudire filias nobiliores. Anno 1900 florentissima haec congregatio numerabat sorores 6756, dispertitas domibus 142 [7]).

---

1) Kath. Missionen, 1898.

2) *Hermann auf der Heide,* S. V. D. Die Missionsgenossenschaft von Steyl, Steyl 1900.

3) *P. Braunsberger,* p. 80 sq.

4) *Laveille,* Jean Marie de La Mennais, Paris 1903, 2 vols.

5) De fratribus in Hollandia vide Neerlandia catholica, Ultrajecti 1888, p. 369 sqq.

6) *Baunard,* Histoire de Mme Barat, Paris 1876, 2 vols.

7) *Braunsberger,* p. 76.

Sorores S. Josephi, Cluniaci institutae 1819 a Venerabili Anna Maria Javouhey[1]), per universum orbem dispersae, numero amplius 4000. Domus matrix Parisiis est[2]). **Sorores boni Pastoris,** ortae Andegavi, anno 1829, ut salutem praebeant feminis lapsis, per orbem terrarum universum diffusae sunt, incoluntque, numero amplius 5500, domos 210. Anno 1840 St. Servani fundatae sunt, a sacerdote Le Pailleur **Parvae sorores pauperum** (Petites sœurs des pauvres), quae ostiatim petunt alimenta pro alendis pauperibus. Earum numerus excedit 5000[3]). In Germania, anno 1842 natae, **sorores cinereae S. Elisabeth** curationi aegrotorum operam dant. Domibus 150 sunt sorores fere 1500, quae observant tertiam regulam S. Francisci[4]). Quam regulam etiam habent **Sorores S. Crucis** (Kreuzschwestern von Ingenbohl) cunctisque caritatis operibus operam navant. Fundator earum est Theodosius Florentini, Capucinus (1844). Anno 1901 numerabant sorores 3389[5]). **Sorores pueri pauperis Jesu** (des armen Kindlein Jesu), anno 1843 Aquisgrani institutae, educationi pauperum incumbunt. Tempore *Kulturkampf* migrarunt in Hollandiam et inde per varias regiones dispersae sunt. Numerant hodie fere 1500 socias, domibus amplius 30 divisas. Congregatio sororum **poenitentiae et caritatis christianae,** anno 1836 Heythusiae instituta pro instructione et cura aegrotorum, servant tertiam regulam S. Francisci habentque domos in Indiis orientalibus Neerlandicis, Brasilia, Statibus Unitis, Belgio et Germania. Anno 1901 erant numero 1850, domibus 62 dispertitae[6]). **Sorores caritatis,** Tilburgi anno 1832 institutae a Joanne *Z*wijsen, episcopo Silvaducensi, varia caritatis opera pro fine habent. Celerrime diffusae, habent domus fere 100, in America, Belgio, Anglia, Indiis orientalibus Neerlandicis et Hollandia. Numerus

---

[1]) *V. Caillard,* La Vénérable Anne-Marie Javouhey, 2e éd., Paris 1909.

[2]) *J. B. Piolet* S. J., Rapport sur les Missions catholiques françaises etc., Paris 1900, p. 112.

[3]) *Baunard,* Ernest Lelièvre et les fondations des Petites Sœurs des Pauvres, Paris 1905. *Leroy,* Histoire des Petites Sœurs des Pauvres, Paris 1902. La obra de las Hermanitas de los Pobres, Madrid 1898.

[4]) Die Congregation der grauen Schwestern der H. Elisabeth, Breslau 1892.

[5]) Katalog der Schwestern vom H. Kreuze, Institut Ingenbohl 1901.

[6]) Neerlandia Catholica, Utrecht 1888. Almanak voor Nederlandsche Katholieken, Amsterdam 1897, p. XLII.

earum excedit 2500[1]). Amersfortii Mathias Wolff S. J., anno 1822, instituit congregationem **sororum B. M. Virginis,** quae anno 1840 in duas partes divisa est. Pars altera, Brabantiae septemtrionalis, cujus domus matrix e pago Engelen, anno 1871, Silvam Ducis est translata, quaeque nomen habet **Societas Jesu, Mariae, Joseph** celerrime adeo accrevit, ut hodie domos numeret amplius 60, quarum nonnullae in Indiis Britannicis et Neerlandicis orientalibus. Sunt numero amplius 1500, operam dantes instructioni aliisque caritatis operibus[2]). Altera quoque pars, Amersfortii, incrementa cepit. Referri quoque merentur *sorores caritatis*, Trajecti ad Mosam, numero 478, domibus 15 distinctae, aliaeque sorores Rozendaal, Oorschot, Oudenbosch et Dongen[3]).

§ 178. Missiones exterae.

L. E. Louvet, Les Missions catholiques au XIX siècle, Lyon-Lille-Paris 1895. *Pilot* S. J., Les missions catholiques françaises au XIX siècle, Paris 1901—1903, 6 vols. *A. Brou* S. J., Les Jésuites missionnaires au XIX siècle, Bruxelles 1908. *P. M. Baumgarten,* Die katholische Kirche, Bd. III: Das Wirken der katholischen Kirche auf dem Erdenrund, Wien 1902. *O. Werner,* Katholischer Missionsatlas Freiburg 1885, 2e Aufl. *Idem,* Orbis terrarum catholicus, Freiburg 1890. *Streit,* Atlas des missions, Steyl 1906. Les Missions catholiques, Lyon 1868 sqq. Die katholischen Missionen, Freiburg 1873 sqq. De katholieke Missiën, 's Hertogenbosch 1874 sqq. Annales de la Propagande de la foi, Lyon 1832 sqq.

1°. Gravissimas clades receperant **missiones exterae,** posteriore parte saeculi XVIII, quum per suppressionem Societatis Jesu tum per revolutionem Gallicam. Saeculo XIX autem clades abunde sunt reparatae. Non solum enim ordines antiquiores cum ardore magno missionibus incubuerunt, sed etiam novi ad eundem finem instituti sunt. Praeterea, praeter jam memorata paragrapho superiore, multa ad informandos missionarios instituta prodierunt. Praeclariora sunt: S. Spiritus

[1]) Neerlandia Catholica, l. c. Onze Pius-Almanak, Alkmaar 1906.

[2]) Onze Pius-Almanak, Alkmaar 1907, p. 598. De congregatie der zusters van de H. Maagd, genaamd het gezelschap Jezus, Maria, Joseph. Historische schets (1822—1904) 's Bosch (s. a.)

[3]) Neerlandia Catholica, p. 384 sqq.

(1848), Mediolanense (1850), Lugdunense (1856), Scheutense (1863) et Lavigerie cardinalis (1868). Eundem finem prosequuntur scholae apostolicae Alberici de Foresta S. J., († 1876), quarum etiam extra Franciae fines fructus sunt saluberrimi. Pius IX Congregationem de Propaganda Fide ordinando novavit, quo factum est ut uberius cresceret et floreret. At regni Italiae gubernium eam partim reditibus spoliavit (1884)[1]. Ut autem laicorum quoque animi ad cooperandum missionibus moverentur, multae institutae sunt societates: societates Lugdunenses ad propagandam fidem (1822), societas S. Xaverii Aquisgrani (1832), societas S. Leopoldi in Austria (1839), societas S. Ludovici in Bavaria (1843), societas S. infantiae (1843), a Forbin-Janson episcopo Nanceii fundata. Postea nata insuper est societas missionum Africae, quae etiam in Hollandia uberes fert fructus. Floret quoque ibidem societas S. Petri Claver, pro missionibus in Indiis Neerlandicis, qua populus instruitur de iis rebus, quae aguntur in missionibus, missionesque in amore habere discit.

2°. In **Turciae** regno, lege annis 1839 et 1856, cultus libertas sancita est. Nihilominus catholici duros saepe dies agunt. Premuntur vectigali valde gravi et magistratus Mahumetici, fanatismo suo, molestias facessunt, Graeci schismatici perfidia et odio. Missionariis sunt multa dura perferenda. Tamen ex ordinibus antiquioribus et e recentioribus congregationibus sacerdotes curam animarum habent. Schola Jesuitarum, prius Gazir postea Berythi, uberes protulit fructus. Anno 1900, in Turciae parte Europaea erant catholici fere 300.000, in parte Asiatica amplius 600.000.

3°. In **India orientali** prodesse missionibus tentavit Gregorius XVI erigendo plures vicariatus, Calcuttae, Madras, Taprobane, Madurae (1834—1837). Consequens inde fuit triste schisma Goanense, fotum praesertim à Josepho de Sylva y Torres archiepiscopo. Duravit, donec 1886[2] Leo XIII hierarchiam in India et Taprobane restituit. Ad archiepiscopatum Goanensem pertinent episcopatus Kotsjinensis, Meliapourensis et Cranganorensis. In partibus Britanniae subjectis vicariatus Agranus, Bombayensis, Verapolitanus,

---

[1]) La propaganda e la conversione dei suoi beni immobili etc., Roma 1885.

[2]) *Bussière*, Histoire du schisme portugais dans les Indes, Paris 1854.

Madrasinus, Calcuttanus et Columbensis simul facti sunt archiepiscopatus; alii 15 episcopatus creati et omnes Propagandae subjecti sunt. Angli universe missionibus infensi non sunt, ita ut multa floreant seminaria et alia superioris instructionis instituta. Anno 1901 fuerunt, in India Anteriori et in insula Taprobane, catholici numero 1.524.625.

In **India posteriori** catholici fere semper crudeli persecutioni fuerunt obnoxii, praesertim in imperio Annamensi, ubi ineunte saeculo XIX fuerunt catholici fere 500.000. Altera illius saeculi media parte multo melior res fuit in finibus Siamensibus[1]), ubi catholici numerantur fere 1.000.000.

In **Indiis orientalibus Neerlandicis** cum fructu laborant Jesuitae, Patres SS. Cordis et Capucini.

In agris **Thibetanis** [2]) vix quidquam fieri potuit, resistentibus perpetuo Lamanis.

In **Corea** [3]) quoque perpetuae fuerunt catholicorum persecutiones, qui hodie sunt numero fere 50.000.

4°. In terra **Sinensium** [4]) persecutiones durarunt continuo ad annum 1820. Postea quoque beatus Perboyre (1840) et plures alii martyres interemti sunt. Paulatim tamen propitior aetas affulsit, quum Francogalli et Angli sedem fixerant Shanghai et Hongkong et pro christianis libertatem cultus vindicarant (1845). Imperatore Hiengfong (1850—1861), decretum fuit ut Europaei omnes expellerentur. Sed Francogalli et Angli armis coegerunt Sinenses, ut foedus Tientsin iceretur (1857—1860). Tamen angusta semper mansit christianorum conditio. Anno 1885, petiit ab imperatore Leo XIII ut christianos tueretur. Is non solum eos se protecturum promisit, sed in animo etiam habuit societatis perpetuum commercium cum S. Sede conjungere. At designatio nuntii apostolici incidit in difficultates cum Francia, protectore christianorum in extremo oriente (1886). Oborta nova persecutio, anno 1900 (Pugillatorum), promota est ab aula imperatoria. Indigenae multi martyres occubuerunt. Etiam Europaei et Neerlandici missionarii,

---

1) Kath. Missionen, 1873, p. 130 sqq.; 1875, p. 63 sqq.
2) Ibd. 1874, p. 81 sqq.
3) Ibd.
4) Ibd., 1878, p. 69 sqq.

inter quos Hamer episcopus. Gubernia Europaea tum iterum intercesserunt. Missionarii multi sunt, diffusi per vicariatus 40, catholici numero amplius 1.115.000.

Inde a tempore persecutionum saeculi XVII, solis Hollandis licuit in **Japoniam** [1]) intrare. Anno 1858, ex foedere inito cum Francia, Anglia et America, portus Nangasaki peregrinis apertus est. Qua opportunitate mox usi sunt missionarii. In insularum interiora penetrantes, invenerunt coetus christianorum, qui abhinc duo saecula steterant in fide, baptizaverant et assignatas olim a patribus Jesuitis preces perpetuo fuderant. Non tamen celeris fuit fidei diffusio. Primus coetus, Yokohamae a Gerard primo vicario fundatus, iteratae fuit persecutioni gravi obnoxius. Anno demum 1884, libertas cultus concessa. Leo XIII instituit archiepiscopatum Tokio, cum suffraganeis Nangasaki, Hakodate et Ozaka. Pius X Societati Jesu in civitate Tokiensi universitatem fundandam commisit. Nobilium impietas et rerum fidei despicientia satis gravia praedicationi objicit impedimenta. Sunt fere catholici 60.000.

5°. Etiam in **Africa** [2]), currente saeculo XIX, melior nonnihil est nata conditio. Mahumetani non sunt illi quidem ad fidem adducti, sed immigratione numerus catholicorum in septemtrione auctus est, postquam Francogalli, anno 1830, partem terrae occuparunt. Episcopatus, anno 1838 Algeriae erectus, factus est, anno 1867, archiepiscopatus cum suffraganeis Oran et Constantine [3]). Quae provincia ecclesiastica hodie computat catholicos fere 400.000. Pro finibus Tripolitanis et Mauritania est episcopus Ceutae. In **Africa occidentali** (Senegambia, Sierra-Leone et Guinea) missionis operi incumbunt praesertim Patres Congregationis S. Spiritus et Cordis Immaculati B. M. V.; in finibus Congonensibus sunt varii religiosi. Magna autem cepit Ecclesia incrementa in **Africa orientali.** In Caplandia, inde ab anno 1851, tres sunt vicariatus. Sunt quoque vicariatus instituti in regionibus Natal, Transvaal, Orange, Cimbebazia, Zambezi et Zanzibar. Insulis S. Mauritii (1847) et Réunion (1850) suus cuique est episcopatus. Reliquis insulis praeest praefectus apostolicus. In insula **Madagascar** jam inde ab anno 1841

---

[1]) Kath. Missionen, 1873, p. 25 sqq.; 1874, p. 25 sqq.

[2]) *L. de Béthune,* Les Missions catholiques d'Afrique, Lille 1889.

[3]) Kath. Missionen, 1879, p. 13 sqq.

operati sunt missionarii. Institutus est anno 1861 vicariatus apostolicus. At a parte protestantium (1869) magna objiciuntur impedimenta gravesque ab iis saepe patiuntur missionarii molestias. Augetur tamen fidelium numerus. In civitate principe numerantur 10.000. Damna gravia imminent a Francogallorum tyrannica persecutione religiosa. Sunt etiam vicariatus apostolici in Ægypto, in Aethiopia et apud Gallas.

In **Tunesia** [1]), inde ab anno 1857, catholicis libere exercendi cultus facta est potestas. Praeest archiepiscopus Carthaginensis, quam sedem erexit Leo XIII deditque episcopo Oranensi Lavigerie († 1892) [2]). Is optime meruit de his populis ad fidem adducendis. Congregatio (Pères Blancs) ab eo instructa in **Africa media** [3]) cum uberrimo successu missionibus occupatur. Ex incolis universae Africae 170.000.000, numerantur catholici amplius 3.000.000.

6⁰. **Australia,** anno 1787 ab Anglis occupata, a Pio VII ascripta fuit vicariatui apostolico S. Mauritii. Intrarunt primi missionarii anno 1820. Prae ceteris ibi laboravit Ullathorne Benedictinus (1832), effecitque ut potuerit institui vicariatus apostolicus Sydnejensis (1835). Deinceps celerrime accrevit numerus catholicorum, operante prae ceteris strenue Joanne Spolding († 1877), vicario apostolico. Anno 1874 fuerunt archiepiscopatus duo: Sydnejensis (1842) cum suffraganeis 6 et Melbornensis (1874) cum suffraganeis 5. Jam annis 1844 et 1869 coactae sunt synodi provinciales. Inter missionarios Jesuitas Austriacos eminuit Joannes Hinterröcker [4]). Hodie sunt in Australia archiepiscopatus 5 cum episcopatibus 14. *Nova Zelandia* [5]) habet unum archiepiscopum et episcopos tres; *Oceania* [6]) plures vicariatus apostolicos. Annis 1885 et 1895

---

[1]) Kath. Missionen, 1878, p. 51 sqq.

[2]) *Klein-Math,* Card. Lavigerie und sein Werk, Strassburg 1893. *Baunard,* Le Cardinal Lavigerie, Paris 1896.

[3]) *Comboni,* Hist. Ubersicht, und Schilderung des Zustandes des ap. Vic. von Central-Africa, Wien 1878. Kath. Missionen, 1877, p. 48 sqq.; 1878, p. 56 sqq.; 1888, p. 186 sqq.

[4]) *Feigl,* J. N. Hinterröcker S. J., Apostolisch Missionär in Australien, Linz 1875.

[5]) Kath. Missionen, 1877, p. 6 sqq.

[6]) Kath. Missionen, 1879, p. 7 sqq.

synodi nationales habitae, praeside Moran archiepiscopo, qui cardinalatus dignitate est ornatus[1]).

7⁰. In **America** sunt insuper missiones plurimae. In terris Neerlandiae subjectis, operi missionis incumbunt Dominicani, in insula *Curaçao;* Redemptoristae, in *Suriname.*

---

[1]) *Moran,* History of the catholic church in Austral Azia, Sidney 1896, 2 vols.

CAPUT QUARTUM.

Scientia ecclesiastica et ars. Vita liturgica.

§ 179—§ 181.

§ 179. Scientia ecclesiastica.

Hurter, Nomenclator literarius (1764—1894), ed. 2a, Oeniponte 1895 *Kihn*, Methodologie und Encyclopedie der Theologie, Freiburg 1892. *Bellamy*, La théologie au XIXe siècle, Paris 1904. Theologische Quartalschrift, Tübingen 1889—1907. *Batiffol*, Questions d'enseignement supérieur ecclésiastique, Paris 1907. De Godsdienstvriend, 's Gravenhage 1818 sqq. De Katholiek, 's Gravenhage 1842 sqq. Studiën op godsdienstig, wetenschappelijk en letterkundig gebied, 's Bosch 1868 sqq.

1°. Hujus periodi initium fuit **scientiae ecclesiasticae** valde iniquum. In multa magisteria et instituta theologiae catholicae penetrarat rationalismus. Praeterea serpere non cessarat Jansenismus, Gallicanismus et praesertim Josephinismus. Qui recte doctrinam catholicam tenebant viri docti, valde erant pauci. Studia scholastica parvi pendebantur, et nova inventa systemata, fere omnia, a vera doctrina plus minusve aberrabant. Neque melior conditio nata est e revolutione Gallica. In Francia et Germania scholae omnes ecclesiasticae eversae; in aliis regionibus, si non omnes, saltem plurimae. Superfuerunt in Francia et Germania instituta a guberniis ordinata, plena rationalismi et pantheismi, quibus haud pauci sacerdotes a recta via aberrarunt et, in multum saeculum XIX, pestifera errorum semina sparsa sunt. Paulatim tamen iterum vicit catholice sentiendi animus, quo factum est ut, praesertim post concilium Vaticanum, studia ecclesiastica ad magnam sint prosperitatem evecta.

2°. **Studia biblica,** saeculo XIX, ingentes progressus fecerunt, ob eam praesertim causam, quod scientiis auxiliaribus, fortasse plus quam unquam antea, viri docti incubuerunt. Nonnulli tamen, scientiae quam vocant critices nomine, plus quam par est

indulgentes, ad magnam audaciam pervenerunt, in statuendo textu, in judicanda authenticitate, in explicanda inspiratione[1]). Introductionibus multam operam navarunt Hug, Haneberg, Spirensis episcopus, Patrizi S. J. qui tradidit etiam commentarios valde doctos, Kaulen, Cornely S. J., Belser et Vigouroux. De textu biblico optime meruit de Rossi. Bonas versiones fecerunt Kistemaker, Loch et Allioli et, in Neerlandia, Beelen et Lipman. Novissima versio Veteris Testamenti Neerlandica[2]) et partis Novi Testamenti[3]) inter meliores numerari merentur. Inter eximios saeculo XIX exegetas, Schegg, Schanz, Bisping aliosque, praecipuo honore memorandi sunt auctores *Cursus Scripturae Sacrae*[4]), cui locupletando additur *Lexicon biblicum*. Pro archaeologia biblica, *Dictionnaire biblique*, auctoribus Vigouroux et qui cum eo laborant, gravissimi est momenti. Ne studia biblica a recto tramite aberrarent, Leo XIII, pauco ante obitum tempore, instituit *Commissionem Biblicam*, cujus sunt per varias orbis terrae partes consultores nominati. Nuperrime ordini Benedictinorum Pius X mandavit ut praepararent collectanea, quae necessaria sunt ad procurandam novam Vulgatae editionem. Societati Jesu idem Pontifex commisit Pontificium Institutum Biblicum in Urbe (1909).

3⁰. Quo vehementius Ecclesia impetebatur, eo fortius etiam **apologiae** est opera data. In Italia eminuerunt Gerdil cardinalis, Franco et Pellicani; in Hispania Balmes[5]) et Donoso Cortes. In Francia celeberrimi multi fuerunt: de Maistre[6]), de Bonald, Frayssinous, Chateaubriand[7]), oratores quatuor in B. M. Virginis Parisiis Lacordaire O. P., de Ravignan S. J., Felix S. J., Monsabré O. P.; dein episcopi Freppel, Dupanloup, Pie cardinalis, et vir laicus Nicolas. Apologetas etiam praeclarissimos procreavit ecclesia Anglica: Challoner, Milner, Howard, Wiseman, Manning, Newman et Faber. Nec minores

---

1) Vide decretum *Lamentabili*, 3 Julio 1907.
2) 's Hertogenbosch 1894 sqq.
3) Amsterdam 1906.
4) Parisiis 1885 sqq.
5) El protestantismo comparado con el Catolicismo, Barcelona 1842—1844.
6) Du Pape, Paris 1820. Soirées de S. Pétersbourg, Paris 1821.
7) Génie du christianisme, Paris 1802

aut minus celebres fuerunt Germani: Drey, Vosen, Hettinger, Weiss, Gutberlet, Schanz et, e schola ultra-modernistica, Schell. In quem errorem etiam nonnulli apologetae in Francia impegerunt[1]).

4⁰. Theologia **dogmatica,** ineunte saeculo XIX, valde fuit deorsum acta, tota quasi sub imperio philosophiae rationalisticae. A methodo positiva, quam secuti erant Liebermann, Heinrich, P. Hilaire O. C., Perrone S. J. et Passaglia S. J., redierunt tandem ad medii aevi doctrinam scholasticam. Optime de hac doctrina **neoscholastica** meruerunt: de San S. J., Scheeben, K. Werner, Kleutgen S. J., Stöckl, Franzelin S. J., cardinalis. Multa optima etiam praestiterunt Palmieri S. J., Gousset cardinalis, Kenrick archiepiscopus et Denzinger. Manualia bona confecerunt Perrone S. J., Berlage, Dieringer, Hurter S. J. et Pesch S. J.; in Hollandia quoque Mannens et van Noort. In historia dogmatis et patrum, praeclariores fuerunt: Möhler, Schwane, Bach, Ginouillac episcopus, Kihn, Fessler-Jungmann, Bardenhewer et Funk.

5⁰. De theologia **morali,** saeculo XIX, theologi optima opera ediderunt: Gury et Gousset, Scavini, Ballerini S. J., Frassinetti, Berardi, Lehmkuhl S. J., Aertnys C. SS. R., Génicot S. J., Marc C. SS. R., Konings, Bouquillon, et praeter alios nuperrime Noldin S. J. Multa etiam periodica de hujus scientiae argumento agunt.

6⁰. **Juri canonico** quoque viri doctissimi operam dederunt: in Germania Walter, Permaneder, Phillips, Aichner, Heiner, Sägmüller, Schulte et Vering; pro literatura praesertim Maassen et Schulte; in Francia Bouix et Craisson; in Italia Devoti, Tarquini S. J., cardinalis, Santi, de Angelis et prae reliquis Fr. Xav. Wernz S. J. In Francia et Germania scriptores plurimi suam quique partitionem sequebantur; contra in Italia vulgo tenebant divisionem in quinque partes.

7⁰. Reformationis et revolutionis Gallicae causa, fere omnes **Universitates** a guberniis fuerant occupatae. Consequens fuit ut tutelae Ecclesiae eriperentur et fierent rationalismi et incre-

---

[1]) Cf. *de Groot* S. J., Studiën, Dl. 62 (1904). Een nieuwe grondslag voor de apologie.

dulitatis fomites. Quare Ecclesia, quo magis vires recipiebat, eo magis etiam cogitare coepit de instituendis suis Universitatibus catholicis. Prima condita fuit Lovaniensis (1834), deinceps Lavallensis in finibus Canadensibus (1852), Dublinensis (1852), Pictaviensis (1875), Insulana (1876), Andegavensis, Parisiensis, Tolosana et Lugdunensis anno 1877, Washingtoniana (1889) et Friburgensis in Helvetia (1889). In Germania, concepta et tentata omnia a guberniis irrita facta sunt[1]). In Hollandia quoque res in diuturno desiderio fuit. Tandem, condito *instituto S. Radbodi* (1905), initium saltem rei factum est.

---

§ 180. Ars ecclesiastica.

Atlas *Herder*, Histoire de l'art illustrée, 146 planches avec un précis de l'histoire de l'art, table des gravures détaillée et table des matières, Fribourg. *Springer*, Geschichte der bildenden Künste im XIX Jahrhundert, Leipzig 1858. *Reber*, Geschichte der neueren deutschen Kunst, Stuttgart 1874. De katholieke kerken in Nederland, d. i. de tegenwoordige staat dier kerken met hunne meubeling en versiering beschreven en afgebeeld. Uitgegeven onder leiding van Dr. P. J. H. Cuypers, text door Jan Kalf, te Amsterdam in het jaar 1906. *G. W. van Heukelum*, de St. Nicolaaskerk van Jutfaas. Een dorpskerk als bouwwerk beschreven door Dr. H. J. A. M. Schaepman en met het oog op hare versiering nader verklaard, Utrecht 1906. *J. Strygowski*, Die bildende Kunst der Gegenwart, Leipzig 1907. *Alphonse Germain*, L'art religieux au XIX siècle en France, Le Correspondant 25 Oct. 1907.

1⁰. Stilus, cui nomen rococo, saeculo XVIII ad summum insulsitatis apicem evectus, ulterius ferri non potuit. Quamobrem artifices, nova non invenientes, ad vetera redierunt. Vix invenias structuram quam non novaverint architecti eclectici. Schinkel († 1841) conatus est saeculo XIX **architecturam Graecam** religiosa structura reddere. Siebland Monachii aedificavit pulcherrimam S. Bonifatii stilo *basilicae*. A. Hardegger, in exstruenda S. M. V. Tigurii, imitatus est ipsas structuras *Ravennatenses*. Tamen vicerunt mox structurae *Romana* et *Gothica*. Hanc praesertim cum magna veneratione viri doctissimi et architecti peritissimi coluerunt. Scripserunt ad commen-

---

[1]) *Pfülf*, Kard. J. von Geissel, Freiburg 1895—1896.

dandam eam, in Francia Rio et Montalembert[1]), in Germania Augustus Reichensperger, auxiliantibus Görres et Boisserée[2]). Architecti, structura Gothica famam celebritatis consecuti sunt Viollet-le-Duc, qui etiam majorem scriptis suis[3]) celebritatem obtinuit; H. Ferstel aedificanda ecclesia *Votiva* Vindobonae; Zwirner perficienda cathedrali Coloniensi[4]); praeterea Gärtner Monachii, Schmidt Vindobonae. In Anglia princeps fuit Pugin. Vix tamen alibi pari ubertate floruit structura Gothica atque in Hollandia. Dum Alberdingk Thym cum reliquis scriptoribus periodici, cui nomen *Gildeboek*[5]), doctissime structuram commendat et describit, et societas, cui nomen Sint Bernulphus-gilde, eximie eam tuetur, fuit vir ingenio felicissimo et uberrimo, Dr. P. J. H. Cuypers, qui magno numero ecclesias pulcherrimas aedificavit in Hollandia, et plurimos peritissimos discipulos formavit. Fuerunt quidem, etiam recentissima aetate, qui quaesierint *novum* excogitare aedificandi stilum, sed frustra; vix quidquam praestiterunt, quod vetera non imitetur et pulchritudinis rationi satisfaciat. Sunt tamen plurimi praeclarissimi artifices, qui spem faciant fore ut successum habeant.

2°. Ars **sculpturae** paucos numeravit primi nominis artifices. Primus omnium memorandus **Antonius Canova** († 1822), qui, veterum classicorum exemplis inhaerens, exilem curam adhibuit arti ecclesiasticae, nec fuit vir animo intime religiosus. Idem dici potest de Dannecker († 1841) Stuttgartiano. Superavit utrumque **Berthel Thorwaldsen** († 1844), Danus, qui, ad Graeca exempla recurrens, in argumentis religiosis saepe frigidum se praebuit. Optima perfecerunt Monachii **L. v. Schwannthaler** († 1848), Senis **Joannes Dupré** († 1882), Romae **Gulielmus Achtermann** († 1848) Monasteriensis, cujus opera plena sunt sensus et pietatis (Pietà, depositio de cruce

---

[1]) *Montalembert*, Du vandalisme et du catholicisme dans l'art, Paris 1839.

[2]) Vide tabellam multorum scriptorum Reichensperger apud *Pastor*, Aug. Reichensperger, Freiburg 1899, Bd. II, p. 449—474.

[3]) *P. Clemens*, Die Denkmalspflege in Frankreich, Berlin 1898. *Viollet-le-Duc*, Dict. de l'archit. franç., Paris 1854—1869, 10 vols.

[4]) *Ennen*, Der Dom zu Köln, Köln 1880.

[5]) Tijdschrift voor kerkelijke kunst en oudheidkunde, uitgegeven door het Sint Bernulphus-gilde te Utrecht, Utrecht 1872—77.

Monasteriensis, altare Pragense). Sculptores Francogalli realismo nimis indulserunt nec fuerunt artis ecclesiasticae usu periti. In Hollandia **Royer** et **Bart van Hoven** celebritatis nomen assecuti sunt.

3⁰. Ad magnam praestantiam pervenit **ars picturae,** praesertim in Austria et Germania. Initia cepit a **Frederico Overbeck** († 1869) ejusque familiaribus, Romae. Multas pinxit tabulas argumento religioso, in quibus blanda lenitate allicit animos (vincens religio in arte ; assumptio B. M. V.). **P. von Cornelius** († 1867) pinxit fortia et significatu subtilia (judicium extremum). Poetico conceptu et sensus plenitudine eminuit **Joseph von Führig** († 1876). Colorum varietate praecelluit **Eduardus von Steinle** († 1886), delineamentis robore et ingenio plenis **Julius Schnorr von Carolsfeld** († 1872).

Scholam Düsseldorpii [1]) condidit **Gulielmus Schadow** († 1862). Cujus fuerunt praecipui artifices **Ernestus Deger** († 1885), **Ittenbach** († 1879), **Andreas Müller** († 1890), **Carolus Müller** († 1893), qui una simul confecerunt celeberrima opera tectoria in ecclesia S. Apollinaris Remagii.

Scholam Monachii[2]) condidit, qui jam memoratus supra, P.v. Cornelius. Cujus fuerunt optimi socii **Henricus Hess** († 1863), **Schraudolph** († 1879), qui fecit tectoria in cathedrali Spirensi, jam supra relatus Carolsfeld protestans et **L. Seitz.** Francofurti et Moguntiae optima confecit Philippus Veit (†1877), Judaeus ad fidem conversus. In Helvetia, picturae ecclesiasticae artem coluit P. van Deschwanden. In Francia, parum fuit exculta. In Belgio, bona pinxerunt Antony, Rosier aliique nonnulli. Benedictini condiderunt **scholam Beuronensem,** quae solis argumentis religiosis occupatur et inhaeret principiis severissimis, adversus naturalismum hodiernum. In Anglia memorari merentur praeraphaëlitae Brown, Hunt et Burne Jones. In Hollandia, Dr. Cuypers cum schola sua et Mengelberg multas picturis ornarunt ecclesias. Alii quoque, prae ceteris Derkinderen, bona fama gaudent. Recentissima

---

[1]) Vide *F. Kaufmann*, Andreas Müller, Frankfurt 1895. *Finke*, Karl Müller, Köln 1896.

[2]) *Müller-Singer*, Allgemeines Künstler-lexicon, 3 Aufl. Frankfurt 1894.

aetate germinavit schola moderna, quae bonam sui praebet exspectationem[1]).

4°. Magna cum industria, saeculo XIX, **cantus ecclesiasticus** est excultus, praesertim a scholis **Monachensi, Ratisbonensi, Aquisgranatensi** et, in Francia, **Solesmensi**. In hoc praecipuum studium est positum ut corruptus et pene obliteratus **cantus choralis** ad pristinam integritatem reduceretur, ut minueretur musica instrumentalis et perficeretur cantus organi. Optime de his meruerunt, in Germania, Ett, Aiblinger, Proske, Mettenleiter, Fr. Xav. Haberl et prae ceteris Franz Witt, qui condidit et omni ope promovit *societatem S. Caeciliae* (1868). In Hollandia, ad eundem obtinendum finem, instituta est *societas S. Gregorii*[2]). In Francia, praecipui fuerunt Benedictini et praesertim Dom Guéranger et Dom Pothier. In oratorio religioso hodie eminent Hartmann et Perosi.

---

§ 181. Vita liturgica.

Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis. Auctoribus presbyteris S. J. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad Lacum, 8 Tomi, Friburgi 1870 sqq. *Dr. H. A. Heinrich Kellner*, Heortologie, oder das Kirchenjahr und die Heiligenfeste in ihrer geschichtlichen Entwicklung, IIe Aufl. Freiburg 1906, p. 25—28. *Baunard*, Un siècle de l'église de France, (1800—1900), Paris 1901. *Brück*, Geschichte der katholischen Kirche im XIX Jahrhundert, Mainz-Münster, 1887—1905, B. 1—4.

1°. Revolutio Gallica et, quod consecutum est, saeculum XIX ingentis mutationis causa fuit in ratione cleri cum statu. In multis terrae partibus Ecclesia a statu est separata. **Privilegia cleri** omnia perierunt : *jus asyli, privilegium canonis*, jus ecclesiae in decimas, immunitas bonorum ecclesiae a vectigali etc. Omne regimen civile clero ademptum est. Licet Ecclesia, saltem theoretice, aliqua ex his juribus sibi vindicare pergat, tamen in nonnullis concordatis, temporum habita ratione, ab iis desistere debuit. Sed per eam spoliationem sunt etiam abusus

---

[1]) Vide de his periodicum „van onzen Tijd" passim.

[2]) Cf. Gregorius-blad, Tijdschrift tot bevordering van kerkelijke toonkunst, onder redactie van *M. J. A. Lans*, Haarlem 1876 sqq.

nonnulli in perpetuum aboliti. Imprimis **commendae,** quibus, etiam post Tridentinum, prioratus et abbatiae dabantur non-regularibus. Dein major fuit in eligendis episcopis et canonicis libertas, eo quod etiam nobiles suis sunt spoliati privilegiis. Tandem episcopi hodie non amplius sunt nec principes nec milites, sed tantum pastores et rectores ecclesiae, quam quique unam solam habent.

2°. **Festa ecclesiastica** *pro foro* saeculo XIX aucta non sunt, sed *pro choro* multa sunt addita. Officia plura addita in memoriam passionis Dominicae. Sancti festaque vel **officio** novo coluntur, vel inscribuntur altiore gradu: e. c. Timotheus, Titus, Ignatius M., Polycarpus, Justinus, Joannes Damascenus, Bonifatius, Cyrillus et Methodius, Cyrillus Hierosolymitanus, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus Anglicus, Josaphat, Joachim, Visitatio B. M. V., Immaculata Conceptio, Josephus, qui simul factus est *patronus Ecclesiae* (1870). Declarati sunt **doctores Ecclesiae:** Petrus Damianus (1828), Bernardus (1830), Hilarius Pictaviensis (1851), Alphonsus de Liguorio (1871), Franciscus Salesius (1877), Venerabilis Beda (1899); S. Thomae Aquinati additus est titulus *patroni scholarum omnium catholicarum* (1880).

3°. **Exercitia pietatis** aucta sunt valde. Imprimis exercitium *quadraginta horarum* ita accrevit ut in multis dioecesibus, singulis anni diebus, saltem in una ecclesia aut in uno sacello, sit adoratio SS^{i}. Exercitium *viae crucis* etiam multo frequentius obitur. Sed, prae ceteris omnibus, exercitia pietatis in honorem *SS^{i} Cordis Jesu* in immensum crebriora facta sunt. Pius IX festum extendit ad universam Ecclesiam, Leo XIII ad ritum *duplicis primae classis* evexit. Immo vero universus terrarum orbis solemniter SS. Cordi Jesu dedicatus est (1900). Promovit etiam Pius IX devotionem purissimi Cordis B. M. V. Exercitium mensis Maji ita crevit, ut factum sit universale. Mensem Octobrem celebrandum, rosarii exercitio, Leo XIII iteratis brevibus praescripsit.

4°. **Jejunium** et **abstinentia** generatim mitigata sunt, praecipue in partibus septemtrionalibus, ubi mixtus est populus. In multis dioecesibus dispensatum est in jejunio diebus rogationum et in abstinentia die sabbatho. In concedendis cibis esurialibus, degentibus in diversoriis facilis fuit Ecclesia. Op-

portunum visum non est certam pro tota Ecclesia praescribere jejunii legem; quare episcopis facta est potestas in quibusdam capitibus, pro temporum et rerum adjunctis, dispensandi.

5⁰. Frigidae religionis despicientiae, quae erat temporibus saeculi XVIII et ineuntis XIX, successit aetas, qua **vita religiosa** populi catholici majore in dies fervore floruit. Multo crebrius coeperunt fideles suscipere sacramenta, associari congregationibus, societati S. Familiae, et confraternitatibus, interesse missionibus ad populum, et exercitiis spiritualibus. Vix invenias in Ecclesia memoriam aetatis, qua frequentior fuerit vocatio ad statum religiosum, major, temporum rerumque habita ratione, religiosorum numerus, generosior eorum ad suscipienda omnimoda caritatis opera fervor animusque. Adde liberalitatem catholicorum in erigendis sustentandisque scholis catholicis in multis regionibus, puta in Anglia, America, Hollandia et Belgio. Praeterea, quantae sunt factae expensae pro aedificandis ornandisque ecclesiis in Hollandia et alibi. Nec fuit unquam aetas, qua pari ubertate floruerint missiones exterae. Qua re testimonium habes generositatis populi catholici, qui non solum filios suos in missiones mittat, sed etiam procuret, quae necessaria sunt ut missionibus provideatur. Nec praetermittendum, praesertim tempore persecutionum splenduisse, quantus fuerit populi amor Ecclesiae, quanta constantia confitendae fidei. Cogita de tyrannica agendi ratione in Russia et Polonia, de luctamine in Germania (Kulturkampf) et recentissimo tempore in Francia. Demum non fuit unquam tempus, quo pari pietate erga S. Sedem populus catholicus splenduerit, ac regnantibus ultimis tribus Summis Pontificibus.

6⁰. Sunt tamen etiam haud pauci, qui **paulatim deorsum** eant et ad incredulorum partes transeant. Praesertim, qui scientiis aliquatenus incubuerunt, saepe tepidi et in fide ambigui reperiuntur. Qui dein facile exercitia pietatis negligunt et paulatim ad abjiciendam fidem prolabuntur. Plebi autem exitio sunt praesertim socialistarum principia, et matrimonia mixta, quae in partibus septemtrionalibus multo nimis frequenter ineuntur.

7⁰. Multos tamen saeculum XIX quoque protulit utriusque sexus personas eximiae sanctitatis. Puta, praeter supra jam relatos, Papas Pium VII et Pium IX; Elisabeth Seton († 1821), quae, ad fidem catholicam reversa,

prima soror caritatis fuit in America Septemtrionali; Elisabeth Canori Mori († 1825) et Annam Mariam Taigi utramque tertii ordinis S. Francisci; Mariam Lataste, e congregatione SS[i] Cordis; beatam M. S. Barat († 1865); Venerabilem A. M. Javouhey († 1851); Wendelinam Borghese, Romae († 1840), et reginam Christinam Sabaudianam († 1830); praeterea Jesuitas P. Pignatelli († 1811), P. Picot de la Clorivière († 1820), P. Aloysium Solari († 1829), P. Pacelum Capelloni (†1857) et P. Ginhac (†1895); celeberrimum Don Bosco, qui tantos labores sustulit in salutem puerorum; mirabilem virum beatum J. B. Vianney († 1859), parochum Ars; P. Theodosium Florentini († 1865), in Helvetia celeberrimum; in America, episcopos Gertland et Baron; in Francia, Donnet et Cheverus cardinales; in Germania, Sailer et Wittmann episcopos; in Austria Rudigier, episcopum Linzensem; in Hollandia, Petrum Donders missionarium in Suriname. Memorari quoque possunt feminae exstaticae: Catharina Emmerich († 1824), Maria van Mörl et Dominica Lazzari in Tirolide; nostra quoque aetate, quae jam celebritatis fama gaudet, Maria a Div. Corde (Droste zu Vischering), quae, simplex monasterii boni Pastoris superiorissa, auctor fuit Leoni XIII dedicandi SS. Cordi universi terrarum orbis.

CAPUT QUINTUM.

PROTESTANTISMUS ET ECCLESIA ORIENTIS SCHISMATICA.

§ 182—§ 183.

§ 182. **Protestantismus.**

Hering, Geschichte der kirchlichen Unionsversuche, Leipzig 1636. *Stahl*, Die lutherische Kirche und die Union, Berlin 1859. *Zenker*, Der Gustav-Adolf-Verein in Haupt und Gliedern, Leipzig 1882. *Jörg*, Geschichte des Protestantismus in seiner neuesten Entwicklung, Arnheim 1862, 2 Bde. *Fr. Hettinger*, Die Crisis des Christenthums, Freiburg 1881. Stimm. a. M.-L., Jahrg. 1872. *Rauwenhoff*, Geschiedenis van het Protestantisme, Haarlem 1871, 3 Dl. *Zahn*, Abriss einer Gesch. der evang. Kirche auf dem europäischen Festlande im 19 Jahrh., 3e Aufl., Stuttgart 1893. *G. Goyau*, l'Allemagne religieuse, Paris 1898.

1⁰. Inde a saeculo XVI facta sunt iterata, sed semper irrita, conamina ad unum reducendi Lutheranos et Calvinistas. Anno autem saeculari 1817, in Germania, procurante Frederico Wilhelmo, **unio** sociata est[1]). Nimirum convenerunt ut Lutherani et Calviniani in unam conjungerentur ecclesiam, quae, omissis rebus non-essentialibus, solam teneret christianismi essentiam, quam utraque pars confitebatur. Initiis satis prospere res agebatur. Unio recepta est, non solum in Borussia, verum etiam in Nassavia (1817), in Palatinatu (1818) in Wurtembergia (1820, in finibus Badensibus (1821) et in Hassia (1822). *Agenda* Berolinensia, quibus describendis rex ipse collaborarat, unionem perfectura dicebantur et firmatura. Mox tamen orta vehemens lis est, qua periclitabatur unio. Debuerunt *agenda* non solum mutari. sed etiam per vim induci (1829). Deinceps crebriores formati sunt coetus liberi singulares. Synodus quo-

---

[1]) *Scheibel*, Aktenmässige Geschichte der neuesten Unternehmung einer Union, Leipzig 1834, 2 Bde.

que generalis Berolinensis (1846) successum non habuit. Quo facto, sperabant unionem afferendam Evangelica societate (*Evangelical alliance*), orta in Anglia (1846), omnes per universum orbem terrarum dispersos protestantes comprehensura. Cujus socii in Germania suum condiderunt periodicum *Neue Evangelische Kirchenzeitung*, quo tamen mox incepta est propagari impietas. Anno 1848, protestantes orthodoxi instituerunt societatem ecclesiasticam Evangelicam (*Kirchenbund*), sed inter eos non convenit de confessione Augustana. Post, instituta a Bluntschli societas protestantium (*Protestantenbund*) multo liberius res fidei tractavit; negavit religionem christianam supernaturali modo ortam esse (1865). Demum, anno 1887, instituta est societas Evangelica (*Evangelischer Bund*), ut viribus sociatis impugnaretur Ecclesia catholica. In solo odio Romano unitas est inventa. Ceterum non valde fervet protestantium religionis ardor. Etenim, eorum ipsorum judicio, masculorum parum plus quam una centesima pars ecclesiam frequentat.

2°. In **Scandinavia,** gubernia res omnes religionis moderantur. Haud parum tamen serpit rationalismus et indifferentismus, praesertim in Dania et Norvegia. Fervor vitae religiosae nullus.

3°. In Hollandia, anno 1795 sacra publica perierunt. Decreto 6 Januario 1816, Gulielmus I statuit rationem ecclesiae reformatae ad regnum novum. Sic aditus apertus est ad magnam doctrinae libertatem. Qua libertate perpetuo licentius usi sunt reformati, auxiliantibus massonum sectis et societate, cui nomen fuit „ad utilitatem communem". Praeibat ipse rex Gulielmus liberalismo suo moderato. Instituta mox est **schola Groningana** [1]), duce Hofstede de Groot [2]), quae condidit periodicum, cui titulus *Veritas in Caritate* (1830—1840). Rejecit schola plura reformatorum dogmata et mox appellabatur: ecclesia sine symbolo. Quare orthodoxi praedicantes, H. de Cock et P. H. Scholte, fortiter turpissimos eos errores impugnantes, suos ad ineundum coetum congregarunt, cui mox nomen datum est *Ecclesiae separatorum* [3]). Gubernium autem noluit, fieri coetus

---

[1]) *P. Hofstede de Groot*, De Groninger godgeleerden in hunne eigenaardigheden, Groningen 1855. *Idem*, Vijftig jaar in de theologie, Groningen 1872.

[2]) *Heerspink*, Dr. P. Hofstede de Groot's leven en werken, Groningen 1898.

[3]) *Schot*, Voorbereiding en aanvang der in de N. H. Kerk in de eerste helft der XIX eeuw voorgevallen afscheiding, Utrecht 1849.

singulares, dispersit congregatos et in poenam milites tecto recipere coegit. Restiterunt constanter *separati* et condiderunt seminarium Campense (1854), postquam a Gulielmo II libertatem sibi obtinuerant. Tamen cum aliis ecclesiis reformatorum non ante annum 1870 aequiparati sunt[1]).

Aliud, ad excitandum religionis fervorem, gravissimum momentum fuit id, quod appellatum est **réveil**[2]), quod, e Geneva traductum, indolem tamen accepit Hollandicam, et plures viros eximios, puta Da Costa, Groen van Prinsterer, Heldring, Wormser aliosque ad pietatem et labores strenuos inflammavit. Coetum ecclesiasticum condere non spectabant, sed promovere regenerationem, fidem individuam in Christum Deum, in S. Scripturae inspirationem et alia hujus modi conabantur. At his opposuerunt se **ethici**[3]), auctore Chantepie de la Saussaye, qui veri nominis dogmata non profitebantur, et praesertim **moderni**[4]), qui, maxime scholae Tubinganae principiis inhaerentes, respuebant omnem theologiam orthodoxam, et, contenti philosophica quadam de moribus doctrina, pietatem omnem suam collobabant in ethico humanismo. Quorum quo minor fuit fides, eo major splenduit scientia. Opzomer, Scholten, Hoekstra, Rauwenhoff, Kuenen, Tiele, Pierson, Réville aliique fuerunt viri doctissimi. Dolendum tamen, quod nonnulli eorum nimium se regi permiserunt principiis scholae Tubinganae, cujus methodus jam diu rejecta est.

Hodie incredulitati oppositae sunt, quae vocantur ecclesiae reformatae. Jam sua aetate Groen van Prinsterer doluit de nimia protestantium in rebus fidei licentia; quare defendit separatos[5]) et postea ad eorum partes se adjunxit. Ob eandem causam et etiam ob legem de instructione superiore, Dr. A.

---

[1]) *Ter Haar*, Afscheiding en doleantie in verband met het kerkbegrip, Leiden 1890.

[2]) *Wagenaar*, Het „Reveil" en de „Afscheiding," Heereveen 1880.

[3]) *Bavink*, De theologie van Prof. Dr. D. Chantepie de la Saussaye. Bijdrage tot de kennis der ethische theologie, 2e druk, Leiden 1903.

[4]) *A. Pierson*, De oorsprong der moderne richting, Haarlem 1862. A. Réville, Het goed recht der moderne richting (uit het fransch), Haarlem 1864.

[5]) *Groen van Prinsterer*, De maatregelen tegen de afgescheidenen aan het staatsregt getoetst, Leiden 1837.

Kuyper [1]) separavit se et factus est **dolentium** caput. Anno 1879 instituerunt societatem pro promovenda instructione superiore et 1880 inceperunt universitatem liberam. Quum autem praedicantes, in hac universitate formati, non agnoscerentur, dolentes instituerunt *ecclesiam reformatam Neerlandicam*, quae sui juris esset. Cum his sociarunt se, anno 1892, separati, atque ita simul unitae vocantur **ecclesiae reformatae Neerlandicae.** Optime de his meruit Dr. Kuyper, quo auctore *separati* et *dolentes*, viribus unitis, modernorum impietatem impugnant [2]).

4°. In **Anglia** [3]), currente saeculo XIX, dissentientes omnes (dissenters) cultus libertatem obtinuerunt. Abrogata lex (testact) est, abrogata obligatio infantes tradendi baptizandos ministris cultus publici (1828). Aequiparatis autem sic confessionibus cunctis, amplitudine **High Church** valde depressa est et apud inferiores populi ordines fere tota evanuit. Porro pietas et ardor fidei languet. Simonia valde frequens est et late viget abusus, quod qui munera occupant, officia muneris praestanda tradunt vicariis, pretio conductis. Praeter *hich church*, sunt ecclesiae rationalisticae duae et orthodoxae duae. **Broad Church** non aliud postulat quam christianismum, principiis philosophorum Germanorum exstructum; **Essayistae** porro, inde ab anno 1860 Oxoniae nati, libertatem inquirendi extremam usurpantes, fere omnia everterunt. Orthodoxi vero sunt imprimis **Evangelici** (*Evangelical party*), qui Calvinismum et 34 articulos tenent, et **Tractariani,** auctore Pusey (†1882). Dein **Ritualistae,** qui impugnant 39 articulos, probant septem sacramenta, Sacrificium Missae, transsubstantiationem, caelibatum, et caeremonias omnes Ecclesiae catholicae revocare conantur. Tractarianorum multi jam ad catholicam fidem reversi sunt.

In **Scotia,** fervorem novum excitavit Chalmers († 1874), condita **libera ecclesia presbyteriana,** cui hodie adhaerent incolarum tertia pars. In **Helvetia** quoque, adversus rationalismum instituta est **ecclesia libera**, quae prosperitate effloruit,

---

[1]) *W. H. de Savornin Lohman*, Dr. A. Kuyper (in Mannen van beteekenis), Haarlem 1899.

[2]) De sectis in Hollandia, vide „Kerk en Secte" onder redactie van Dr. S. D. van Veen, Utrecht 1907.

[3]) *Zahn*, Abriss einer Geschichte der evangelischen Kirche im britischen Weltreiche, Stuttgart 1891.

praesertim in parte Gallica et pago Bernensi. Doctrinae Calvinianae vix quidquam superest; viget impietas et rationalismus. Ineunte saeculo XIX, etiam in **Francia** protestantes nacti sunt libertatem cultus. Anno 1848 nata est **ecclesia evangelica libera.** Non tamen desiit protestantium, numero 650.000, perpetua discordia. In Americae **Statibus Unitis** numerantur sectae amplius 70, quarum Methodistae et Baptistae plurimos supputant asseclas. Major tamen incolarum pars ab omni religione abest. Nobiliores inhaerent ecclesiae episcopali, cives sectis, pauperibus nulla ecclesia vulgo curae est. Adversantur christianismo et sectis omnibus *Liga liberalium* (1873) et *societas ecclesiastica libera* (1867)[1].

5°. E **sectis** saeculo XIX natis, memorandae sunt **Irvingianorum,** qui nomen habent ab E. Irving († 1834), eorum fundatore, Londini. Praedicant *charismata* priorum temporum et millenarismum. Sunt undique diffusi[2]. **Mormonenses** instituit, anno 1830, Joseph Smit. Innititur eorum doctrina annotationibus Mormonis, Judaeorum prophetae, qui, teste Smit, regnante Sedecia, in Americam transiit. Sunt autem Mormonenses anabaptistae, negant peccatum originale, permittunt polygamiam et initiis ob fanatismum multos nacti sunt adversarios[3]. E Methodistis Anglicis nata quoque secta est, quae appellatur nomine **Exercitus salutis,** cujus pater fuit, anno 1865, W. Booth, Londini. Pro scopo habet commovere plebem, excitando ad paenitendum et evitanda gravia peccata. In omnibus fere terris prodierunt[4].

6°. **Missiones protestantium**[5] florere inceperunt saeculo demum XIX. Multae societates missionum obortae: Baptistarum Anglicorum (1792), Independentium Londini (1795), ecclesiae publicae Londini (1799), Bostoniensis (1810), Wesleyanorum (1814), Basileensis (1816), Berolinensis (1823), Barmeniana (1829). In Hollandia, jam anno 1797, instituta est societas missionariorum (*Zendelinggenootschap*), cujus, inde ab anno 1827, labores ad solas Indias Neerlandicas extenduntur et Rottero-

---

[1]) *Zahn*, Abriss der evangelischen Kirche in America, Stuttgart 1889.

[2]) *E. Miller*, History and doctrine of Irving, London 1898, 2 vols.

[3]) *Gunnison*, The Mormons, New-York 1884.

[4]) *Schramm*, Das Heer der Seligmacher, oder die Heilsarmee, Berlin 1883.

[5]) *Warneck*, Abriss einer Gesch. der prot. Missionen, 6 Aufl., Berlin 1900.

dami est seminarium. Omnes eae societates ad missiones varias sustentant missionariorum amplius tria milia et singulis annis impendunt florenorum trecenties centena milia. Fructus vero paganorum ad fidem adductorum, vicies centena milia, expensis istis parum respondent. Magni momenti esse censent, quae efficit **societas biblica,** instituta Londini 1804, quae, undique diffusa, versiones fere 130 conficiendas curavit et exemplarium 1800^{ies} centena milia sparsit. **Propagandi protestantismi** gratia, inventa quoque est *societas Gustavi-Adolphi* (1842) quae late fusa est et in Hollandia quoque collaborat cum **societate evangelica.** Etiam in Francia est **societas Evangelica,** pro propagando protestantismo instituta 1833. Pari nomine societas in Germania instituta est anno 1887 [1]).

7°. Etiam **theologiam protestanticam** [2]) prosperavit saeculum XIX. Causa fuit variorum systematum et opinionum perpetua discordia et strenua propugnatio. *Modernis* quaecumque supernaturalia spernentibus, et *orthodoxis* iis repugnantibus, oborta etiam factio *media* est (Vermittlungstheologie; théologie du compromis).

Orthodoxi universe multa passi sunt. In Germania, cujus theologi reliquorum omnium fere duces et principes fuerunt, memorari e veteribus-Lutheranis imprimis debet Klaas Harms, qui thesibus 95 Lutheranam doctrinam propugnavit, sed cum contemtu et ludribrio est receptus. E neo-Lutheranis fuerunt Vilmar (†1868) Marpurgi, Thomasius (†1875), Erlangiae, Stahl Berolini, Kahnis Lipsiae etc. E reformatis referendi sunt Krafft, Merle d'Aubigné, Menken, Mallet; apologetae: Ebrard Erlangiae, Heppe et prae ceteris Alexander Schweitzer Helvetius, uterque Krummacher Elberfeld-Barmenii et Kohlbrugge, qui in pluribus regionibus, etiam in America et in Hollandia, animos movit. Orthodoxi Hollandi fuerunt fere e *dolentibus* et *separatis*. Inter praeclarissimos theologos haud dubio nominandi Doedes,

---

1) *S. D. van Veen*, Eene eeuw van worsteling. Overzicht van de geschiedenis van het christendom in de negentiende eeuw, Groningen 1904, p. 789 sqq.

2) *Pfleiderer*, Die Entwicklung der prot. Theologie in Deutschland seit Kant, und in Grossbrittannien seit 1825, Freiburg 1891. *Schwarz*, Zur Geschichte der neuesten Theologie, 4 Aufl., Leipzig 1869.

van Oosterzee et praesertim Dr. A. Kuyper et Dr. H. Bavinck, qui strenue adversus modernismum certaverunt.

Modernos maximam partem informavit Hegel. Prodiit imprimis *Vita Jesu*[1]), auctore **David Strauss** († 1874), qui vitam Christi declaravit esse *mythum*, obortum in primis christianorum coetibus. **Schola Tubingana**[2]) deinde, quae in opere Strauss defectum artis criticae reprehendit, ipsa falsis principiis criticis innixa, eandem viam ingressa est. Princeps fuit **Ferd. Christianus Bauer** († 1860), cujus multi fuerunt discipuli: Schwegler († 1857), Köstlin (1894), Planck († 1880), Ad. Hilgenfeld (nat. 1823), Volkmar († 1893), Holsten († 1897) et Zeller. Quatuor tantum epistolas Pauli genuinas recepit, docuitque Evangelia esse nata e litibus inter Petrum et Paulum (Petrinistae et Paulinistae). Multos modernos nacta est ea schola discipulos in Hollandia, Francia et Helvetia. Quorum nonnulli multo longius a vero recesserunt. Posteaquam vero Zahn Erlanganus et Harnack Berolinensis demonstrarunt, eam a vero deficere, universe moderni ab ea digressi sunt[3]).

Theologia media (Vermittlungstheologie) non, sicut schola Tubingana, principiis Hegel, sed magis opinionibus Schleiermacher est informata. Is pietatem collocavit in *sensu*, religionisque essentiam in immediata interne sentita unione cum universo, ita ut notitia et idea Dei personalis negligatur. Qui eum postea secuti sunt, tentarunt christianismum cum moderna impietate componere. Quorum praeclariores sunt Ullman († 1865), Hundeshagen († 1872), Dorner († 1884) et Ritschl († 1889), qui suam condidit scholam et Christum metaphorice „Dei filium" esse docuit. Cujus praecipuus assecla **A. Harnack**[4]) est. Ad hos mediae theologiae doctores annumerari possunt: in Hollandia J. J. van Oosterzee[5]), in Francia Edm. de Pressensé, in Helvetia K. R. Hagenbach

[1]) Tübingen 1835. Editio pro populo, 5 Aufl., Bonn 1889.

[2]) *Weizsäcker*, Ferdinand Christian Bauer, Stuttgart 1892.

[3]) Hollandicum *Theologisch Tijdschrift*, diu principiis scholae Tubinganae inhaerens, pro sola errorum historia habet valorem.

[4]) Quae sit ejus mens, videri potest in „Wesen des Christentums, Berlin 1900.

[5]) Christelijke dogmatiek, Utrecht 1870, 2 Dl. Uit mijn levensboek, Utrecht 1883.

(† 1874), in America Ph. Schaff († 1893); aliquomodo in Anglia F. D. Maurice, F. W. Robertson († 1853), in Scotia Thom. Erskine et amicus ejus J. M. Campbell.

---

§ 183. Orientis ecclesiae schismaticae.

Likowski, Geschichte des allmähligen Verfalls der unirten katholischen Kirche im 18 und 19 Jahrh., Krakau 1903, 2 Bde. *Döllinger*, Kirche und Kirchen, p. 157 sqq. *Schmitt*, Kritische Geschichte der neugriechischen und russischen Kirche, Mainz 1840. *Philaret*, Geschichte der Kirche Russlands, Frankfurt 1872, 2 Bde. *Theiner*, Die Staatskirche Russlands, Schaffhausen 1853. *A. Diomedes Kyriakos*, Geschichte der orientalischen Kirchen von 1453–1898. Autorisirte Uebersetzung von *Erwin Rausch*, Leipzig 1902. *Knie*, Die Russisch-Schismatische Kirche, ihre Lehre und ihr Cultus, Graz 1894. *A. Palmieri*, La Chiesa Russa, le sue odierne condizioni ed il suo reformismo dottrinale, Firenze 1908.

1⁰. Inde a temporibus conversionis populi Russiaci, ecclesia Russiaca subjecta fuit patriarcho Constantinopolitano et cum eo ad schisma orientis transiit. Imperante Petro Magno († 1725), demum auctoritatis Constantinopolitanae jugum abjecit, et postea sibi patronatus jura in omnes schismaticos orientis arrogavit. Loco patriarchatus Moscovitici, Petrus M. instituit *Synodum Sacram*, quae, constans clericis et laicis, facto et re totam ecclesiam Russiacam moderatur, sed nihil invito imperatore decernere potis est. Multae sunt in Ecclesia Russiaca sectae. Omnium maxima orta est saeculo XVII, quum Nikon patriarcha, libros liturgicos emendare aggressus, multos nactus est hujus rei adversarios. Eo res devenit ut plurimi sejungerent sese a religione publica. Eorum numerus hodie censetur esse 13.000.000. Seipsos vocant nomine *veterum-fidelium* (*Staroversi*); eos autem ecclesia Russiaca appellat *apostatas* (*Raskolnici*). Praeter alias multas sectas, sunt etiam haud paucae, quae e societate cum protestantibus duxerunt originem[1]. Languent autem in Russia negotia fidei. Popae universe parum sunt instructi. Dein cuncta jugo gubernii premuntur. Metropolitae non est jurisdictio major quam episcopi. Ut quis vitae monachali se dedat opus est ut veniam obtinuerit ab imperatore, qui monasteria alit et e monachis episcopos eligit.

---

[1]) Zeitschr. f. kath. Theologie, 1890, p. 416 sqq.; 1894, p. 417 sqq. *Gehring*, Die Secten der Russischen Kirche 1003—1897, Leipzig 1898.

2°. **Servii** [1]) anno 1200 transierunt ad schisma et saeculo XIV jam eripuerunt se jurisdictioni Constantinopolitanae, cui tamen iterum, anno 1765, a soldano subjecti sunt. Anno demum 1830 receperunt suum metropolitam Taurunensem (Belgrado). Anno 1567, vetere patriarchatu schismatico Justinianensi (Ocrida) a soldano abolito, **Bulgari** [2]) episcopis Graecis sunt subjecti. Quo autem praeverteretur ne Bulgari Romae se adjungerent, concessum iis est jus eligendi sibi exarchi, qui sibi nomen dat patriarchae ecclesiae orthodoxae Bulgaricae. **Rumenia,** anno 1859 nata e junctis Moldavia et Walachia, et postea dignitate regia ornata, anno 1865 se separavit a jurisdictione patriarchae Constantinopolitani et, sui juris facta, regitur a metropolitis schismaticis duobus, cum suffraganeis sex. **Graecia** [3]) civiliter sui juris facta est anno 1830, rege Ottone, e regia familia Bavarica. Is, anno 1833, ecclesiam quoque sui juris esse desiderans, eam eripuit jurisdictioni Constantinopolitanae, et, sicut in Russia, instituit *Synodum Sacram*, cui etiam metropolita cum archiepiscopis 10 et episcopis 13 subjecti sunt. **Montenegro** plus minusve dependet ab ecclesia Russiaca.

3°. In regno **Turcarum** numerus christianorum schismaticorum perpetuo minuitur [4]). Inde praesertim ab expugnata Constantinopoli, anno 1453, multi ad Mahumetismum apostatarunt. Patet gubernium id semper quantum potuit promovisse. Ne schismatici Romanae Ecclesiae adjungerentur, sedem Constantinopolitanam semper occupandam curarunt a patriarcha Romanae ecclesiae valde infenso. Tamen, currente saeculo XIX, nonnihil libertatis nacti sunt fideles, praesertim quum Austria et Francia sibi sumerent protegere fideles et Russia, quae tutabatur schismaticos, bello esset victa (1854—1856). Paria tunc jura data sunt christianis et Mahumetanis. Cujus rei consequens fuit ut Drusi impetum fecerint et pagos christianorum 100 diruerint [5]). Patriarchae schismatici omnes, etiam Armeno-

---

[1]) *Kalley*, Geschichte der Serben. Aus dem Ungarischen von *Schwicker*, Pest 1877.

[2]) *Jirecek*, Geschichte der Bulgaren, Prag 1876.

[3]) Κορηνιοτος, ἡ ἐκκλησία ἐν Ἑλλαδι, 1897.

[4]) *Bresnitz v. Sydacoff*, Die Christenverfolgungen in der Turkei unter dem Sultan Abdul Hamid, 2 Aufl., Leipzig 1897.

[5]) *P. de la Gorce*, Histoire du second empire, Tom. I—II, Paris 1903.

rum, Constantinopoli resident. Alexandrinus tamen Hierosolymitanus et Antiochenus re et facto parum habent auctoritatis. Constantinopolitanus regit omnes, ipse regitur a soldano. Simoniam et populi oppressionem invenias apud clericos superiores omnes [1]).

Itaque non solum prolapsae et in partes infinitas sunt divisae protestantium ecclesiae, verum etiam schismaticorum, perpetuo languore tabentes, ostendunt luce clarius id quod est ex hominibus opus dissolvi [2]), et veram neque umquam dissolvendam Ecclesiam inveniri apud eum, cui Dominus dixit: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam" [3]).

---

[1]) *Dr. v. Veen*, Eene eeuw van worsteling, Groningen 1904.
[2]) Act. Apost., V, 38.
[3]) Matth., XVI, 18.

TABELLAE CHRONOLOGICAE.

I. Series chronologica Romanorum Pontificum.

Haec series desumpta est de Enchiridio, ubi (§§ 138, 153, 163, 165, 166) opera in compositione adhibita inveniuntur. Indicare menses et dies, quod fere inutile erat, omisimus.

218.	Adrianus VI	1522—1523
219.	Clemens VII	1523—1534
220.	Paulus III	1534—1549
221.	Julius III	1550—1555
222.	Marcellus II	1555
223.	Paulus IV	1555—1559
224.	Pius IV	1559—1565
225.	S. Pius V	1566—1572
226.	Gregorius XIII	1572—1585
227.	Sixtus V	1585—1590
228.	Urbanus VII	1590
229.	Gregorius XIV	1590—1591
230.	Innocentius IX	1591
231.	Clemens VIII	1592—1605
232.	Leo XI	1605
233.	Paulus V	1605—1621
234.	Gregorius XV	1621—1623
235.	Urbanus VIII	1623—1644
236.	Innocentius X	1644—1655
237.	Alexander VII	1655—1667
238.	Clemens IX	1667—1669
239.	Clemens X	1670—1676
240.	Innocentius XI	1676—1689
241.	Alexander VIII	1689—1691
242.	Innocentius XII	1691—1700
243.	Clemens XI	1700—1721
244.	Innocentius XIII	1721—1724
245.	Benedictus XIII	1724—1730
246.	Clemens XII	1730—1740
247.	Benedictus XIV	1740—1758
248.	Clemens XIII	1758—1769
249.	Clemens XIV	1769—1774
250.	Pius VI	1775—1799
251.	Pius VII	1800—1823
252.	Leo XII	1823—1829
253.	Pius VIII	1829—1830
254.	Gregorius XVI	1831—1846
255.	Pius IX	1846—1878
256.	Leo XIII	1878—1903
257.	Pius X	1903—

II. Imperatores Germaniae et Reges Romani.

Carolus V	1519—1556
Ferdinandus I	1556—1564
Maximilianus I	1564—1576
Rudolphus II	1576—1612
Mathias	1612—1619
Ferdinandus II	1619—1637
Ferdinandus III	1637—1657
Leopoldus I	1657—1705
Josephus I	1705—1711
Carolus VI	1711—1740

Carolus VII	1742—1745
Franciscus I	1745—1765
Josephus II	1765—1790
Leopoldus II	1790—1792
Franciscus II	1792—1806

III. Imperatores Austriae.

Franciscus I	1806—1835
Ferdinandus I	1835—1848
Franciscus Josephus	1848—

IV. Imperatores Germaniae.

Gulielmus I	1871—1888
Fredericus I	1888
Gulielmus II	1888—

V. Reges Galliae.

Franciscus I	1515—1547
Henricus II	1547—1559
Franciscus II	1559—1560
Carolus IX	1560—1574
Henricus III	1574—1589
Henricus IV	1589—1610
Ludovicus XIII	1610—1643
Ludovicus XIV	1643—1715
Ludovicus XV	1715—1774
Ludovicus XVI	1774—1792
Respublica I	1792—1804
Napoleon I	1804—1814
Ludovicus XVIII	1814—1824
Carolus X	1824—1830
Ludovicus Philippus	1830—1848
Respublica II	1848—1852
Napoleon III	1852—1870
Respublica III	1870—

VI. Reges Angliae.

Henricus VIII	1509—1547
Eduardus VI	1547—1553
Maria	1553—1558
Elizabetha	1558—1603
Jacobus I	1605—1625
Carolus I.	1625—1649
Respublica	1649—1660
Carolus II	1660—1685
Jacobus II	1685—1688
Gulielmus III	1688—1702
Anna	1702—1714
Georgius I	1714—1727
Georgius II	1727—1760
Georgius III	1760—1820
Georgius IV	1820—1830
Gulielmus	1830—1837
Victoria	1837—1901
Eduardus	1901—1910
Georgius V	1910—

VII. Reges Hispaniae.

Carolus I.	1516—1556
Philippus II.	1559—1598
Philippus III	1598—1621
Philippus IV	1621—1665
Carolus II	1665—1700
Philippus V	1700—1746
Ferdinandus VI	1746—1759
Carolus III	1759—1788

Carolus IV	1788—1808
Josephus Bonaparte	1808—1813
Ferdinandus VII	1814—1833
Isabella II	1833—1868
Respublica	1869—1871
Amadeus Sabaudus	1871—1873
Respublica	1873—1875
Alphonsus XII.	1875—1885
Alphonsus XIII	1885—

VIII. Facta praecipua.

Saeculum Sextum decimum.

1517. Theses Lutheri. Polyglotta Complutensis.
1519—1556. Carolus V. Disputatio Lipsiensis.
1520. Lutherus excommunicatus. Rafael †.
1521. Lutherus Vormatiae.
1525. Bellum rusticorum.
1529. „Protestantes" Spirae.
1530. Confessio Augustana.
1531. Foedus Smalcadicum.
1534. Biblia Lutheri.
1534—1535. Anabaptistae Monasterii.
1535. *Institutio religionis christianae* Calvini.
1536. Erasmus †.
1540. Confirmatio Societatis Jesu.
1541. *Interim* Ratisbonense.
1542. Franciscus Xaverius ad Indias orientales appellit.
1545—1563. *XIX Concilium oecumenicum, Tridentinum.*
1546. Lutherus †.
1547. Henricus VIII †. Cranmer in Anglia.
1552. Franciscus Xaverius †.
1555. Pax Augustana.
1556. Ignatius de Loyola †.
1557. Knox in Scotia.
1558. Carolus V †.
1561. Colloquium Possidiense.
1563. Finis concilii Tridentini.
1564. Philippus Nerius Congregationem Oratorianorum fundat. Michelangelo †. Calvinus †.
1566. Iconoclasmus in Neerlandia.
1567. Baji damnatio.
1571. Proelium navale ad Lepanto.
1579. Unio Ultrajectina.
1582. Kalendarium Gregorianum.
1584. Gulielmus Arausicanus †.
1587. Maria Stuart †. Ecclesiae in Japonia persecutio.
1592. Vulgatae nova editio.
1595. Unio Brivatensis.
1598. Philippus II †.

Saeculum Septimum decimum.

1602. Gomarus et Arminius Lugduni-Batavorum.
1603. Elisabeth, regina Angliae, †.

1607. Baronius †.
1608. Paraguay.
1609. Colloquium Haganum.
1611. Oratorium Gallicum Petri de Bérulle Cardinalis.
1618. Congregatio S. Mauri.
1618—1648. Bellum triginta annorum.
1618—1619. Synodus Dordracena.
1621. Bellarminus †.
1622. Franciscus Salesius †.
1630. Gustavus Adulphus in Germania.
1633. Galilei damnatus.
1634. Gisbertus Voetius Ultrajecti.
1637. Cornelius a Lapide †.
1638. Cornelius Jansenius †.
1644. Petavii *Theologica dogmata.*
1650. Cartesius †.
1658. Cromwell †.
1662. Pascal †.
1664. Trappistae.
1669. Joannes Coccejus †.
1676. Gisbertus Voetius †.
1677. Baruch Spinoza †.
1687. Molinos damnatus.
1689. Christina Suecica †.
1697. Pax Rysvicana.

Saeculum Duodevicesimum.

1700. De Rancé †.
1704. Bossuet †.
1713. Bulla *Unigenitus.*
1715. Ludovicus XIV †. Fénelon †.
1717. Franco-muratores.
1719. Quesnel †.
1725. Petrus Magnus †.
1732. Congregatio SS. Redemptoris.
1740. Fredericus Magnus.
1759. Jesuitae expelluntur e Paraguay.
1762. Catharina Russiaca.
1765. Josephus II.
1773. Suppressio Societatis Jesu.
1778. Voltaire †. Rousseau †.
1782. Pius VI Vindobonae.
1789. Revolutio Gallica.
1790. Constitutio civilis pro clero.
1793. Ludovicus XVI †. Ratio dea.
1794. Robespierre †.
1798. Pius VI captus deportatur.
1799. Bonaparte consul primus.

Saeculum Undevicesimum.

1801. Concordatum cum Francia.
1803. Saecularisatio in Germania.
1806. Finis imperii Germani.
1809. Napoleon excommunicatus.
1813. Concordatum Fontis-Bleaudi.
1814. Restituta Societas Jesu.
1814—1815. Congressus Vindobonensis.
1821. Concordatum cum Borussia.

1825. *Collégium philosophicum* Lovaniense.
1827. Concordatum cum Neerlandia.
1830. Revolutio Belgica. Societas S. Vincentii.
1831. Hegel †. Hermes †.
1832. Lamennais. Damnatur periodicum „l'Avenir."
1833. Lacordaire Lutetiis in S. Mariae.
1837. Droste-Vischering archiepiscopus captivus.
1841. Ecclesiastica provinciarum meridionalium in Neerlandia constitutio. Zwijsen episcopus.
1842. Ecclesia cathedralis Coloniensis.
1846. Pius IX.
1846. Pontifex Gaetam aufugit. Altera respublica Franco-Gallica. Legis fundamentalis Neerlandicae revisio. Thorbecke.
1852—1870. Napoleon III imperator Franciae.
1852. Periodicum „l'Univers." Ludovicus Veuillot.
1853. Restitutio hierarchiae in Neerlandia.
1854. Dogmatica Immaculatae Conceptionis definitio.
1859. Proelium prope Solferino.
1860. Proelium apud Castelfidardo.
1861. Novum regnum Italiae.
1862. Renan „Vita Jesu."
1864. Syllabus.
1867. Romae celebratur jubilaeum.
1869—1870. *XX Concilium oecumenicum Vaticanum.*
1870. Romani Pontificis infallibilitatis dogmatica definitio. Evertitur status pontificius.
1871. Novum imperium Germaniae. Veterum Catholicorum primus congressus Monachii.
1872. Germanica lex proscriptionis Jesuitarum.
1873. Quatuor leges Majales. Communitates veterum Catholicorum. Reinkens episcopus.
1874. Acrius exardet Certamen culturae.
1875. Garcia Moreno †.
1876. Antonelli Cardinalis †.
1877. Von Ketteler episcopus †.
1878. Pius IX †. Leo XIII. Hierarchia in Scotia restituitur.
1880. Gallica mensis Martii decreta.
1883. Patet aditus archiviorum Vaticanorum.
1884. Catholicorum in Belgio gubernium. Bulla *Humanum genus.*
1885. Papa arbiter in concertatione de insulis Carolinis.
1891. Bulla *Rerum novarum.*
1893. Leo XIII episcopatus sui annum 50ᵐ explens.
1898. Bismarck †.

Saeculum Vicesimum.

1903. Leo XIII, expleto pontificatus sui anno 25, mense Julio moritur. Electio Pii X.

1904. Incipit Ecclesiae in Gallia persecutio.

1906. Dirimitur a Gallis concordatum.

1907. Decretum *Lamentabili* (3 Julio). Bulla *Pascendi* (8 Septembri).

1908. Constitutio *Sapienti consilio*. Pius X annum sacerdotii sui 50m explet.

INDEX.

AETAS TERTIA.

TEMPORA NOVA.

Ab anno 1517 ad hodiernum diem.

PERIODUS PRIMA.

Ab inchoata commotione Lutherana ad initium revolutionis Gallicae.
1517—1789.

CAPUT PRIMUM.

REFORMATIO IN GERMANIA.

CAPUT SECUNDUM.

Reformatio in reliquis Europae partibus. Ejus interna explicatio.

CAPUT TERTIUM.

Catholica Ecclesia et recta reformatio.

CAPUT QUARTUM.

Scientia et artes ecclesiasticae. Vita religiosa et moralis.

CAPUT QUINTUM.

LITES ET ERRORES THEOLOGICI.

CAPUT SEXTUM.

PAPAE ADVERSUS ABSOLUTISMUM. INCREDULITAS ET PRAEPARATIO REVOLUTIONIS.

PERIODUS ALTERA.

A revolutione Gallica ad nostram aetatem. 1789 ad hodierna tempora.

CAPUT PRIMUM.

ECCLESIA CORAM REVOLUTIONE ET CIVITATIBUS MODERNIS.

CAPUT ALTERUM.

ERRORES THEOLOGICI. ULTERIOR EXPLICATIO DOCTRINAE ECCLESIASTICAE.

CAPUT TERTIUM.

Ordines religiosi et Congregationes. Missiones exterae.

CAPUT QUARTUM.

Scientia ecclesiastica et ars. Vita Liturgica.

CAPUT QUINTUM.

Protestantismus et Ecclesia orientis schismatica.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

C.

G.

H.

N.

T.

